14
9 d
21 M

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
9
3 I
37

H.V. n°7

14—9. d. 21.

PAVLI PRINCIPIS DE LA SCALA ET HVN, MARCHIONIS VERONAE, &c. DOMINI CREVTZBVRGI PRVSSIAE. MISCELLANEORVM DE RERVM CAVSSIS, ET SVCceſsibus & de ſecretiore quadam Methodo qua euerſiones omnium regnorum vniuerſi orbis, & futurorum ſeries erui poſsint, Libri ſeptem.

ITEM CERTISSIMA METHODVS, QVA HOMINES PALANTES, & erroribus turbulentis impliciti, ad viam veritatis reuocandi, & ad beatitudinem conſequendam promouendi veniant.

Contra Centurias Euangelicæ veritatis, Ioannis Naſi Minoritæ.

Deinde oratio de inſtauranda Romanæ Eccleſiæ doctrina, cum Epiſtola qua omnes abditæ artes & ſcientiæ perſtringuntur, & perfectiſsima ratio prophetandi, & miracula operandi traditur.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTOR. EMANUELE

COLONIAE,
Ex Officina Typographica Theodori Graminæi.
ANNO M. D. LXX.

APPENDIX AD ZOILVM, & ad vniuerſas Sectas.

QVod ſi verò quid eſt Zoile, quemadmodum non poteſt non aliquid eſſe, quod ſugillare, & calumniari in hoc ope re valeas : cùm nullum ſit remedium aduerſus morſus Sycophantæ : Ecce vt veritas, & fidei meæ fundamenta, quibus ſanctam, Catholicam, Apoſtolicam, & quidem Romanam Eccle ſiam colo, tantò magis eluceſcat, non tibi hæc mea ſcripta modo, ſed me quoq; ipſum quocunque in loco, in arenam mecum cum omnibus tuis ſectarijs deſcendere voles, ſiue Romæ coram ſummo Pontifice, & Reuerendiſsimo cœtu Cardinalium, ſiue Viennæ Au ſtriæ, coram glorioſiſsimo Imperatore, eiuſque ſanctiſsima Repub. ſiue Lutetiæ Pariſiorum, ſiue Cracouiæ Polonorum, coram Sereniſs. & Chriſtianiſs. regibus & vtriuſq; cum Aulæ, tum Academiæ, ampliſsimo conſeſſu, ſiue Coloniæ Agrippinæ, coram omnibus vniuerſi Imperij Illuſtriſs. Electoribus, Principibus, & prudētiſſimis Senatibus, ſiue malueris VViterbergæ Saxonum, aut in qua cunq; Europæ Academia, Deo fauente, offero : paratiſsimus, ſi cauſſa cecidero, cadere, & vita, vt & tu, & tui conſectatores conſequamini vitam: ea tamē ratione, vt id mihi nulla vi interpellante præſtare liceat. Datum Monaſterij 9. Calend. Martij.

Anno 1570.

IN.

INVICTISSIMO GLORIOSISSIMOQVE SACRI ROMANI IMPERII IMPERATORI, CAESARI, DIVO *MAXIMILIANO HVIVS NOMINIS SECVNDO, REgi totius Orientis, Patri Patriæ, Catholico, felici, auguſto. Paulus Princeps de la Scala & Hun, &c. ſe ſupplex commendat.*

VITTORIO EMANUELE

LVſtra iam tria tranſacta ſunt, Cæſar Maximiliane, potẽtiſsime Princeps, & benigniſsime Pater patriæ, quod in aula veſtra Encyclopędiam conſcripſerim, & patri tuo catholiciſsimo, feliciſsimo, et auguſtiſsimo principi, Imperatori Cæſari Ferdinando, cuius memoria, nõ poteſt mihi, non eſſe per omnem meam ætatem, quàm iucundiſsima, dedicauerim atq; conſecrauerim: quam cum in meo hoc acerbiſsimo exilio, quo me omnia cum fortuna deſeruiſſe videntur, in manus reſumpſiſſem, & adoleſcentiæ meæ fœturam paulo altius expendiſſem, deprehendi multa, ſubobſcurius ibi tradita, ab hominibus importunis, Zoilis, & Momis, pro ſua libidine in quamcunque partem torqueri, quæ ab euidentiore, & illuſtriore interpretatione, & expoſitione non abhorrerent. Itaque expoſitionem dilucidiorem multorum locorum, & variarum quæſtionum ac rerum, quæ in eo opere continentur, cauſas, & ſucceſſus, Miſcellanea inſcripſi, tuoq; nomini, ſimul & mentẽ meam, & fidem, &

virtutem deniq; omnem cōſecraui, dicaui, ac obſequio dedi, & in perpetuū conſtitui, vt omnes intelligant hominum improborum obtrectationes, calumnias, inſimulationes & nefarias delationes, quibus me in Eccleſiæ Catholicæ ac Romanę, & in tuum odiū, omniumq; piorum, & honeſtorum inuidiam adducere importunè contendebant: mihiq; dies & noctes inſidias locabant, ne elabi poſſem, nec aliud ore ſuo iactabāt, niſi cædem, & ſanguinem, & immanitatem eſſe cum mea laude, ſalute, & dignitate coniunctas. Nam quod homines impuri, & humano ſanguine cruenti, religionem meam, Eccleſiæ catholicæ, & nominis mei ſplendorē, tuæ gloriæ, tuorumque maiorum virtuti, & maieſtati, officere putarunt, ſatis petulanter, ac temerariè fecerūt, id quod prolixius Methodo noſtra, qua homines palantes, & erroribus turbulentis impliciti, ad viam veritatis reuocandi, & ad beatitudinem conſequendam promouendi, veniant, contra Centurias Ioannis Naſi Minoritæ, hîc adiecta, patefeci. Profectò optime Cæſar, ſi dies ille pulcher iam tandem illuceſceret, quo mihi aditus, ad optatiſsimum domicilium tuum pateret, tu ipſe non modò iudicares, ſed etiam manibus cōtrectares, mendacia hominum amentiſsimorum, quorū fraude ac dolo, in eas anguſtias, vitæ & fortunarum, innocens præcipitatus ſum: & deleres contumaces, & ſuperbos funditus, imperiumque tuum, leges, & conſtitutiones repudiantes, pœnæ ſeueritate comprimeres: qui hoc vnum agunt, vt ſuæ argentanginæ, quàm commodiſsimè conſulant, & propterea, nemini parcunt, omnia iura, leges, & conſuetudines effrenata libidine, & cupiditatum æſtu impulſi,

mi-

miſerè aduerſum diuina & humana omnia labefactant, violant, polluunt, atq; corrumpunt. Perſuaſum proinde tibi ſit, Cæſar inuictiſsime, me tuam voluntatē nunquam læſiſſe, tuis commodis nunquam obfuiſſe: quod ſuperiori anno meis ad te literis, Cenſura catholica, Epitome gentis Scaligerorum, & multis alijs id genus ſcriptis, iampridem in lucem editis, abundè expoſui: ſed hoc idem ſpero te etiam aliunde breui intellecturum, vt nō dubitem veterem tuam erga me clemētiam, & benignitatem, quam toties deprædico, iam tandem quaſi poſtliminio ad me reuerſuram. Cuius vnius recordatione animum labentem, & propè iacentem, niſi fulſiſſem, iam diu dolori, & calamitatib. ſuccubuiſſem. Scio enim quæ nobis ille præpotens, et ſempiternus Deus, ad quem ardentiſsimè cupit animus meus adire, promiſit: ſcio nil mihi aduerſi ſine ipſius conſilio, nihil fortuitò, et caſu euenire, ſed omnia diuino ſuo numine regi adminiſtrariq;, vt quemadmodum aurum atq; argentum igne purgatur, ita hominum pietatis amantium animi puriores fiant rebus aduerſis, quibus et amor noſtri, rerumq; fragiliū, et caducarum exuritur, et ſtudia pietatis, ac innocentiæ mirabiliter accenduntur. Quocirca incredibili gaudio afficior, meq; totum miſericordiæ Dei trado, et committo: atque moram hanc, donec ille mihi opem ferat, æquo ac fidenti animo prȩſtolabor, et lætitia exultabo, atq; ſpem meam, quam in Deo meo repoſitam habeo, ſummopere confirmabo, et gloriabor de tutela ipſius, cuius facta non caſu aut fortuna eueniunt, neque conſilio, aut opera hominum geruntur, ſed prouidentia ſua, qua afflictis, et violenter oppreſsis auxilium fe-

rat, atque homines importunos, & nefarios, perinde vt meretur eorum improbitas vlciſcatur, eaque exempla in ſuos aduerſarios edat, vt cæteros omnes à maleficio facilè deterreat. Itaque ex Deo pendet omnis ſpes ſalutis meæ: neque moror quod ideo aduerſarij mihi inſidiantur coniuratione facta, quando ipſe eſt propugnaculum meum, aduerſus omnem vim Diaboli, & impiorum, ſatis firmum, & conſtans, qui ſolus ex omnibus ſeruare, ſolus omnibus bonis ornare, & cumulare nos poteſt. Confidant alij viribus ſuis, amicorum opibus & gratia nitantur: ego certè ad ſolum omnium rerum Dominum confugio, eum vnum inuoco, mihique omnium mearum rerum defenſorem, adiutoremque adopto, non armis, non pecunijs, non opportunitate locorum, aut temporis ad res gerendas indigentem, ſed nutu omnia adminiſtrantem, & feliciter conficientem: ad eum mentem meam atque animum tollo humana omnia obliuiſcens, eum ſolum cogitans, in eum ſolum omnium rerum moderatorem, aciem mentis intendens, qui ſolus poteſt, & vult accedentes ad ſe ſaluare, ſubleuare, protegere, & defendere: qui ſuos paternè tutatur, neque permittit pios tyrannide impiorum oppreſſos teneri: ne forte legibus & iudicijs extinctis, & religione conculcata, etiam ipſi ad peccata & ſcelera impellantur, exemplo & proſperitate improborum incitati. Non eſt igitur, quod exiſtiment me, aduerſarij mei, exemplo illorum, qui de Euangelio gloriantur, & ad arma, ad tumultus, ad ſeditiones, adque varias inſidias, vlciſcendi cupidi, perfugiunt, neque intelligunt hæc ſibi

con-

conſilio numinis diuini accidere: Ego enim ocium præfero, & in contemplationes rerum diuinarum me totum conſtituo: quò poſſim & pietatem colere, & Deo chariſsimus eſſe, nec vnquam ab obſeruatione præceptorum ſuorum aberrare, ſed omnes actiones meas eorum regula metiri, atque animo laudes ſuas celebrare, præcepta ſua, tanquam precioſiſsimum theſaurum in intimo animo recondita ſeruare, quibus violatis vita nulla eſt. Quo fit vt hoç temporis, quod mihi eſt datum, placidè, tranquillè, leniterque traduxerim, & vniuerſa Biblia, aduerſus omne genus hæreticorum, quæ iam inde, à Chriſti natiuitate exorta fuerunt, annotationibus, & locis communibus adornarim: Eccleſiam veterem Romanæ Eccleſiæ conformem eſſe, quo ad omnes illius partes, ſimul & eam quæ fucata, atque adumbrata hodie viget, oſtenderim: Preces anacriticas in Euangelia totius anni, & Pſalmos, & ſanctorum hiſtorias perfecerim: Inſtitutiones Philoſophicas, in omne genus ſcientiarum abſoluerim, & id genus alia, quæ ad ædificationem & propagationem Eccleſiæ pertinent. Atque hoc illud eſt optime Cæſar præſidium & facile, & firmum, & inexpugnabile, & tuis commodis deuinctiſsimum, quod ego mihi comparaui. Vnde nulla difficultate apparent hominum perditorum maledicta, et mendacia, et fraudulenta conſilia, qui non dubitarunt publicè in me inuadere, quaſi aulas Principum peruagarer, et gloriæ atque ſplendori nominis tui, tuoque commodo derogarem: quod mihi ne ſomnianti quidem vnquam in mentem venit. Neque enim fieri

poteſt

poteſt,vt tot ſcripta,tamq́; ardua,quæ pro anguſtia hac temporis feci, tot excurſiones, aut comeſſationes patiantur.Labor hic longè maior etiam tempore ipſo videtur,cùm raro tantum otij mihi ſumpſerim toto hoc curriculo laborum,quò vel cibo neceſſario,vires corporis reficerem. Sed vbi rerum teſtimonia adſunt, quid opus eſt verbis? Deinde,ſi aut cauſa criminis,aut facti ſuſpicio,aut quælibet denique vel minima res in me reperietur,quamobrem in tuum odium ſapiētiſsime Cæſar vocatus ſim,& idcirco abſens,legatus,nō accuſatus, non citatus,inauditus,indefenſus, Pruſsia,per delegatos quoſdam,amicos ſcilicet inimicorum meorum,proſcriptus,& ab omni defenſione, contra omne ius, omniumq́; populorum conſuetudinem,excluſus:non recuſo quin libidini illorum vita mea dedatur.Id ego millies quodammodo repeto,eademq́; religione, toties ſine vlla intermiſsione locum defenſionis imploro, quo mihi liceat nulla vi interpellante,quandoquidem omnia in abſentia mea ibi peracta ſint, cauſam meam iure tueri:necdum tamen quicquam omnibus meis implorationibus proficio.Feſſus ſcribendo,mittendoq́; nuncios,omnes opes,& ſpes priuatas meas conſumpſi:cum interim quintus agatur annus,vt ne obolus quidē mihi à quoquam mortalium datus ſit:imò nec pauxillum aquæ porrectum,quo vel aliqua in parte,præcepto Chriſti de operibus miſericordiæ,mos geſtus videretur. Ego autem non fortunas meas,verumetiam pro Eccleſia catholica & Repub.fidem & valetudinem quodammodo in nihilum redegi:proq́; his homines amentiſsimi,egeſtatem,famem,poſtremo exiliū & proſcriptionem reddiderunt,

diderunt,meque ab omni aditu abluendorum criminũ excluſerunt? Quapropter prudentiſsime Imp. te appello,per tuam maiorumque tuorum gloriam, & per Maieſtatem Imperij tui, vt conſulas innocentiæ meæ,& Maieſtate tua interpoſita efficias, vt iniqua illa proſcriptione iam demum exoluar,mihiq; in Pruſsia ius & fortunæ meæ reddantur,& legatio mea, quæ vniuerſæ Eccleſiæ plurimum emolumenti eſt allatura, promoueatur: ne hoc quod maiores cõſilium publicum vocari voluerunt,præſidium teterrimarum beluarũ exiſtimetur. Atque vtinam Cæſar potentiſsime, vtinam inquam, & tu,& Pont.Max.& rex intelligeretis (quod iam dudum ſummo gaudio, ſummaq; voluptate intellexiſſetis,ſi me defungi legatione homines nefarij permiſiſſent,& ſecuritates publicæ Regis & principis,à delegatis quibuſdã, violatæ non fuiſſent, & mihi redire,atque legationem meam referre licuiſſet)qua de cauſa,& quonam ablegatus fuerim,tãtùm abeſt vt me diutius in iſta proſcriptione permitteretis,vt etiam vltrò in amplexus mihi occurreretis,atque iſtud genus inauditi furoris cõtunderetis, hominesque geſtientes effrenata temeritate, flagrantes inuſitatis cupiditatibus, furentes incredibili ſuperbia, ſpe nouandarum rerum mirabiliter inflammatos coërceretis.Id quod ego ſcriptis iam dudum & Pont.Max.& tibi,&Regi retexiſſem niſi non tã intellexiſſem,quàm etiam expertus fuiſſem Truchſicam factionem, eiuſque priuatam amicitiam parum cognitam,ſumma vbiq; ope niti,ambire,tranſuerſos agere,et fatigare ſingulos, quò non tam quod iuſtum eſt non ſtatuatur,quã etiam ſcripta mea intercipiantur,et ſupprimantur: ſicut Lamen-

tatione,et varijs ſcriptis hactenus impreſsis ſatis declaraui.Sed etiam ſcriptum cuiuſdam priuatũ hiſce diebus legi,ob editam Cenſuram quoſdam proteſtantes vſque adeò inſanire, vt ſi in manus illorum inciderem, nullũ vnq̃ librum impoſterũ eſſem ſcripturus.Quid nõ molientur illi idem, vbi reliquos libros quos pro defenſione Eccleſiæ Romanæ conſcripſi, viderint? Nihil dicam de legatione mea,quam ſat ſcio longè iniquiori animo ferent.Si ergo vota ſeruuli tui clementiſsime Cæſar iuſta ſunt, ſi iuri & æquitati, omniumq́ue populorum legibus & conſuetudinibus conſentanea, ſi iuxta formam à te tuiſq́ue maioribus præſcriptam concepta,præſta obſecro quod peto,age quod imploro,perfice quod ardenti pietate obſecro atque obteſtor, & hæc Miſcellanea pignus meę erga te fidei &obſequij benigno & paterno animo excipe.Faxit Deus inclyte Cæſar,vt vitam tuam placidè et tranquillè ad ſenectutem perducas &virtutẽ ac pietatem ita colas,vt harũ rerum diſciplina,et inſtitutione alios etiã alas,qui eſt vnus ſalutaris, et proprius, ſuauiſsimusq́; paſtus animorũ.

Amen.

BER.

BERNARDI MOLLERI IN LIBROS
Miſcellaneorum Carmen.

NATVRA REVELATA LOQVITVR.

CEdite ſtellarum rectores: cedite Diui:
Maiori regnat Mundus in orbe minor.
Archetypi ſecreta palam traduntur Olympi.
Cuius in æterno fulgurat igne Deus.
Panditur humanis Chryſtalli machina curis,
Angelicis tantùm ſuſpicienda choris.
Abdita Cœleſtis reſerantur ſydera Mundi:
Quicquid agit fati lege Planeta, patet.
Nunc Elemẽta patent, quæ nõ Elementa videtur
Quæ vix ſunt oculis ſubdita, ſenſus habet.
Cuncta minor nouit Mundus, quæcunque peregit
Maior: & Aethereum pectore verſat opus.
Noſcere debebant Infernum lumine caſsi:
Infera viuentes noſcere iura volunt.
Quæ fueram miranda prius, demiror abundè
Vnde ſit ingenij faſtus: & vnde vigor.
Quicquid Mercurius Pœmãdro dictitat Hermes
Quicquid ab Orphæo funditur ore, patet.
Aglaophemus adeſt animi ratione profundus:
Pythagoras numeri lege profundus adeſt.
Omnibus inſeruit Philolai pagina turbis:
Ingenium Diui turba Platonis habet.
Vis Academiæ pandit ſecreta: Lyceum
Diſputat: abſtruſa Porticus arte tumet.
Omnibus imponit Colophonem Scaliger: omneis
Dum reſerat cauſas, cauſa latere nequit.
Nec peragit tantũ, cauſis quod ſingula conſtent,

Cauſa quod effectu debeat eſſe prior:
Succeſsus vrget, quorum ſecreta laterent.
Hinc quæ ſunt Superis cognita, nouit homo.
Quò virtus hominum ſe proripit, æmula cœlo?
Filia Naturam vincere terra poteſt?
Quicquid ago mater, quicquid Natura peregi,
Quicquid agam, præter fata tuetur homo
In me nil igitur ſecreti ſuſpicor eſſe:
Cuncta ſub humanum ſuſpicor iſſe genus.
Aſt doleo, prauis quod ſim Natura ſophiſtis
Prodita: malueram notior eſſe bonis.
Multi multa ſciunt: ſed quæ ſunt optima pauci
Sollicitant: illos ipſa latere velim.
Hi dum cuncta ſciunt, ſeſe vix noſcere poſſunt:
Non ſapiunt, quamuis omnia noſſe queant.
Quicquid in excelſis latitat, ſcrutantur ad vnguē
Pectoris in proprij ſcrinea nemo videt.
Propterea multis obſtare ſcientia fertur:
Inflat enim, recti quando recedit amor.
Noſcere Luciferum quid profuit omnia? raptum
Expulit ingenij faſtus ab arce Dei.
Exuit Adamum Paradiſi dotibus arbor,
Vnde boni ſenſus prodijt, vnde mali.
Ingenium vidit, pluſquam ferale Neronis
Dum miſeris cœpit Roma perire rogis.
Lucius ingenium corrupit acumine Cæſar:
Dum Superos ſpernit, ſpernitur ipſe Deo.
Præſtat ſcire nihil potius, quàm ſingula noſſe,
Hæretica tandem cognitione mori.
Stultis imperium, furioſo contulit arma,
Ingenium prauo quiſquis ineſſe dedit.

Hinc

Hinc ſtudium vitæ prauo damnatur abuſu:
Crimine prauorum iudicor eſſe nocens.
Criminor erroreis, ab iiſdem criminor ipſa:
Vulnera de pharetris ſentio facta meis.
Me quoniam norunt, me non mirantur iniqui.
Qui me ſi nequeant noſcere, grata forem.
Tuta forem: vulgi ſenſus miranda laterem:
Iam pateo: nulli mira fuiſſe putor.
Abdita mirantur gentes, ſed cognita ſpernunt:
Prodita Naturæ ſpernitur ergo domus.
Stulta fui: cunctis poteram, ſubducta placere.
Quid mihi. Sed ſtomachum ſedo: nec ira decet,
Et quid ago prauos? & quid veſana moramur?
Scurra mihi tandem doctus obeſſe nequit.
Noſtro diſcipuli tantum ſcribantur in albo:
Optima qui cupiunt ſcire: nec iſta premunt.
Diſcipuli, quorum conſcendit in æthera virtus:
Qui dum recta ſciunt, edere recta ſtudent.
Diſcipuli, quorum turgere ſcientia neſcit:
Et numerus quorum rarior eſſe ſolet.
Ex ſolio paucis operam præſtabat Iarchas:
Paucos quinetiam ſufficit eſſe mihi.
Sufficit obtento paucorum nomine dogma
Spargere: laudatam ſufficit eſſe bonis.
Hanc non inuideo ſanctis, ſed gratulor artem,
Princeps quam nitido Scaliger ore docet.
Scaliger æterno fatorum nomine clarus:
Maximus ingenij dote, nec arte minor.
Artem ſcire dedi: valeat, qui derogat artem.
Principibus talem ſemper ineſſe velim.
Antea rimantem totius dogmata Mundi

Ingenua Picum nobilitate tuli.
Huius & exemplo didicerunt optima multi,
Imperio quorum regna ſubeſſe dedi.
Maximus ingenio valet Aemylianus acuto.
Auſtria quo nunquam ſoſpite mœſta fuit.
Imperij virtus illum ſignauit honore.
Cæſarei ſceptrum fecit obire throni.
Faſcibus exulto tali ſub Cæſare noſtris.
Gratulor imperio, gratulor ipſa mihi.
Gaudeat hoc igitur Reſpublica principe fœlix:
Quem populis Mundi ſemper adeſſe velim.
Huius ad exemplum præclari viuite reges:
Diſcite Naturam: diſcite recta ſequi.
Vos hæc noſſe decet, quæcunque ſcientia fundit:
Scire nihil prauis ſemper ineſſe velim.
Si qua tamen poterit ſupereſſe potentia Diuis,
Si Natura bonis recta placere queo:
Id Superos poſco: gemmam non tradite gallo:
Si capiat gemmam gallus amare nequit.
Iſidis effigiem nec aſelli credite tergo:
Ne, quia numen habet, ſe putet eſſe Deum.

EMVNCTORIVM D. IOannis Naſi.

QVi poteras naſo ſuſpendere nuper adunco
Cuncta, licet naſus ſorde grauatus erat:
Si quid fecis erat, ſi quid pituita nocebat,
Naribus emunctum ſuſpicor eſſe tuis.
Si ſapis, emuncto iam cautius vtere naſo:
Poſtea cum naſis ne tibi pugna ſiet.

INDEX

INDEX CAPITVM QVAE IN SINGVLIS LIBRIS CONTINENTVR.

INDEX CAPITVM LIBRI I.

1. De oratione Anacritica.
2. De Anacriſi, Quid & quàm latè pateat.
3. De anima, an ex Traduce ſit: an verò diuinitùs infundatur.
4. De cauſa dilectionis diuinæ erga Iacob & odij aduerſus Eſau.
5. De Electis. 6. De libero Arbitrio.
7. De Sacramento Euchariſtiæ.
8. De Spiritus ſancti donis, & Spiritu ſancto an conueniant.
9. De Imagine Dei. 10. De Ceremonijs.
11. De Concilijs & decretis.
12. De ſuffragijs Mortuorum.
13. De Chriſtiana Confeſsione
14. De obedientia ex metu.
15. De origine Iuſtitiæ & Iuris.
16. De origine ſeruitutis.
17. De litib. an eas Chriſtiano homini exercere liceat.
18. De crimine læſæ Maieſtatis.
19. De Iureiurando.
20. De periuro an puniendus ſit.
21. De dolo malo an in cõtractu emptionis, venditionis, & locationis ſit licitus.
22. De mutatione nominis.
23. De duobus piſcatorib. & vno piſce caſus.
24. De hominibus in aëre viuentibus & intelligentiarum ſeu Spirituum partitione.
25. De ingeniorum diuerſitate.
26. De ſede animæ rationalis.
27. De animarũ in corpore humano diſcrimine.
28. De ſomnijs, & an per ea diuinari poſsit.
29. De brutis animalibus: an aliquid cognationis cum hominibus habeant.
30. De manu arefacta, quòd naturaliter præſente reo ſtillet.
31. De Idea platonis.
32. De Viſione. 33. De Centro Mundi.
34. De terræ ſitu atq; motu. 35. De Vẽtis.
36. De maris æſtu atque reciprocatione
37. De lumine ſtellarum.
38. De conglutinatione corporũ cœleſtiũ.
39. De occulto cuius non ſimile.
40. De diuerſitate vſus Dialectices.
41. De Dialectica quid ſit, & circa quid verſetur.
42. De ſtudio Dialectices contẽplatiuæ, & quid ſit, tum circa quid verſetur.
43. De contemplatiuę Dialectices difficultate & cauſa, Itẽ effectu intellectus, actu perfectionis, & caſu hominis.
44. De methodo, qua amiſſa perfectio recuperari queat, & creaturarum actibus.

CAPITA LIBRI II.

1. De cognatione Theologiæ & philoſophiæ, ſciẽtiæ quoq; & artis cũ intellectu & ſenſu: ſimulatq; vſu Orphicæ & Symbolicæ diſciplinæ.
2. De omniũ ſcientiarũ ſcopo & fine vide licet Chriſto ac ſtudij priuati pernicie eiuſdemq; cũ priuata vtilitate ęquipollẽtia addita Schiſmatis & p̃tinacię origine.
3. De Collatione & præſtãtia p̃teriti & p̃ſertim Empedoclei tẽporis, ac p̃ſentis ſeculi, quib. vita & mores aulicorum adiunguntur.
4. Quę & quot in ſtudijs rectè inchoandis & varia lectione cõſideranda. Item de obedientia parentibus prę́ſtãda: deq; paupertate in ſtudijs maximè apta.
5. De boni viri officio.
6. De officio diſcipuli.
7. De Philoſophia, an ſit homini Chriſtiano neceſſaria.
8. De abſtracta & concreta mente.
9. De habitibus infuſis & concreatis.
10. De modo abſtrahẽdi à ſenſibilibus. Itẽ quomodo ſingularia vniuerſalia fiant.
11. De Scala intellectus.
12. De partu principiorum.
13. De formando intellectu, & an duo corpora poſsint eſſe in eodẽ ſubiecto. Item an dæmones ſint corporei.
14. De viſu & eius obiecto.
15. De Triplici corpore, tum quid lux, & quàm latè pateat.
16. De lumine æterno æuiterno, & tẽporis & quomodo à luce differat.
17. De tertio viſus obiecto, vtpote de colore.
18. De medio quid, & quam multiplex, tũ quid principium.

19. De

19. De principio quid & quotuplex.
20. De fine & quàm multiplex.
21. De medio principij effectiui & eſſentialis.
22. De medio principij eſſētialis & cōſiſtētiæ.
23. De medio diſiunctionis, continētis, participantis, comitantis, &c.

CAPITA LIBRI III.

1. De modo autores inchoādi, & definitione Sphæræ.
2. De pręſtantia vſus & præceptorum: Itē de genere Sphærices.
3. De ratione proceſſus ſeu ordinis, quo vtimur in Sphærico inſtituto.
4 De Sphæræ definitione.
5. De cauſa definitionis Theodoſij.
6. De linea quid ſit, & quàm latè pateat.
7. De vtilitate linearum.
8. De mundo & quàm latè pateat.
9. De numero Sphærarum.
10. De mundo ſecundum ſubſtantiam; Quid ſit, & quam latè pateat.
11. De Sphæra recta & obliqua.
12. De Horizonte, quid, & quàm latè pateat.
13. De Aetherea atque Elementari regione.
14. De Elementis, quid & quàm latè pateat.
15. De loco & motu ætheræ regionis, & quintæ eſſentiæ appellationibus.
16. De motu Cœleſti. 17. De figura cœli.
18. De forma cœleſti ſimpliciſsima & perfectiſsima.
19. De apparitionib. vacuo, & penetratione.
20. De Terra & Aqua.
21. De figura Aquæ & centro terræ
22. De diametro terræ inueniēdo.
23. De circulis.
24. De circulo Aequinoctiali.
25. De neceſsitate circuli Aequinoctialis, & eius inuentione.
26. De Zodiaco.
27 De Signorum diuiſione.
28. De dimenſione Zodiaci.
29. De coluris.
30. De meridiano & Horizonte.
31. De Horizonte.
32. De circulis minoribus.
33. De parallelis ſeu Zonis.
34. De ortu & occaſu ſignorum & ſtellarum.
35. De ortu Poetico.
36 De ortu Aſtronomico.
37 De tempore adſcenſionis eruendo.
38. De diſcrimine Dierum.

CAPITA LIBRI IIII.

1. De Chronographia priſcorum, & primò de Iouis & Iunonis.
2. De anima mundi.
3. De ſpiritualibus ſubſtantijs à Deo rebus præfectis.
4. De vaticinio Iouis & Iunonis.
5. De orbium poſt Deum gubernatoribus.
6. De reuolutionibus Saturni.
7. De reuolutionibus Veneris.
8. De reuolutionibus Iouis.
9. De reuolutionibus Mercurij.
10. De reuolutionibus Martis.
11. De reuolutionibus Lunæ.
12. De reuolutionibus Solis.
13. Chronographia nouiſsimorum dierum.
14. De Euentis Monarchiarum.
15. De futurorum decem ſeriebus.
16. De quinæ Conditionis euētis & Aenigmatico Mirandulani principis ſcrupo.

CAPITA LIBRI V.

1. De Euētis primi Geneſeos Diei.
2. De Euentis Creaturarum.
3. De Euentis Mundi ſenſibilis.
4. De Euentis mundi Archetypi.
5. De populi primæ ætatis vaticinio.
6. De Euentis quatuor Elementarium ſignaculorum.
7. De Euentis humani vinculi.
8. De Euētis ſecūdi Geneſeos Diei.
9. De Euentis ſubcœleſtis exercitus.

CAPITA LIBRI VI.

1. De Euentis tertiæ Diei.
2. De Euentis ſpiritualis regni.
3. De Euentis ſeminis benedictionis.
4. De Euentis 12. tribuum Iſraël.
5. De proprietate hominis.
6. De Euentis Herou.n.

CAPITA LIBRI VII.

1. De Euentis quarti Diei.
2. De Euentis ſignorum & prophetarum.
3. De Euentis Temporum.
4. De Euentis dierum.

PAV-

PAVLI PRINCIPIS DE LA SCALA ET HVN. MARCHIONIS VERONAE, &C. DOMINI CREVTZBVRGI IN PRVSſia. Miſcellaneorum de rerum cauſis & ſucceſsibus, Liber primus.

DE ORATIONE ANACRITICA: Caput primum.

SYmbulus. *Encyclopediæ volumen Dryme, proximis nundinis, Oporini viri doctiſsimi induſtria & ſedulitate, euulgatum, apud Bibliopolam noſtrum, fortè vbi diligentiùs inſpexiſſem, et varijs arcanis refertum non ſine magna voluptate, veluti diu ſatis expectatũ, deprehendiſſem: tanto eius libri deſiderio tenebar, & indies magis ac magis allectus plurimarum quas complectitur rerum magnitudine, lectione quoque continua, non modò afficiebar: ſed etiam peruehementer operis ſumma admiratione, in quo non potui, non eſſe occupatiſsimus, mouebar: vt mihi illud quamprimùm: neque comparauerim duntaxat, aut pulchrè compactum in numerum meorum librorum retulerim, & tineis rodendum ſicut plerunque fieri ſolet, commiſerim: quin ſeriò euoluere & quoad fieri poterit familiarius reddere, propero: id vbi & tu feceris, operam meam haudquaquam improbabis.* Drymus. *Bene habet. Huic tuo tam fideli conſilio libenter obtemperabo. Porrò quò minus iſtud ſubitò curauerim, & tardior in aſſentiendo atq; morem tibi gerendo fuerim: libri difficultas, quam vel à fronte facilè eſt cernere, me terruit. Sicubi ergò opera tua in explicandis et ſoluendis nodis eguero, confido, aderis. Et tantò libentius mihi perſuaderi patior: quantò animum tuum erga me ſynceriorẽ hactenus ſem-*

per animaduerti. Symbulus. *Si quid eſt qua in re opella mea vti poſsis, id meus erga te amor requirit, vt ea pro arbitrio non ſecus ac tua vtaris. Neq; aliquis labor tam arduus eſſe poteſt, qui mecũ pari ratione tibi non ſit cõmunis futurus. Quare nullo reſpectu tem poris habito, oportunus ſemper & gratiſsimus, quando velis, aduenies. Adeſt Oliſtus in ea palæſtra verſatiſsimus, non dubito quin & ille ſuo conſilio & eruditione nobis ſit perlubenter adfuturus.* Drymus. *Vtinã quod dicis ex voto procedat, nihil eſt, quod mihi per omnem ætatem gratius contingere poſsit.* Symbulus. *Ecce lupus in fabula: Oliſte optatus venis. Encyclopedia quam nuper emi, plurimum & me, & Drymum meum oblectat: neque vlli labori parcimus, dummodò eo genere excultiſsimæ & profundiſsimæ philoſophiæ frui, vt optamus, liceat: quod cùm tibi perſpectiſsimũ ſit poteris, ſi velis non parũ emolumenti nobis adferre.* OLISTVS. *Noui quàm curta ſit mihi ſuppellex: pro tenuitate tamen ingenij mei libenter quod potero præſtabo. Verùm oportet cupientẽ aliquid inde vtilitatis reportare, Deũ vt imprimis verè, qui fortunet pios conatus, ac ex animo, inuocet: fiet tum demum nulla voti compos difficultate.* Symbulus. *Obſecro Oliſte pro tua pietate, modum hunc orandi, vt opinor, anacriticũ, nobis præſcribere non dedigneris, certè beneficij huius magnitudinẽ, nulla vnquã obſcurabit obliuio.* OLISTVS. *Oſtendere quidẽ quomodo orationem formare debeatis, vtcunq; licebit: ſed ἀνάκρισιν, viam nempè diſcutiendi, examinandi, percontandi, et reſpondendi, ad quodcunque propoſitum thema monſtrare, diuinum, non humanũ eſt. Itaque à Deo id vobis, non ab hominibus erit petendum.* Symbulus. *Atque hoc illud eſt, quod nitimur. Quo nimirum pacto, qua denique ratione nobis ſint diuina myſteria adeunda, ne fortè ignari petitionis Deum offendamus.* OLISTVS. *Verba ipſa, quibus ſonum edatis, narrabo: cor veſtrum Deus pater Domini noſtri Ieſu Chri-*

ſu Chriſti ad gloriam & laudem ſanctiſsimi nominis ſui excitet, et mentem illuminet: quæ vbi abſuerint, ſonus iſte externus nil vobis proderit: imò quod verebamini eueniet. Quare ſedulò ac diligenter vitam & mores cum oratione vt coniungatis, oportebit. Hæc niſi præceſſerit, meo conſilio, ſatius eſt, vt ab eo propoſito, abſtineatis. Symbulus. Per omnia, quin pareamus tuo conſilio, non eſt, quod dubites, dummodò pergas. OLISTVS. Ego in inchoandis exercitijs ſic orare conſueui. Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, & conditor rerum altiſsime, atque humani generis clementiſsime protector: infirmitatem noſtram vel propter ſanctiſsimi nominis tui gloriam reſpice: ac inexhauſti tuæ ſapientiæ fontis liquorem tum aquam vitæ nobis communica: quæ omnia in ſe oſſa minutatim morbo collapſa trahat: cuius dulcedine allecti, & excitati virtute, ſalua mente ſimul atque memoria, te celebrare queamus. Fuit hæc tua benignitas infinita vt filium vnigenitum pro nobis victimam traderes: fac nos quoque idoneos, eius paſsionis & mortis participes qui ſimus: qui innocenti ſanguine abluti, & immaculato corpore redempti, innocentes ipſi quoque & immaculati tibi ex animo & fide non ficta ſeruiamus. Quid eſt, quòd maledicti legem ſubierit Dominus: niſi vt benedictos ex maledictis faceret? Non fruſtrà cruci affixus, ſe innocentem occiſionis agnum exhibuit: voluit vtique per crucem, ſponſam ſuam à cruce liberare. Nō parua res hæc: amoris immenſi effectum, neque ſigna tantùm, peperit. Sponſa quæ paulò antè mortalis, rugis & maculis refertiſſima, & ipſo carceri inferni mancipata erat: mox ſine labe, immortalis & liberrima in conſortium cœleſtium reſtituta eſt. Hæc ita habere, Domine Deus patrum noſtrorum, non dubitamus: quin certi de aduocato noſtro apud te, & eius pro nobis interceſsione atque æterno gaudio: ipſi etiam ſic inſtituti, rogamus, ne abs te nos ſegreges, neu deſeras: ſi CHRISTVS Ieſus

vnigenitus tuus nos in Germani fratris dilexit loco, ſiue ipſe ſolus nos expiauit, ſeu tibi morigerus fuit in rebus omnibus. Hunc nobis ſponſum dediſti, amicum, tutorem, patrem. Bona noſtra hæc ſuæ commiſiſti, & mandaſti fidei: Accepit: accepta ſeruabit. Domine Deus peter cœleſtis, noſtrum animum & voluntatem vides: nec clàm te eſt, quàm nobis vtræque res vtiles, & ad fidem, & ad tutandam pietatem ſint. Quod nos per hanc te à condito orbe dilectionem, & vnigeniti filij tui, Domini noſtri Ieſu Chriſti mortem, per tuam miſericordiam, perq́; noſtram ſolitudinem obteſtamur: vt illumines mentes noſtras, purifices corda, ſenſus præpares, ad capeſſendas bonas artes & literas: ad ſectandam honeſtatem & vtilitatem, tibi gratam & acceptam, fidem ipſam, ſpem & charitatem: quò te diligere ſuper omnia, & proximum ſicut nos ipſos, & vnicam ſpei noſtræ confeſſionem retinere firmam atque inconcuſſam valeamus, Amen.

De Anacriſi, Quid et quàm latè pateat:

CAPVT II.

SYmbulus. *Rem arduam Oliſte & planè arcanam, laus ſuperis, ex hac, quam recitaſti* ἀνακρίσεως *oratione, ſumma cum voluptate hauſi, Primò enim creationis & redēptionis vinculo, nos noſtraq́; ſtudia, velut interiecta et intermedia aſtringis. Hinc accedis ad fontem æternæ ſapientiæ: in quo omnis conſtitutio orbis, ipſaq́; humanæ ſalutis reſtitutio conſiſtit. Huius fontis omnes* ἀνακρίσεως *partes enumeras, quas tandem in nos, noſtraſq́; actiones transfers. Quod prauum deinde nobis adhæret per* ἀποδίωξιν & ἐπανόρθωσιν, *partim reÿcis: partim tollis, ſupponens aliud magis idoneum,* κατὰ τὸν μερισμόν. *Opem tum demum, ſubiungendo* παράδοξα, *imploras: atq; ſpiritus ſancti gratiam qua trahamur,*

mur, quæue infirmitatem noſtram ſufferat, epilogum ſtatuis. Oliſte παράδοξον *tota oratio eſt. Non iam miror, vnde eruditio et quidem tanta, exiguo tẽpore, homini adueniat.* OLISTVS. *Quid? iſtúcne apprehendiſti? Deſtino ſanè niſi officij ratio impediuerit, excurrere iſtò. Ingenium video profundum, iudicium ſolidum, animum æquum. Ergò dicámne, an differam?* Symbulus. *animi præſentiam, fidem atque officium polliceor. Si quid præterea aduertiſti, id indicij tui eſt: optarem equidem vnà cum Drymo, ſi ita videtur, te vlteriùs de anacriſi diſputantẽ audire.* OLISTVS. *Quin aliquid dicam, præterire neque poſſum neque volo. Dicam autem, quibus facilè veram anacriſim vobis conciliare poteritis: Veſtrum eſt vt diligenter quæ dixero expẽdatis.* Drymus. *En habes quod vis.* OLISTVS. *Anacriſis idem quod Hebræis Cabala: Pythagoricis, formalium numerorũ ſcientia: Alexandrinis, Therapentarum methodus: Indis, Gymnaſophiſtarum ſpeculatio: & Pythagoræ, tetractis ſignificat. Quæ ſi verbum verbo reddatur, iudicij quædam diſquiſitio & meditatio: non ſenſui, magis autem intellectui ſubiecta, dicetur. Quòd & legem dictet, cùm vitæ integritatem, tùm morum* ἦθος *complectentem: & ad ſuperiorem illam philoſophandi rationem, potiſsimùm autem interiorem diſciplinarum cognitionem, maximè conducat. Anacriſis alia eſt quæ latinis apparens: alia quæ vera nuncupatur. Apparens innata omnibus eſt, quæ cum ratione nonnihil participat: videlicet lumen illud, velut igniculus, hominibus concretum, quod aliâs ſuperior ratio, item lumen naturæ, deinde* συναίρεσις εἰς ἄριθμον, & συνείδησις *ipſa nimirũ conſcientia, fides, certitudo & æquitatis ſcopus appellatur. Dicitur autem apparens, quòd reuera indicia quædam hominum mentibus inſint: quæ demonſtrant ſingulare & occultũ lumen, quo verum à falſo aliquomodo diſcerni poſsit, Vnde illud Iſocratis ad Dæmonicum,* καὶ γὰρ ἂμ τοὺς ἄλλους λάθῃς σεαυτῷ γε συνειδήσεις. *Id in Triade*

animi conſiſtit: in intellectu, quo veritas rei indagatur: in voluntate, qua nil niſi bonum appetimus: & in memoria, qua reminiſcimur eorum, quæ paulatim ad propoſitum noſtrū collegimus. Quartum, quod inde promanat, reuera baſis eſt, vt potè anacriſis, quæ in Triade, tanquam punctum in circulo, verſatur. Hanc apparentem anacriſin ſolent Scholaſtici habitum connatum et concreatum appellare. Vt enim ab initio Dominus Deus hominem, puluerem de humo, formauit, & inſufflauit in nares eius נשמת חיים *flatum vitæ: ita eum flatum qui anima rationalis eſt, in generatione, præter generationem, dum infundit: lumen quoque* συνειδήσιος *baſin nempe* ἀνακείσιος, ἐγχιᾶ*: quod benè qui intellexerit: vanam eorum ſententiam qui animam ex traduce oriri putant nulla difficultate videbit. Cæterùm, vera anacriſis nihil aliud eſt, quàm habitus quidam per frequentes orationes & ieiunia acquiſitus, omni poſtpoſita & neglecta libidine, & carnali voluptate: mera caſtitate & pietate ex mortalibus immortales quodammodo efficiens. Hanc Pythagoras ſignificauit per homines immortales deos, & Propheta per ſimilitudinē imaginis, cum inquit* בצלמנו כדמותנו *in imagine ſecundum ſimilitudinē. Hæc vtiq; eò perducit humanam mentem, vt proportione quadam diuinæ haudquaquam diſsimilis ſit. Ieiunium autem non hoc intelligimus, quod contorquet quaſi in circulo caput, quod item ſuſcipitur pro criminum ignominia, ſuperſtitione & inani gloria: ſed quod colligationes impietatis ſoluit, iniuſta reſtituit, miſericordiam in pauperes facit, & quæ carnis ſunt abſtrahit, vt ea quæ ſpiritus ſunt conſeruet, & obſeruatorem ſuum ſeipſo ſublimiorem faciat. Hoc inquam ieiunium hominem cum Deo vnit, id eſt, verè anacriticum reddit. Tali ieiunio Moyſes accepturus præcepta vſus eſt. Eiuſmodi ieiunio Saluator genus illud dæmoniorum eijci ait. Tale inquam ieiunium ſapientiam & diuinam, & humanam, tribuit, aut certè diſponit mentes ad illā. Præter*

ter

ter Moyſen ieiunando diuinam ſcientiam & artem complexum: certè & Helias ieiunando curru euectus eſt in cœlum igneo. Item Daniel & cæteri tres pueri ieiunantes ſcientiam adepti ſunt: & Apoſtoli ieiunantes receperunt ſpiritum ſanctum: ipſeq; Ioannes ieiunando in inſula Pathmo, reuelationes accepit ſecretiſſimas. Quòd verò quidam indumenta, loca, tempora, characteres, & ſimilia obſeruare doceant: nõ fit aliundè quàm propter fœdus. Sunt enim externa illa ſigna, ſi ſuperſtitionem auferas, interiorum myſteriorum ſignacula, & reuera indicia quædam, ipſæq; admonitiones & incitamenta ad penitiorem rerum ſecretarum inueſtigationem: quibus monemur, vt purgatam mentem à vitijs retineamus: caueamus item ne quicquã quod videatur cõtrariari legi naturæ, tantũ abeſt, vt diuinæ aduerſetur, imitemur: perpetuo in contemplatione diuinitatis conſtituti. Fiet tum demum, vt æquales angelis etiam cœlos ſuperemus: in primis Deum, deinde proximum ex toto corde diligamus: ac illuſtratis mentibus nihil non ſine difficultate amplectamur pulſis omnibus tenebris, id quod nobis iam olim perfecta natura tribuit, probè conſequamur.

De anima an ex Traduce ſit: an verò diuinitus infundatur. CAPVT III.

SYmbulus. *Anacriſin partim nobis ineſſe: partim ex ſæpè iteratis actibus, orationum & Ieiuniorum naſci, Et quemadmodum ſuperiori capitulo de oratione, ita hîc potiſſimũ de Ieiunio, tractari, aſſequor: Deinde hiſce duob. actib. frequentatis verã anacriſin, et apparentẽ facilè in vnũ coaleſcere, & opinionẽ in ἀπόδειξιν cõuerti poſſe, intelligo. Cæterùm, Oliſte, acutus es, et ingenij eminentioris, q̃ vt tecũ conferã, ne incaſſũ igitur laborẽ, liceat mihi cũ Drymo mecũ ſermonẽ familiarẽ inſtituere, Tu verò iudex eſto, ac ſi q̃ ex parte nos aberrare ſenſeris, vt cõmonefacias: occur-*

occurreritq́; nodus difficilior & intricatior, vt ſoluas, noſq́; inſtituas, etiam atq; etiam rogamus. Ita & tibi conſultum, ne plus nimium fatigeris, & nobis erit: vt qui & ipſi animi noſtri conceptũ formare aliquando tandem diſcamus. OLISTVS. *Quòd tam ſolidè, aptè, appoſiteq́, ea breuiter repetieris, quæ duobus hactenus capitibus dicta ſunt, ingenij tui haud poſtremas vires oſtendiſti. Neque video quid obſit quò minus me aſſequi poſsis: qui grauiora hæc adeò ſuccinctè refers. Poſteaquam verò ita tibi placet, vt te et Drymum conferentem audiam: moleſtum quidem, ſed pium: non poſſum non vobis in ea quoq; parte gratificari. Veſtrũ eſt, vt quod habetis in pauca contrahatis. Quo in genere eſt operæprecium diligentiam maiorũ recordari. Exiſtimo quoque vobis de itinere quod ſuſcepi, conſtare, & quàm primùm Nicolaus meus redierit, id me facere & exequi oportere. Dialecticè igitur quod ſentietis, exprimendum erit.* Symbulus. *Spero nos biduo, quæ habemus, effecturos. Quid eſt porrò, quod dicebas, operæprecium eſſe maiorum diligentiam recordari? Maiores noſtri certè vel vnum argumentum finiunt nunquã. Cùm incipiunt argumentari, tam multa tamque confuſè loquuntur, ne dicam garriunt, vt non credam eos ipſos exordij ſui meminiſſe, qui ceſſare quando debeant, ignorent. Si igitur vis nos ita conferentes audire, proficiemus nihil, & inutiliter omne tempus conteremus, ac vnum argumentũ etiam in ſeptimana integra, ne texere, nedum abſoluere licebit.* OLISTVS. *Video te ludere Symbule, ſinas eos, qui pluris exiſtimãt referta marſupia, quàm bonarum artium ſtudia: cæci ſunt, duceſq́; cæcorũ. Per maiores noſtros Pythagoram, Platonem, Ariſtotelem, & ſimiles intellexi, quibus meritò, qui docti nomen ſibi vendicare cupiunt, inſiſtere debent: aliâs nomen ſine re, quod plerunque fit, poſsident. At vos pergite.* Drymus. *Cùm varia ſit inter doctos diſputatio, cuius & Oliſtus paulò anteà meminit, An anima ex traduce ſit,*

vel

vel à Deo corporibus infundatur: obſecro dic, quæ ſit tua de hac re ſententia. Symbulus. *Ego firmiter ſtatuo eã à Deo infundi corporibus, tempore natiuitatis.* Drymus. *Caput ſecundum Geneſeos, id me credere non ſinit. Deus enim ſeptimo die requieuit ab omnibus operibus ſuis: Quomodo igitur animæ etiamnum diuinitus corporibus infundentur?* Symbulus. *Deus quieuit ea ratione, vt iam illud ipſum, quod anteà ſine medio ex nihilo fecerat, per naturam tanquam medium efficiat. Deinde, Deus quieuit ab omni opere ſuo ſpecierum, non indiuiduorum.* Drymus. *Deus liberè agit, vtique non per media, ſed immediatè. Præterea ſi corporibus animas quotidiè infundit: non poterit fieri, quin ſit cauſa damnationis.* Symbulus. *Deum liberè agere nemo negauit: an verò vbiq; immediatè, diſputatio eſt. Quam Philo paucis alibi diluit: Deum in puras mentes per ſe, in impuras verò per angelos agere: ita in creaturas per ſe agit Deus, in generationes verò per creaturas. Deinde animæ damnatio non ex fine, ſed ex ſubiecta materia conſideranda eſt.* OLISTVS. *Scio graues concertationes hac de quæſtione vtrinq; extare, vt non facilè cui ſubſcribas deprehendi queat. Niſi enim ſubiectum eius propoſiti diligentius examinaueris: alterutri cõſenties, haud ſine graui ſalutis iactura. Dicã ergò nõ abs re, et quidẽ breuibus, quid ſentiã. Quòd anima rationalis ex traduce non ſit: id maximoperè obſtat: incorruptibilis enim eſt: Quæ aũt ex traduce ſunt: non poſſunt non corrumpi. Siquidẽ talia per modũ generationis oriuntur, quorũ certa eſt corruptio. Quippe quicquid eſt, eo ipſo quia eſt: aut creatum eſt,* ὁ ζῶν γὰρ εἰς τὸν αἰῶνα, ἔκτισεν τὰ πάντα*: aut generatum,* ὅτι ἡ γένεσις τῆς φθορᾶς ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, *vt præter Ariſtot. & Philo de mundo habet: aut factum. Cæterum ex Demoſth. & Ariſto.* τὸ ποιεῖν καὶ πράττειν εἴδει διαφέρει. *Etenim Philo ibidem:* ἄσατα καὶ τυκηρὰ πράγματα *vocat, eaque à corporibus diſtinguit, inquiens:* τῇ διανοίᾳ τὰς ἁπάντων φύσεις σωμάτων τε καὶ πραγμά-

τῶν ἔωθεν ἀνθρώπων καταλαμβάνειν. *Itaq; ſi animæ factitiæ ſunt, vtique & compoſitæ, & quæ dici poſsint, vt Plato. 7. Epiſtolarum habet,* περὶ σώματος ἅπαντος, σκευαστὸν καὶ κατὰ φύσιν γεγονότος: *& vt Vergil. inquit: arte elaboratæ. Itaq; aut* παρέγγεγραμμένοι & παρεγγράπτοι θεοὶ καὶ τεχνικοὶ *erunt: aut* ἐγγεγραμμένοι, *quos & ſelectos vocari ſcribit Auguſtinus, & præcipuos: vt qui cæleſtes ſemper habiti ſint, & in deorum albo, iam inde ab initio connumerati. Ex horum numero ſi factitiæ conceduntur animæ, eſſe non poſſunt. Sic quælibet ſtatua, & qualiſcunq; artificis effectus eò referri deberet. Et quis tandem non ſibi peculiarem confinget Deum? Quod nō ſuperſtitionis & impietatis ſtudium conſtituet? Ne illius quidē ordinis eſſe poteſt. Aut oſtendat aliquis vnquam artificem ſuo ingenio & arte, ſuáq; induſtria, rem animatam effeciſſe. Neq; rem certè corpori iungere poterit, artificij longè minoris. Quis igitur eſt qui ſe Dei conſiliarium, ne dicam æmulatorem, auſit gloriari? Niſi fortè quis dicat, Stabulum animatum, quia equos contineat: rem ſanè ridiculam. Deinde ſi animæ generantur, quid impediet, quò minus corrumpantur? cum eadem ſit generationis quæ & corruptionis via: imò nil generatur, niſi idem corrumpatur: quando in omni vt generatione, ſic corruptione, & generatio quæ vnius eſt: & corruptio quæ alterius, conſiſtat. Ecce generatio corporis humani:*

Tres in lacte dies, & tres in ſanguine trini.
Bis ſeni, carnem: ter ſeni, membra figurant.

Anima ſi ex traduce: lac primò: tandem ſanguis: hinc caro: poſtremò membra eius naſcentur. Anima ergò erit, τῶν ἑτερογενῶν μερῶν: ἢ ὑπάλληλα τεταγμένων, ἀλλὰ παντὸς ἕτεραι καὶ αἱ διαφοραί. *Aduerte et diſpicito: ſoluta anima, nónne cadauer calidum, veſtigia quædā, licet imperfecta, pulſus, adſunt? nónne plexus capite, & quos morbus non interimit, ſpiritum citiùs exhalant, ſentiendi facultatis organo & baſi vigente? ſeparatáne igitur anima rationalis? an verò iuncta ſenſitiuæ potentiæ adeſt? hoc ſi concedis: quomodo expirationem*

onem ſtatuis? illud ergò admittes? nequaquam certè mortalem: neu- tiquam generationi ſubiectam, aſſeuerabis. Quid? aliumnè quempi- am, quo animæ ex traduce ortum tueberis, modum præterea aſsi- gnabis? creationis non poteris, niſi conditori Deo, tribuere, non cre- aturæ: non generationi: σκευασῷ minimè? niſi creatorem & creatu- ram, naturam & artem, quæuè præter, ſecundum, & contra eam ſunt, confundas. Quot obſecro monſtra, quot deniq; portenta, & chimeras dabis? Itaq; intellectum æternorum eſſe, et quæ ſecus ha- beri non poſſunt: immortalem atq; incorruptibilem, nemo niſi Epi curei, Saducæi, & qui neq; reſurrectionem credunt neq; angelos, neq; ſpiritus, negabit. Vt quid immortale, incorruptibile, & nulli cōpoſitioni obnoxiū: ex mortali, corruptibili, atq; confuſo iſto chao prouenire dices? Quid obſtabit, quò minus & Deū ita oriri aſſeras? reprimet fortè hunc furorē conſcientia, ratio arguet, ſenſus oppu- gnabit. Velis nolis à Deo infundi, recipias. Expendamus argumen ta quibus inniteris. Conſumauit, inquis, Deus die ſeptimo opus ſuū, & ab omni opere eodē die quieuit: rectè igitur & ab infuſione ani- mæ. Faceſcis negotiū, concedo: hinc tamē faceſsis. Quid eſt quod ibi legitur? opinor למינהו ad ſpeciem. Aſpice nunc ἀκολουθίαν, Quieuit à ſpecie: ergò ab indiuiduò? Valétne hæc conſecutio? ſpecies igitur ſpeciem producit, mala erit? Neq; ſpeciem certè ipſa gignit, nam di- uerſam non, neq; indiuiduum, cum ſolum nequaquā. Id ea in re ob- ſeruari debet: vt producens à producto, nedum ratione, ſed re quo- que ipſa differat. Quis verò nō videt ſimile ſibi ſimile generare? an homo Leonem, aut Leopardus aſinum? nónne Leo leonem, leopar- dus Leopardū procreabit? nonne hæc ſola relatione, ſoloq; numero ſeiunguntur? Si ergò ſpeciei generatio ita quieuit, vt neq; Deus vllā ſpeciem creet: neque homo procreet, Quid eſt quod obijcis? En tan- quam in ſpeculo teipſum quàm pulcher ſis conſpicito. Si ad indiui- dua te conferas: nihil obſtabit, quando proprio gladio iuguleris.

Quieuit enim ab opere quod fecerat, non impedit, quin & ab indiuiduo iam exiſtente, quieuerit: & quidem ab omni illo indiuiduo præſenti: Tu inde reliquorum opus à Deo fieri negas? an non vides textum ſcripturæ quemadmodum de ſpecie: ita de prædeſtinatione loqui? Tum enim omnem quam voluit ſpeciem creauit, & omnium omnia indiuidua prædeſtinauit, vt & à creatione ſpeciei et à prædeſtinatione indiuidui quieuerit. Quomodo inde ab indiuidui creatione Deũ quieſcere probabis? Itaq; ſicut natura nil creat, ſed procreat, hoc eſt conſeruat creatas ſpecies, continua ſucceſſione creationis & corruptionis: ita Deus nullam ſpeciem creat, ſed prædeſtinata indiuidua curſui naturæ infundit. Quoniã ita propoſuit antequam mundus fieret: & iuxta propoſitum ſuæ maieſtatis cuncta condidit. Quid ergò reſpondebimus ad illud argumentum Drymi: Deum damnationis cauſam exiſtere, ſi anima infundatur? Symbulus rectè damnationem ex ſubiecta materia, non ex fine, oriri dicebat. Porrò iam nedum videre, quin & manibus contrectare reſponſionem poteris: Deum nempe animas infundere, non ex decreto creationis: ſed æternitatis, hoc eſt: Non in creatione, neque poſt peccatum: ſed ab æterno, ante iacta mundi fundamenta, hanc infuſionem animarum, ſicut & curſum naturæ, ſtatutam. Quare non vt damnetur, potius autem vt ſaluetur: non quia peccauit homo, ſed quia ab æterno Deus decreuit, animam ſuam nempè, ſuæq; imaginis ſimilitudinem infundit. Id in creatione oſtendit. Omnia etenim ſolo verbo condidit. Hominem ſolũ ex limo terræ conſtruxit: eiq; ſpiraculum vitæ inſufflauit. Hæc diuerſitas creationis, diuerſitatem modi & continuationis à cæteris creaturis ſatis indicat: & quòd otioſus non ſit, quodué mediatè perpetuò agat in hæc inferiora: quemadmodũ immediatè perpetuò generat: patet vtrunque ex ſacris literis. Filij enim generationem, vt pſal. canit, quis enarrabit? quis etiam minimũ hominis pilum ne decidat curat? quis

lapideas illas tabulas in monte Synai conſtruxit, ipſa præcepta in eis ſculpſit? Quis Iſaac, Abrahámne & Sara iam decrepiti operati ſunt? Quid adhuc dicemus, an non quieuit Dominus ab omni opere ſuo? Sed Iſaac quoq; indiuiduum, quemadmodum & Adã eſt: nunquid non ab huius creatione quieuit? vtiq; ab ipſa ſpecie et eiuſdem indiuidui numero: in hoc enim per modum creationis, in illo ſub ratione generationis, idem ipſe operatus eſt. Creatio ſiquidem ſpecierum eſt in primis indiuiduis: Generatio in medijs: Salus & vita æterna in poſtremis. Primus à Deo eſt: ſecundus modus inter homines, & propter hominem in cæteris creaturis: tertius rurſus in Deum finem noſtræ ſalutis deſinit. Primus eſt ex nihilo negatiuo: ſecundus ex nihilo priuatiuo: Tertius ex aliquo in nihilum æternitatis, vbi neq; principium neq; finis datur, conuertitur. Iam videas, ceſſaueritne ab omni Deus operatione. De creatione, diſtinctè reſpondebis: de generatione, particulatim: De ſalute aut morte, in genere, vt dictum eſt. Dices fortè, Deum ab opere duntaxat ſenarij quieuiſſe. Quid putas Deum amplius operari, cuius ſpecies eo die indiuiduo proprio, non ſit expreſſa? aliúdne filius hominis ſpecie, à primo homine, qui per omnia, excepto peccato, ſimilis nobis factus eſt? Conſidera æternam trinitatis emanationem: in creaturis proceſſum ex nihilo, mediante idæa æternitatis, per quam, in qua & propter quam, creata & condita ſunt omnia: in generatione naturæ curſum, ad differentiam indiuiduorum creationis & æternitatis. Indiuidua enim æternitatis ſunt perſonæ in diuinis, in quibus filius immediatè ex patre: Spiritus ſanctus verò ex patre & filio: filius, per æternam generationem: Spiritus ſanctus per æternam vtriuſq; ſpirationem, procedunt. Indiuidua verò creationis ſunt, quæ non immediatè à Deo, ne concurrant cum perſonis diuinis, & fiat perſonarum multiplicatio, ſed mediantẽ generatione naturæ & temporis, proueniunt. Quapropter cùm in æternitate

non ſit ſpecierum multitudo: ſed indiuiduorum potius trinitas: & non indiuiduorum mediatorum, ſed immediatorũ, rectè dicit Propheta, quòd quieuerit ab opere ſpecierum: non autem ab opere indiuiduorum. Species enim eò creauit, vt mediantibus illis multiplicetur indiuiduum, ad diſcrimen perſonarũ in æternitate, quæ immediatè ſine alicuius ſpeciei medio exiſtunt: & perſonarum in creaturis, quæ mediantibus ſpeciebus. Symbulus. Contradicere nõ poſſum, cum neq; hiſcere queam. Vera ſunt quæ Oliſtus dicit: rationi ſimul & autoritati ſacrarum literarũ conſentaneq. Drymus. Vera quidem ſunt: vt potè nondum concuſſa. Fruſtrà autem primo Geneſeos, פריורבו ומלאו tam homini, quàm brutis Propheta tribuit? an non par ratio vtrinq; animæ ex traduce ſeruanda erit. OLISTVS. Si diſtinctè & diſtributè intelligas animam, quatenus eſſe, vitam, & ſenſum complectitur, accedo: Porrò ſi excurras, nõ habes rationem. Propheta, quid aliud verbo fructificandi quàm potentiam vegetatiuã? quid augeſcendi ſiue multiplicandi, quàm ſenſitiuam? quid deniq; implendi verbo ſignificauit, quàm potentiam eſſendi, primum videlicet gradum naturæ? Hæc & hominibus, & brutis, æquè communia, quis negauit? Nondum oſtendiſti Dryme, actum illum intelligendi puriſſimum hiſce verbis exprimi, quinetiam cõtineri minimè. Generationis hæc & corruptionis ſunt, contrariorum item, & quæ mutuò conſiſtere nequeant: Aperi oculos: Videas Prophetam: Inquit enim cap. 2. Formauit quoq; Dominus Deus hominem, puluerem de humo, & inſufflauit in nares eius flatum vitæ, factusq; eſt homo, in animam viuentem. Præterea cap. 1. Faciemus hominem in imagine noſtra, ſecundum ſimilitudinem noſtram. An non vides diſtinctam creationem hominis, & brutorũ? quid puluis de humo? quid flatus vitæ? Hominis hæc ſunt: Duo vtiq; non vnũ, Hoc οὐσία, illud ὑπόστασις operatur. Hoc ſeipſo: illud verbo ſuo creauit. Hoc à ſolo Deo in imagine ſua ad ſimilitudinem ſuã: il-

lud

lud ad ſimilitudinẽ creaturæ, à creatura procedit. Hoc creatione: illud generatione conſtat. Hoc præſtat cæteris animantibus homo: illo par eſt. Aſpice nunc quæ verbo creata ſunt animãtia, ex tradu ce eſſe: Quæ verò ſeipſo Deo, à ſe ſolo proficiſci. Non ſunt plures: vnus eſt Deus. Diuinus flatus ergò ab vno Deo, vnius eſt. Nõ ſeipſum Deus creauit. Fuit aũt ab æterno. Quæ creauit, in imagine ſua equi dem: non aũt omnia ad ſimilitudinẽ. Homo hic eſt, qui & in imagine, & ad ſimilitudinẽ creatus eſt. Reliq̃ animantia in imagine tan tum: hoc eſt, verbo: Dixit enim: Fiat lux: Fiat firmamentũ, & facta ſunt: Congregẽtur aquæ: Germinet terra herbã virentẽ: Fiant luminaria: Reptificẽt aquæ reptibile animæ viuentis, &c. Necdũ vides, quid differat creatio hominis à brutis? Animã hominis Deo relinquas, ne aut vtrũq; ex traduce: aut vel imaginẽ Dei, vel flatũ, creatũ affirmes. Homo hominẽ generat, qua homo: Leo Leonẽ pa ri ratione. Nõ aũt imaginẽ Dei, minus flatũ, niſi Deus. Hic honor Dei eſt: quẽ alteri non dat. Expende hominẽ non ſolũ animã viuen tem: ſed in animã etiam viuentẽ factũ eſſe. Significare hac prepoſitione voluit propheta, idẽ quod Ariſt. tetragono. Trigonus enim in tetragono, ſicut cõtinetur. ita reliquæ animæ potentiæ ex traduce ortæ, in anima intellectuali iã adueniẽte coaleſcũnt. Diſpice ex tra duce naſcentia circa corpus verſari: animã verò circa ſpiritũ: nec curare quæ mũdi, quæ aũt Dei potius ſunt. Id et Pſal. innuit, ita canens: Nolite fieri ſicut equus & mulus in quibus nõ eſt intellectus. Animalis .n homo, vt Apoſt. inquit, non percipit ea q̃ ſpiritus ſunt, Non terreſtria: ſed ſuperna, q̃ in cœlis ſunt, reſpicienda, vna voce vates diuini præcipiunt. Diuinam ergò ſimilitudinem, Diuini luminis vultum in nobis ſignatũ, ex traduce oriri, qua temeritate, quóue piaculo aſſeuerabis? Symbulus. *Qui fit, quòd reliquorũ animaliũ perfecta: hominis verò generatio ſit imperfecta? Quòd reliq̃ animalia ſibi ſimile ꝓducãt: homo nequaq̃. Quãdo vtiq; ꝓpter hominẽ*

reliqua

reliqua animalia ſint. OLISTVS. *Vnam conditionémne hominis paulò antè audiſti? Duas ni fallor. Altera perfectionē parem cum brutis habet: altera ſuperat. Quod igitur ad generationem attinet: par excellentia vtrinq; datur. Quod verò ad finem ſpectat: Nec id obſcurum eſt. Generatio animantium ſimul cum fine iungitur. Naſcitur animal propter hominem. Vtrunque hic perficitur. Quod paulò antè generatum eſt: mox in hominis vſum cedit. Cæterùm hominis finis non vnus, nō ſimplex eſt. Primò hic* ὁμοιότης *ſpectanda: ſimilitudo videlicet morum & animorū, ipſa proximi dilectio: cuius finis, actiuæ vitæ eſt. Deinde* τἀγαθὸν καὶ εὐδαιμονία, *quæ, hîc quidem inchoatur: at in altera vita perficitur. Itaq; non eſt mirum, ſi animantia perfecta hìc ſint quæ præter huius vitæ conditiones nullas habent. Hoc autem intueri præſtat in homine, quòd et huius vitæ perfectionis officia: & illius certiſſima habeat: hîc videlicet piè viuere, ibi verò facie Dei frui: quæ ſumma felicitas equidem eſt. Tu ergò hominem imperfectum, neq; ſimile, qui producere queat, ſtatuis? Oblitus es verbi creaturas? Chriſtus Dominus, nonne verus homo eſt? neq; tamen ex virili ſemine, conceptus de ſpiritu ſancto: Vtiq; per omnia nobis, præter peccatum, ſimilis. Ad perfectionem igitur hominis quòd humanæ conditiones ſufficiant, an nondum percepiſti? Diuinæ quòd eum angelis parem reddant, hoc eſt immortalem & conciuem ſanctorum, necdum intellexiſti? putáſne imaginem Dei, & eius flatum humanum eſſe? Si Dei ſunt quid dubitas?* Symbulus. *Quid tu Dryme ad hæc? quid ego vides.*

Drymus. *Idem ego quod Geneſ. quinto: In die, inquit, quo creauit Deus hominem, in ſimilitudine Dei fecit eum. Deinde: Et vixit Adam triginta & centum annis, genuitq́ in ſimilitudine ſua, iuxta imaginem ſuam: & vocauit nomen eius Seth. Patet ex collatione iſta creationis & generationis, etiam animam hominis ex traduce eſſe. Quæ enim à Deo per creationem, hæc ab homine per generatio-*

rationem fiunt. Deus creauit hominem in ſimilitudine ſua: Adam genuit, & ipſe in ſimilitudine ſua. OLISTVS. *Licet tibi Dryme ita: mihi nō ſic expediet? inſpice proportionem, ac ipſe quod obijcis ſolue. Creauit Deus hominē in ſimilitudine ſua. Genuit Adam in ſimilitudine ſua, iuxta imaginem ſuam Seth. Phraſis verborum eadem quòd ſit, concedo: Phraſis tamen rerum diſcrepat. Similitudo Dei in homine corpúſne eſt, an anima? idem & de ſimilitudine Adæ in Seth, quæro. Sapis? opinor in homine intellectum Dei ſimilitudinem: in Seth, animal, Adæ ſimilitudinem, ſtatues. Ita intelliges, quid Apoſtolus per animalem et terreſtrem hominē: quid item per hominē cœleſtē et ſpiritualē velit. Vides vtrinq; quid* συνεκδοχὴ *innuat? Si tuo tu more, & ego meo pergam. Aut concede in Seth, ſimilitudinem & imaginem Adæ, animalem: aut Dei ſimilitudinē & imaginem in Adā terreſtrem conclude. Si enim proportionem non admittis: infers hominem omni ex parte, ſimilem Deo: quoniā Seth Adæ: Deum ergò corruptibilem et mortalem pones? Manentem ciuitatem in hoc ſeculo oſtendes? Vitam æternā huius ſeculi dices? Nónne anima ſeparatur à corpore & iudicatur, corpore etiam in cinerem redacto? Nónne ipſa immortalis, immortale quoq; corpus, in reſurrectione aſſumet? Vnde hæc glorificatio, ſi Deus mortalis? Quorſum natiuitas, paſſio et reſurrectio Chriſti? Eſt ergò Deus æternus & immortalis: quid adhuc ambigimus imaginē eius & ſimilitudinē æternam & incorruptibilē, cum eo perpetuo eſſe, neq; ab eo vnquam recedere? Si homo imaginē Dei diſtribueret: nil obeſſet quin & crearet. Hoc autē cuius eſt? nonne ſolius Dei? Quis eſt, qui addere cubitum ad ſuam ſtaturā queat?* Symbulus. *Necdum quieſcis Dryme?* Drymus. *Inquieta eſt ſcriptura ſacra, non ego.* Symbulus. *Quid ita?* Drymus. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri: quomodo hoc credam, ſi innocentes animas et puras, corporibus impuris & noxijs iungat: vnde & ipſa labe contracta, æternū*

ardeant ignē? Malo igitur Tertulliano & Auicennæ ſubſcribere: qui nō vitio corporis, vt Platonici comminiſcuntur: ſed animæ, originis peccatum, propagari volunt. OLISTVS. *æternum illud Dei decretum, támne ſubitò excidit? Putáſne animam huius aut illius ab æterno prædeſtinatã: et quæ damnetur non fuiſſe præſcitã? Non ideò damnatur anima, quòd iam infuſa ſit: aut quòd iam contraxerit ab animali homine maculã: ſed quia præſcita eſt ante conſtitutionem ſeculi, ad iuſtũ Dei iudiciũ. Exiſtimas Apoſtoli animã ab animali homine labem non contraxiſſe? ideòne damnatũ? abſit: vas enim electionis fuit ab æterno prædeſtinatũ. Omnes in peccatis cõcipimur & naſcimur: Nō tamen omnes damnamur. Condemnatio igitur non infuſioni diuinæ, non maculæ originali: ſed homini ab æterno ſic præſcito adſcribenda eſt. Nouit enim Deus ſuos: in quibus vocatio & electio Dei qua nos vocauit, elegitq́, firma eſt, et ſtabilis. Cæterùm qui incerti ſunt vocationē & electionē Dei ad ſe ptinere: ex numero damnatorũ ſunt. Atq; hæc eſt certiſſima cauſa ab æterno præſcita, quare hic aut ille damnetur. Itaq; Platonici vitio corporis originale peccatũ cœpiſſe rectè dicunt. Tertull. verò & Auicēna, nec ipſi malè: vitio enim animæ perficitur. Quare neq; corpore neq; anima: vtrinq; aũt peccatũ committitur.* Drymus. *Dicemus ergò totũ hominem cecidiſſe?* OLISTVS. *Priuatione actus vtiq;: ſed non priuatione potentiæ. Hoc eſt amiſit actum veri boni & commutauit in apparens: Potentiã tamen habet eũ actum recuperãdi per Chriſtũ.* Symb. *Dryme adhuc ſpiras?* Drymus. *Moſes eſt Exod.*20.*qui vrget, non ego.* Symb.*audiã.* Drymus. *Ego, inquit, Dominus Deus tuus, Deus æmulator, viſitans iniquitatem patrũ in filijs, in tertijs & in quartis (eorũ) qui oderunt me. Si iniquitatē patrum, filij præſtare debent: Anima quò minus ex traduce ſit quis negabit?* OLIST. *Pœnã exaggerat: nō condemnat: vt terreat à peccato. Quod Aben Eera intelligendũ docet: quando*

filij

filij ſunt paternorũ ſcelerum ſectatores: Cùm in Ezech.ſcriptũ ſit 18.cap.Filius non portabit iniquitatẽ patris:quia fecit iudicium & iuſticiã,et cuſtodiuit omnia ſtatuta mea,fecitq́ ea,ideò viuendo viuet.Reliquũ eſt,vt quænã ſit ἀκολουθία videas. Deus viſitat iniquitatem patrũ in filijs:ergò animæ filiorũ ſunt ex patribus.Valet ne à dicto ſecundũ quid,ad dictũ ſimpliciter conſequẽtia? Baculus eſt in angulo:ergò Monachi nõ debent ducere vxores,eadẽ erit. Symbulus. Vix credo Dryme Syluulã tibi reſtare,quò te cõdas.Drymus. Rides? audies: conſiliarius es? conſulas. Incumbit certè labor: dum neceſsitas vrget. Symbulus. Quis iſte tantus labor? Drymus. Geneſ.9. & Leuit.17. ſic habet: carnẽ in anima ſua & ſanguine ſuo non comedatis: alioquin ſanguinẽ de animabus veſtris requirã. Item: Nam anima omnis carnis,ſanguis eius eſt, pro anima eius eſt. An non vides, ſanguinem animam eſſe, non vnius, ſed omnis carnis? cui dubium ſanguinẽ ex traduce naſci? conclude. OLISTVS. En Drymus cœpit. Symbulus. Quidnã? OLISTVS. infer. Symbulus. rem fortè ridiculam. OLISTVS. acu tetigiſti: certè plus quàm ridiculam. Dryme adfer in lege holocauſtum humanum eſui aptum, & conclude ſi potes. Nónne vides carnis mentionem fieri: ſpiritus nullam? nullus de ſanguine qui ſentiendi facultatem ſimul atque vegetandi complectitur: quin de intellectu ſermo eſt. Mactatio animalium, vmbra futurorum bonorum erat, anagogica illa non carnalia ſunt. Audi Rabi Salomonem, qui ita exponit: Membrum de viuente animali abſciſſum non comedetis, quàmdiu ſcilicet anima eius eſt in illo: neque ſanguinem eius comedetis. Significat ſæpe apud Hebræos animam eam vitam, quæ ſanguine & halitu continetur, atque hic locus de homicida eſt, ne vt in beſtias: ſic in homines crudeles ſimus. Symbulus. Dryme ſuccubuiſti? Drymus. cedo magno cum emolumento, Sed Oliſte, quid ad opiniones illas à Hyeronymo quæ in quadam Epiſtola

recitantur? OLISTVS. *Sunt reuera opiniones: cũ non ſint. Animas enim ſemper fuiſſe: quid aliud eſt, quàm coæternas ſtatuere? Eas de cœlo labi, extra diuinam inſpirationẽ: quis non aliud ab ipſo dicet? Immediatè à Deo generari ais, nonne perſonã, multitudinem innuis? In theſauro Dei olim conditas, antequam curſum conſumarent exiſtimas: nónne otioſas inſinuas? ab intelligentijs eas fieri putas: nónne naturæ curſum confundis? Animas verò homini & bonam à Deo, & malam à principio malorũ ineſſe ſentis? plures mundos certè profiteris. Iam vides Dryme opiniones quas cupiebas.*

De cauſa dilectionis diuinæ erga Iacob. & odij aduerſus Eſau. CAPVT IIII.

DRymus. *Emergit iam tandem, ex præcedente quæſtione, multorum ſegnitate, verbũ Domini Gen. 25. Malac. 1. Rom. 9. depreſſum, intercluſaq́ facultas ſpirat: Quia, inquit maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau aũt odio habui. Puto Symbule rem hanc, quæ diſcutiatur & vtilem & neceſſariũ: quando antecedentia proximè ad eã accedant.* Symb. *Quæris, vt aſſequor, cauſam, cur Iacob dilexerit Dominus: Eſau verò odio habuerit, cur itẽ hic ſeruierit, illi? Difficile ea in parte quicq̃ decidere Dryme, etiam Apoſtolo erat.* Exclamabo *igitur potiùs cũ eo, quàm reſpondebo. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm incõprehenſibilia ſunt iudicia eius, et inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.* OLISTVS. *Sobriè ſapere non eſt interdictũ. Dicam ergò, quod ſentio. Poſtq̃ Apoſtolus non ſecundum carnẽ, quin ſecundum ſpiritum incedendum docuit: Quid vtrunq; ſit, exemplo oſtendit Eſau et Iacob. Hunc ſecundũ promiſſionem: illum ſecundũ*

carnem definit. Huius cor ad iuſticiam Dei, & oris confeſſionẽ ad ſalutem: illius cor ad iuſticiam ſuam: non Dei, et oris confeſſionem, ad mortẽ, ſtatuit. Hinc eſt vt paucos ex Iſrael: multos ex gentibus vocatos, cùm videt: exclamatione illa vtitur, tamen conſolatione antea facta, & Myſterio annexo. Ita habet Symbulus ἀρείας cauſam. Iam ad Drymum venio, Quæſtionẽ hanc intelligere cupis? proportiones aliquot imprimis expendas: videlicet, temporis, ſexus, indiuidui: item conditiones indiuidui, & excellentiã. Prima proportio triplex tempus requirit. Inane, legem, & gratiam. Inane eſt totum illud Abrahami ſpatium, quo Adamũ reſpicit: Lex eſt interuallum illud Abrahæ & Meſſiæ: Gratia à Chriſto benedicto, originem traxit, ad finem vſq; ſeculi duratura. Secunda proportio, & ipſa trifariam conſideranda venit: Sexus nempè primi temporis, Eua, Cain & Abel: ſecundi, Rebecca, Eſau, & Iacob: Tertij, Maria, Chriſtus et Iudas. Tertia proportio, quæ indiuidui, fit iuxta veterem & nouum hominem: animalem et ſpiritualem. Cæterũ conditiones vtriuſq; indiuidui penes lapſum veteris, & regenerationẽ noui hominis, expendendæ ſunt. Poſtremò excellentia indiuidui, in collatione mortis et vitæ, conſiſtit. Itaq; Dryme, accede propiùs, ac quod cupis intuere. Nonne Abel, Iacob, et Chriſtus benedictus, paſtores iuſti, pij & ſancti erant? An verò Cain Eſau, & Iudas ſimiles? numquid nõ iniqui & impij? Chriſtus redemptor: Iudas proditor fuit. Iacob primogenita magni fecit & emit: ſimul atq; benedictionis, et promiſsionis particeps factus eſt. Eſau primogenita nihili pẽdit, vẽdidit & nihilominus potior eſſe voluit. Abel ſacerdos placuit Deo: Cain fratricida diſplicuit. Eua dilexit Abelem: Sara Iſaac, etiam Abrahã renitente, hæredẽ, filio ancillæ pulſo, ſicut inſtituit: ita Rebecca, Iacob participẽ, benedictionis reddidit: qua tamẽ Iſaac Eſau tradere propoſuerat. Maria totaq; Eccleſia ſponſum ſuum Ieſum filiũ Dei, vnicũ celebrat: quẽ mundus ſpernit & occidit. Hic

eſt, qui debellauit Sathanam, & veterem hominem vicit: nouumq́ ſui ſanguinis aſperſione effecit. Hic naturæ integritatem recuperauit, & terreſtrem hominem conculcauit: vt ſpiritualem excitet. Hic eſt qui penetrauit cœlos, Ieſus filius Dei, vnica ſpei noſtræ confeſsio. Hic eſt pontifex ille ſummus, qui compatitur infirmitatibus noſtris, tentatus per omnia pro ſimilitudine, abſq; peccato. Ad eius gratiæ thronum pro conſequenda miſericordia & inuenienda gratia, in auxilio opportuno aditus noſter eſt. Intellextin hæc? Drymus. *Præſto labor finem.* OLISTVS. *Nondum vides proportionis ordinem? nondum præſcientiæ ſtatum? En dico, nequaquam plures ſunt. Boni alij: alij mali. Linea bonorum ab ipſo Abel, per Iacob ad Chriſtũ deſcendit: mala verò à Cain initio ſumpto: (primus enim eſt, qui originali peccato mortem adiecit, ſe ſuosq́ indignos futura redemptione reddidit) per Eſau ad Iudam, deriuatur. Quid adhuc dubitas? Eſau namq; non ideò odio habuit Deus quia homo: quia filius Iacob: quia ex ſtirpe Abrahæ & filius Iſaac: quin quòd præuiderit & præſciuerit eum ab æterno ex linea Cain: maledicta equidem & inde à ſeculo damnata.* Drymus. *Qui fit, quòd Eſau directò, hoc odiũ ſpectat? praui & iniqui haud plures ſunt?* OLISTVS. *Quandoquidẽ promiſsio in ſemine Abrahæ & Iſaac fuerit: Iacob & Eſau confundendos terminos exiſtimas? Diſcernere vtiq; operæprecium eſt, populum electum qui in Iacob prædeſtinatus erat, ab Eſau, maledicti propagatore, præſcito.* Drymus *Cur inquit, Maior ſeruiet minori? Eſau tamẽ & natu maior & opibus fuit, & paterna hæreditate potitus.* OLISTVS. *Opinaris, de perſona tantum Eſau, & de poteſtate huius mundi ſermonem domini intelligendum?* ἀναγωγὴ *eſt. Superior quàm putas intelligentia, ſubtilis ac excelſa hîc latet. Eſau veterem hominem: Iacob nouum ſignificat. Semen verò Iacob, quòd contriuerit caput ſerpentis, quòd vicerit mundum, quòd penetrauerit cœlos, necdum vides?*

terram

terram anteà, melle & lacte fluentem, ab Eſau poſſeſſam, ab Iſraële receptam? Vbi panis ille angelorum? vbi vox Domini ad populum? Dux Dominus, populi: populi, Dominus protector. Adhuc dubitas maiorem minori ſeruire? Iacob iure à Deo diligi? Ecce: Miſerebor, inquit cuius miſereor: & miſericordiã præſtabo cuius miſerebor. Non volentis, neq; currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Propter meritúmne Iacob, diligitur? abſit: ſed propter eum in quo miſeretur, & cuius miſeretur. Iacob hic eſt? nequaquam: ſed ſemen illud benedictionis, ex tribu Iſrael Chriſtus Dominus. Propter hunc miſericordiam Iſrael conſequitur & υἱοθεσίαν, propter hunc Iacob dilectus eſt: quia hic ex ſemine Iacob ortus. Accepiſtin? Drymus. *vtique.* OLISTVS. *Quid impediet, quò minùs, cùm inquit Apoſtolus: concluſit Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur, intelligas?* Drymus. *vt nec quicquam noſtris meritis, quin omne id, gratiæ Dei, acceptũ referamus.* OLISTVS. *rectè.*

De Electis: CAPVT V.

SYmbulus. *Mea quidem ſententia conueniret, vt etiam de electis quæſtio, admodum ſuperioribus cognata, tractaretur.* Drymus. *Expedit ſanè vt diſcutiatur. Opinor, ſi ille locus Matth. 22. Multi ſunt vocati: pauci verò electi, fuerit excuſſus, maximam præſenti negotio lucem allaturum.* OLISTVS. *Non incaſſum eius loci memini ex Apoſtolo Rom. 11. concluſit Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur. Omniũ ergò electio?* Drymus. *nequaquam.* OLISTVS. *omnium incredulitas?* Drymus. *vtique.* OLISTVS. *Vocatio ergò & electio non conuertentur?* Drymus. *minimè conuertentur.* OLISTVS. *Rectè. Quid igitur prohibet, vt hunc locũ percipias? Quod enim optabas, habes, Multitudo vocatorum bonitatem Dei indicat: qui omnes homines ſaluos eſſe cupit. Paucitas electorũ & ipſa*

multitudinem obduratorum ſignificat. Non es electus: tua vtiq; culpa: qui electionem ſpernis: excæcari mente à Deo huius ſeculi pateris, ne fulgeat tibi illuminatio (vt 2. Corinth. 4. patet) Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei. Auferas hunc obicem, & quid ſit electus, intelliges. Túne idololatras, & auaros idolis ſeruientes, ex numero electorũ ſtatuis? fornicatores? immundos? impudicos? Luxui deditos? veneficos? inimicitiarum fotores? contentioſos? æmulatores? homicidas? ebrietatibus, commeſſationibus et ſimilibus conſecratos? an ignoras talia agentes, regnum Dei non conſecuturos? Quid iam ſint electi quæris? Habes diuerſos à damnatis? eos electos ſcito. Drymus. *Electorum fructus Apoſtolus 5. Gal. aſsignat charitatem, gaudium, pacem, patientiam, longanimitatem, bonitatem, benignitatem, manſuetudinem, fidem, modeſtiã, continentiam, caſtitatem, aduerſus eiuſmodi, inquit, non eſt lex.* OLISTVS. *hoc fac & viues.* Symbulus. *Quidam ex eo Matthæi loco inferunt, neſcio quamnã ſiue libertatem ſiue ſeruitutem. Sum inquiunt, electus, bonis non egeo: non ſum electus, fruſtrà eò contendo.* OLISTVS. *dixi ſuperius, per ſe vocationem & electionem Dei, qua nos vocauit, elegitq́, firmã ſatis exiſtere: tibi tamen non eſt firma & ſtabilis, quàm diu incertus es, ad te eã quoq; pertinere 2. Pet. 1. Itaq; ambiguitate iſta, indignum te reddis vita, & ab electione, te ipſum volens excludis. Vult Petrus, vt vocationem noſtram non incertam: ſed certam & ſtabilem reddamus. Cauendum ne ſemen, aut in petroſa, aut in ſpinoſa, aut ſecus viam cadat: quin potius vt nos exhibeamus filios obedientiæ ad vitam: vt ſimus ager fertilis, & fructum in tempore opportuno abundantem afferamus.* Symbulus. *An verò ignari ſuæ ſalutis ſunt ex numero electorum?* OLISTVS. *Petroſi, ſpinoſi, & ſecus viam poſiti, omninò ignari ſunt ſuæ ſalutis, ac reuera filij perditionis cenſendi: Cæterùm filij obedientiæ ex terra bona orti: ij*

demum nequaquam ignari ſunt ſuæ ſalutis. Porro qui nondum ſuc-
creuerunt: necdum ſeminati: ignari quidē ſunt, ignorātia actus nō
potentiæ. Cùm aūt potentia illa deducta fuerit ad actum, tum
demum & ij certi & ſtabiles erunt. Ideò Dominus diuerſos opera-
rios in vineam ſuam conduxit, alios primos: alios nouiſſimos: alios
medios. Nam & matutini, & veſpertini, & pomeridiani ſunt.
Symbulus. Quid obſecro. 8. Roma. Apoſtolus ſibi vult, inquiens.
Quos præſciuit: & prædeſtinauit: conformes fieri imaginis Filij ſui
vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus: Quos autem prædeſti-
nauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos
autem iuſtificauit, illos & glorificauit. Hic ego prædeſtinatio-
nem priorem vocatione conſpicio: Deinde vocatos omnes iuſtifica-
tos & glorificatos. Quid igitur eſt quòd paulò antè ex Math. dice-
batur: multos vocatos paucos verò electos? Hic contrarium ſpecto.
OLISTVS. Hanc coordinationē, electorum tantū eſſe, Apo-
ſtolus paulò pòſt declarat, inquiēs: Quis accuſabit aduerſus electos
Dei? Et paulò antè: Scimus autē qnoniam diligentibus Deum, om-
nia cooperantur in bonum ijs qui ſecundum propoſitū vocati ſunt.
Vides ergò ſolutionem? Nonne Math: in genere, hic verò in ſpecie
Apoſtolus loquitur? Quos inquit præſciuit ſecundum propoſitum
vocatos, eoſdem & ſecundum idem propoſitū prædeſtinauit. Hoc
ꝓpoſitū exponit, cū inquit: Et prædeſtinauit conformes fieri imagi-
nis Filij ſui. Hos ergò ſic prædeſtinatos vocauit: vt iuſtificaret &
glorificaret. Cæterū, quos vocauit, extra hoc propoſitū: qui vocatio-
ni ſecundū hoc propoſitū, non obtēperant: quib. hoc propoſitū par-
tim ſcandalū: partim ſtultitia eſt. Iſti vtiq; p̄ſciti & p̄uiſi ad mortē
& nequaquam p̄deſtinati ad vitā ſunt. Inde patet vocationē in ge-
nere omnia præcedere, & tam ad electos, quàm ad damnatos ſpe-
ctare, & quæ ſolo hoc propoſito diſcernitur. In ſpecie verò, vt præ-
ceſſit: ita prædeſtinationē ſequitur. Quò fit vt vocatio partim ex-

terna, partim interna ſit: Illa præcedit omnia & eadẽ eſt, tã in electis: quã in dãnatis: Hæc electorũ eſt duntaxat: quæ audito verbo, & aſſenſu expoſito, ꝑ ſpiritũ ſanctũ magis ac magis excitatur, & confirmatur. Fides enim ex auditu. Et quomodo credent qui non audierunt? Itaq; ſecunda hæc vocatio, qua recipimus ſpiritum ſanctum, fit iam nobis prædeſtinatis: prima verò omnia, & præſcientiam antecedit. Licet in Deo nihil ſit prius aut poſterius: id tamen ratione noſtri dicimus. Porrò differentiam inter gratiam peruenientem, conſequentem, & eorum quæ huc pertinent, vlteriorem declarationem in Encyclopædia habes. Iam manifeſtum eſt Symbule quod voluiſti. SYMBULUS. *Intellexi neminem exiſtere vocatum neque vocationi obedire, niſi prædeſtinatum: quam electorum tantum, ſiue ſecundam dicebas. Reſtat &, vt ad hunc locum 33. Exo: & 9. Rom. reſpondeas: Miſerebor, inquit, cuius miſereor: & propiciabor cuius propiciatus fuero. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Ergò cui vult miſeretur: & quem vult indurat. Ego inde non obſcurè elicio neminem ſua culpa perire. Voluntati enim Dei quis reſiſtit?* OLISTVS. *Apoſtolus ipſe hunc nodum explicat, cùm inquit paulò pòſt: Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen: ſicut Sodoma facti eſſemus & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus. Itaque ipſe videas: nulla difficultate dilues obiectionem. Miſerebor, inquit cuius miſereor, hoc eſt, miſericordia mea eſt filius meus vnigenitus, cuius gratia miſereor populo meo, quò minùs iam olim eum conſumpſerim: duræ enim ceruicis eſt. Sicut 32. & 33. Exodi patet. Deinde ſicut huius populi miſereor propter filium: ita miſerebor & gentium, vt Oſeæ. 2. dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam, Tria ſunt in hoc ſermone animaduertenda. primo.* וחנתי *& miſereor. Secũdo* את אשר *Cuius-*

ſiue

ſiue hunc quem. Tertio אתו miſerebor primū ad populū Iſrael, tertium ad Gentes, mediante ſecundo qui eſt Ieſus Chriſtus refertur. Itaq; non eſt volentis neque currētis, ſed miſerentis, hoc eſt, non eſt noſtrorū meritorū, ſed ſolius ſeminis benedictionis, Chriſti benedicti in hoc vnico ſumus ante conſtitutionē mundi, electi, in hoc miſericordiam conſecuti, vt eſſemus ſancti & immaculati, in conſpectu eius, in charitate, non noſtra: ſed Dei, qua nos ipſe prior nobis dilexit. Quod autem indurat quem vult, & miſeretur cuius vult. Hic diligenter expendenda eſt vox indurationis, σκληρύνω. enim ſignificat obduro, ſeu induro hoc eſt rē anteà durā, magis durā reddo. Reſpōdeamus nunc iuxta duplicē populum, electum & maledictum. Illum nunquam indurat, ſed potius eius miſeretur, propter filiū. Huius nunquam miſeretur, quia ſpernit filium: Duræ ceruicis eſt. Ideo dum auertit Dominus faciem ſuam à maledicto, & relinquit eum in ſua impietate: indurare dicitur, hoc eſt, etiam reliquum luminis auferendo, pertinaciorem reddere. Ergo cū Deus oſtēdit iram, & notam facit potētiam ſuam, nequaquam in electis: ſed in damnatis, vtpote filijs iræ & mortis. Exemplo eſt Pharao: ante ipſum diluuij pœna: Hodie Iudæi, Turcæ, & qui Chriſtum Dominum ſpernunt, ac ludibrio & oſtētui habent. Symbulus. *Igitur miſericordiam conſecuti, perfectionē priſtinam ſumus?* OLISTVS. *vtique, in Chriſto.* Symbulus. *Quare igitur eam naturæ libertatem non habemus: quam ante præuaricationem primus parens?* OLISTVS. *Audiſti quod dixerim in Chriſto? Oportet nos, ſicut Chriſtus, in Chriſto mundum vincere, mori & reſurgere. In hac vita habemus certam fiduciam, ſeu potentiam perfectionis, æternæ vitæ: In illa verò certam diuinæ maieſtatis præſentiam, & actum, æterni gaudij. Oportet nos Chriſto compati: & conregnabimus. Neceſſe eſt in Chriſto mori: & in eo reſurgem⁹. Hæc vita eſt merū certamen. Qui perſeuerauerit vſque in finem ſaluus erit: perfectus & feliciſſimus.*

De libero arbitrio CAP. VI.

DRymus. *Quin liberum arbitrium, quo de, multi multa, vbi?* Symbulus. *primus parens integritatem naturæ, lapſu amiſit. Spiritualem virtutem, animalem reddidit: vt hic non amplius, quæ ſpiritus ſunt, percipiat.* Drymus. *quid nã in hac cõmutatione vis? prorſúsne Spirituale illud lumẽ euanuit? aut animali & terreſtri iſta mole opertũ, & infoſſum eſt?* Symbulus *Subſtantiam auferre, impium: operationẽ admittere iniquũ. Quid adhuc dicemus?* OLISTVS. *rectè vterq;. Agamus verò paulò apertiùs. Si neque ſubſtantiæ minus homo quàm anteà habet, neq; magis ſuſcipit. Quomodo libero arbitrio caret? Rurſus. Si arbitriũ præter ſubſtantiam aliud quippiam, Quid adhuc de arbitrij ſenſu, ne dicã corruptione, ambigitur? Iterũ. Si aliud & diuerſum, à ſubſtãtia eſt, An nõ accidẽs erit? priuationiq́; aptũ, an non & abeſſe & adeſſe poterit. Denuo. Si nil horũ eſt, Qua de re diſputatur? Eſt vtiq; ſubſtantia, recipit & priuationem, neque tamen præter ſubſtantiam aliud admittit: neque accidens eſſe poteſt: neque ab hominis conſtitutione vnquam diſcedit. Quamdiu homo, haudquaquam ſine arbitrio. Eſt igitur arbitrium hominis, & purum & ſimpliciſſimũ non minùs quàm anteà: neque ſeruum, ſed liberũ: neque quod à quoquam comprimatur, quo nomine ſeruum ſit.* Drymus. *hæc ſententia blaſphemorum, hominumq́; execratorum eſt. Si liberum arbitrium datur, an vt trahamur egemus? ad quid paſtor? quare pontifex ille ſummus, qui penetrauit cœlos? Cur hic neſciunt, inquit, quid agant, an liberum arbitrium ignorantiam admittere putas? Quam obrem Apoſtolus ait. Non quod volo bonũ, ſed quod nolo malũ hoc facio?* OLISTVS. *Ecce Dryme & obijcis ipſe & ſoluis. Nonne Apoſtolus vult bonum, contrarium tamẽ facit? Non ergo arbitrij libe-*

liberi ſubſtantia eiusq́, excellentia, ablata, aut ſerua eſt: ſed operatio duntaxat. Atque hoc pacto omnis creatura bona eſt: etiam Dæmonum: Mala autem eò dicitur, quòd conceſſis bonis vti nequeat. Hac de re in Eulogo noſtro copioſiùs diſſeruimus. Drymus. *Quid aliud eſt non poſſe officio fungi, quàm* Seruum *eſſe? illa ſanè impotentia, per priuationem potētiæ, quæ à fortiore procedit, ſerua eſt. Aliúdne tu ſeruū aut mancipiū dices quàm ſubiectum fortiori, vt non ad ſuū, ſed domini ſui ad nutū viuat? nil quod ipſe, quin quod dominus voluerit agat? Si arbitrium in homine concedis, operatione libera priuatum: quid ſeruum negabis?* OLISTVS. *arbitriū liberū in homine ſtatuo internū, non externū: vel vt Scholaſtici loquuntur, potentiæ, nō actus. Velle nobis adiacet: primus nempè motus, ab interiore mentis cōceptu proueniens. Perficere noſtrū non eſt, ſecundū videlicet motum, quem Philoſophi effectum vocāt, producere. Vt igitur illud liberi arbitrij velle perficiatur: à Deo eſt, Seminis benedicti eſt. Quare liberū arbitrium quod ad potentiā, interiorē virtutem ipſumq́, velle attinet: hominis, nemo niſi demēs, eſſe, negabit. Si porro ſpectes exteriorem actionem, vſum eius, effectum ſeu perfectionem: rurſus à ſolo Deo, nemo niſi & ipſe demēs, inficias ibit. Quomodo aliàs intelliges illud, Non ſaluabit te, ſine te?* Symbulus. *Et quā rationem, exiſtimas Oliſte ſubeſſe, quòd perficere hoc noſtræ voluntatis nobis adēptū ſit?* OLISTVS. *Serpētē illum antiquū cauſam fuiſſe huius miſeriæ patet. Non potuit hominis interiorem voluntatem ſeu mentis certiſſimū conceptū auellere: quin firmiter crederet mandatum Dei eſſe. Propterea aſtutus callidè, ſimilitudine Deorum & apertione non mentis, ſed oculorum, ad eſum pomi hominem allexit. Ideò pœna culpam conſecuta, perfectionē & actum interioris contractus, prohibuit: vt quod bonum velimus, ſicut tum, malum potius agamus. Sed hanc reſtaurauit ſaluator: cuius virtute intellectus noſter illuſtratur, cùm quod*

D 3 volu-

volumus perficimus, hoc eſt, vtriuſq; certitudinẽ cernimus: quæ hic ſuprema felicitas equidem, quin & ibi eſt. Symbulus. *Quid igitur dicemus Seruum arbitrium.* OLISTVS. *non certè aliud quã impotentiã perficiendi: quod aliâs & purum & perfectiſſimæ creatiõis eſt.* Symbulus. *Quid liberũ.* OLISTVS. *beneficiũ filij hominis quò verè liberi ſumus. qui enim in Chriſto ſunt, eis nulla ampliùs dominabitur mors: nulla reſtabit damnatio.* Symbulus. *Quid hoc beneficium?* OLISTVS. *cognitio filij Dei in natura, obſcura: in lege clarior, modo per gratiam Dei clariſſima in Chriſto. Scire ergò Chriſtum vera libertas eſt, vera redemptio: ipſaque vitæ æternæ poſſeſſio. Plura in Veteris Eccleſiæ Effigie.*

De Sacramento Euchariſtiæ
CAPVT VII.

Drymus. *Beneficiũ Dei, dicebatis cognitionem filij. Quid aũt hæc?* Symb. *voluntas patris.* Drymus. *Si voluntas, Spiritum ſanctum, tertiam in diuinis perſonam exprimit: quomodo filium ſignificabit?* Symb. *Voluntas patris & filij eadem eſt: idem nempè ſpiritus ſanctus, ab vtroque procedens.* Drymus. *Voluntas igitur cognitio?* Symbulus. *Hic ſpiritus Dei, mouebat ſe ſuper faciẽ aquarũ, per hunc, etiã Gentibus & pater & filius innotuit.* Drymus: *Quid eſt cognoſcere filiũ?* Symb. *Idem quod cognoſcere patrem. Qui illum nouit: nouit & hunc.* Drymus. *Quid eſt ſcire vtrunq;* Symb. *Spiritum ſanctum habere. ab hoc enim ſapientia omnis & ſcientia.* Drymus. *Quid hoc totum?* Symbulus. *Deus.* Drymus. *Quid igitur eſt ſcire Deum?* Symbulus. *in eum verè credere ac ex toto corde & in tota anima & in tota mente: Deinde proximum ſicut ſeipſum, diligere.* Drymus. *At hoc quis potuit?* Symbulus. *Chri-*

ſtus

ſtus Dominus. Drymus. *Solus Chriſtus?* Symbulus. *vtique.* Drymus. *vbi nos?* Symbulus. *in Chriſto.* Drymus. *Quid eſt eſſe in Chriſto?* Symbulus. *Chriſtum in nobis.* Drymus. *Quomodo in nobis?* Symbulus. *per communicationem et participationem.* Drymus. *Quid hoc eſt?* Symbulus. *Apoſtolus* I. *Corinth.*10. *clarè docet inquiens: Propter quod cha riſſimi fugite ab idolorum cultura. Vt prudentibus loquor: vos ipſi iudicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus: nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? et panis quem frangimus, nón ne participatio corporis Domini eſt? Quoniam vnus panis, et vnum corpus multi ſumus: omnes quidem de vno pane, et de vno ca lice participamus. Videte Iſraël ſecundum carnem: Nónne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris.* Drymus. *Quid eſt com municatio ſanguinis et participatio corporis.* Symbulus. *Apo ſtolus* I. *Corinth.* II. *ſic docet: Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis: quoniam Dominus Ieſus in qua nocte trade batur, accepit panem: & gratias agens fregit, & dixit: accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vo bis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnauit dicens. Hic calix nouum teſta mentum eſt in meo ſanguine: hoc facite in meam commemo rationem. Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Drymus. *Hæc ſcripturæ loca, ſunt admodum ambigua: et qui bus omnes ſectæ vtuntur pro arbitrio. Optarem igitur tuum quo que iudicium audire.* Symbulus. *Verba clara ſunt, neq; egent ali qua interpretatione. Porrò quod nõnulli ea flectãt ſecundũ placitũ, ipſi viderint. Petrus Epiſt.*2.*ca.*3.*ait, eos indoctos & ἀϛηρίκτους de prauare Pauli, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.* Drymus. *Tu ergo hæc ſimpliciter intelligis?*

Sym.

Symbulus *diſperiam ſecus ſi ſentio.* OLISTVS. *Pia fuit hæc veſtra collatio: & quæ me oblectauit vehementer. Satius eſt mea quidem ſententia, vt Apoſtoli interpretationi aſſentiamus: quàm inſipientium errore traducti excidamus* τοῦ ἰδίου ςηριγμοῦ, *vt Petrus ibid. Si bene textus Euangelij cum expoſitione Paulina expendatur: non video aliquid difficultatis ſubeſſe, quò minùs tota controuerſia dirimatur. Sed hac de re, plura in Effigie veteris Eccleſiæ.*

De Spititus ſancti donis & ſpiritu ſancto an conueniant. CAPVT VIII.

DRymus. *Dictum eſt paulò antè, ſcire patrem & filium, eſt ſpiritum ſanctum habere: à quo Sapientia omnis & ſciētia. Itaq; idēne ſunt Spiritus ſancti dona, & Spiritus ſanctus?* Symb. *Eſt ſpiritus ſanctus: errorē non admittit. Dona ſpiritus ſancti poßidet: aliquatenus labi poteſt. idē ergóne ſunt?* Drymus. *Separandum Spiritum ſanctum quis vnquā aſſeruit qui indiuiſibilis in omnem æternitatem eſt.* Symbulus. *Vno cōuertibili ſeu metaphyſico, & relationis ſeiungi donū Spiritus, ab ipſo nemo quod ſciam aßeruit. Correlatiuis autem, Idem eſſe contendis?* OLISTVS. *Perſona tertia in diuinis, coæqualis patri & filio, vna & indiuiſibilis ac prorſus inſecabilis, vbique eſt, omnia replet: Tam bonis, quàm malis adeſt: omnia efficit, mouet atque excitat. Donum Spiritus Diuini, eſt lumen cordibus infuſum, quo mediante, in veram Dei agnitionem peruenimus, & quæ Dei ſunt agimus, eiſq; toti incumbimus. Hoc donū pro diuerſitate ſubiecti, & obiecti diuerſum eſt, ſicut* 1. Cor. 12. *habetur. Idem aūt ſpiritus. Et diuiſiones miniſtrationum ſunt: idem Dominus. Et diuiſiones operationum: idē Deus, qui omnia in omnibus operatur. Sic vnicuique datur manifeſtatio Spiritus, ad vtilitatem, huic per Spiritum datur, ſermo ſapientiæ: iſti ſcientiæ, ſecundum eundem Spiritum.*

tum: Illi fides, in eodem ſpiritu: alij gratia ſanitatum, in vno ſpiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc omnia operatur vnus atq; idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Vides nunc quomodo hæc conueniant? Drymus. *facilè differentiam cerno: aliud nimirum eſt ſubſtantia ſpiritus: aliud operatio eiuſdẽ, licet ex ſubſtantia. Reſtat, vt hoc quoq; intelligam, an vnius generis donum, puta ſcientiæ, in omnibus æquale ſit?* Symbulus. *neutiquam.* OLISTVS. *Vnum illud donum, alijs perſpicuè traditum eſt, vt Iſraelitis: alijs obſcurè vt gentibus, quæ ductu naturæ quaſi cognouerunt Deum: per hæc videlicet viſibilia, vt Apoſtolus inquit, rapiebantur, in inuiſibilium amorem. Itaq; ſpiritus ſanctus nunc per naturã operatur, ſicut in Cornelio: nunc per legem quemadmodum in Abraham: nunc per gratiam & Domini aduentum, vt in Apoſtolis & cæteris fidelibus. Hæc operatio eadem et æqualis in omnibus ratione habitudinis abſolutæ. Quod ſi relatio accedat diſſimilitudinem parit. Verùm nil refert, ſi vas vaſe maius ſit: dummodò vtrunque plenum.*

De Imagine Dei. CAP. IX.

DRymus. *De Deo iucundiſſima hucuſque collatio. Quid oberit, ſi & de imagine eius nonnihil quæramus?* Symbulus. *proderit multum.* Drymus. *Ergò verborũ Geneſeos, quorũ et anteà meminimus* בצלמנו כדמותנו *in imagine ſecundum ſimilitudinem indagandus eſt ſenſus.* Symbulus. *res maior, quàm vt à me decidatur.* OLISTVS. צלל *et* צלה *obiectum & adumbratum interpretamur:* צל *vmbrã* צלם *imaginem* בצלם, *in imagine* בצלמנו *in imagine noſtra. Similiter* דמה *ſimilem eſſe ſeu conformem alicui rei vertimus:* דמות *ſimilitudinem* כדמות *vt ſimilitudo* כדמותנו *ſecundum ſimilitudinem. Itaq; Deus fecit hominem,*

minem, in imagine, hoc eſt verbo ſuo: quod nos in filio exponimus. omnia enim facta ſunt, vt Ioan. teſtatur, in ipſo, cum ipſo, & per ipſum. Iis ſimilitudo annectitur: vt creaturarum diſtinctio in imagine conſtet: aliæ namq́; creaturæ in imagine tantùm: aliæ præterea ad ſimilitudinem conditæ ſunt. Ex hoc ordine homo eſt: ex illo ea quæ propter hominem. Similitudo hic magni myſterij vox eſt: vtpote incarnationis. In filio creati ſumus: per filium redempti, per filium ſimiles eidẽ: quin υἱοθεσίαν *conſecuti* καθὼς ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ πρὸ καταβολῆς κόσμου, εἶναι ἡμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους κατενώπιον αὐτοῦ ἐν ἀγάπῃ. *Hiſce verbis: vt eſſemus ſancti & immaculati, Apoſtolus interpretatur, illud Prophetæ: ad ſimilitudinem. Sanctus & immaculatus Dominus eſt: tales & nos creati. Diſsimiles præuaricatione: ex ſanctis, impij: ex immaculatis, ſordidiſsimi facti ſumus. Cæterùm Chriſti victoria diſsimilitudinem abſtulit. Deinde non tantum ſanctos & immaculatos: ſed & hæredes ſuos inſtituit. Aduertiſne ſacrarũm literarum immenſitatem? intelligis iam demũ Imaginem Dei? Hæc in exercitatione Bibliorum fuſiùs.*

De Ceremonijs.

CAP. X.

DRymus. *Myſterium diuinæ imaginis probè, vt opinor, conſecutus ſum. Similes proinde ſumus Deo? in vno ſpiritu omnes nos, & in vnum corpus baptizati? in vno ſpiritu potati? multa membra, vnum corpus: in idipſum inuicem ſolicita? cur ergo ſchiſma in corpore?* Symbulus. *Quid ita?* Drymus. *patitur membrum, an non reliqua gaudent? gaudet ipſum, nónne cætera lugent? necdum vides corpus Chriſti ſciſſum: vt iam, non membrum de membro, quin hoc contra illud ſit.* Symbulus. *verſaris in genere, ad ſpeciem deſcendas, optarem.* Drymus. *Chriſti cor-*

pus Eccleſiam eſſe, ignoras? ſpeciem quæris? ſaltem illam diſceptationem quæ de cæremonijs eſt, inſpice, Dubitabiſne? Symbulus. *apud me, res noua.* Drymus. *Vt prætercam vetuſtam Græcorum & Romanorum, hoc de themate, concertationem. An non præſentia tempora cernis? condendæne quibuſdam in Eccleſijs, & inſtaurandæ ſint ceremoniæ? Eſtnè pax & tranquillitas inter Italos & Germanos facienda?* Symbulus. *pacem communem præſertim, impedire, non hominis: ſed maligni dæmonis eſt, ceremonias condere aut inſtaurare: id iudicij, penes me non eſt. Exiſtimo autem præſtare, vt inſtaurentur, piæ, quàm nouæ condantur: cùm finis ſeculi, non iam inſtet, ſed extet.* Drymus. *laxare frena pontifici Romano conſulis? recipiendas ſtatuis? quomodo negas?* Symbulus. *pias. Nam vbi quis benè nemo melius.* OLISTVS. τῇ ἀληθείᾳ. *Si negotium expendatur: quæ hîc difficultas? quis non* φιλονεικίαν *pernicioſiſſimum virus huius controuerſiæ cauſam videt? Impium certè & execrandum, propter exiguas & modicas, aut ferè nullas cauſas, vnitatem Eccleſiæ ſcindere: corpus Chriſti in fruſta ſecare. Nónne iſti homines furijs infernalibus agitantur? excolant culicem & glutiunt camelum? Quid cæremoniæ piæ, ad ornatum Euangelicæ doctrinæ, & Chriſtianæ Eccleſiæ, ſpectantes obſunt? allicere homines ad pietatem colendam & propagandam: ad charitatem excitandam, malum erit? Malo noſtro & damno experimur, extincta charitate, quales ſimus: æs videlicet ſonans, Cymbalum tinniens, homineſque nihili. Necdum vides tot ſacrilegia? tot ſpolia? tot viua Chriſti membra conculcari? Patrimonium Chriſti à paupere nunquam: à diuite ſemper poſſideri? Vnde hæc? nonne ex refrigerata charitate? aufer cæremonias promiſcuas, & indifferentes: res certas, indubitatas & neceſſarias, permittes? Ita fit, vt conceſſo vno abſurdo, plura ſequantur.*

E 2 *Expen-*

Expende Dathan & Abiron viuos à terra abſorptos: nónne quia elati erant aduerſus Eccleſiam Dei? combuſti ſunt Nedab & Abiu nónne propter ignem alienum? cur Core conſumptus: Achab & Iezabel, à canibus deuorati: pueri illudentes Heliſeo, ab vrſis dilaniati: Ozias leproſus factus: Saul, regia vnctione ſimul & prophetico ſpiritu priuatus? nonnne propter φιλοτιμίαν, ipſamq́; perturbationem & excitatum tumultũ in Eccleſia Dei? Quis eſt, qui imaginum exuperantem cultum, idololatriam neget? Quis reliquiarũ abuſum execrabile ſcelus? Nónne ob imaginũ pertinacem abominationem, olim Philippus & Leo tertius, Imperatores damnati ſunt? Nónne reliquiarum irreuerentia, à Vigilantio Gallo progenita, ab Hieronymo profligata fuit?

De Concilijs & Decretis.

CAPVT XI.

DRymus. *Pias ceremonias concedis? Earũ numerus magnus eſt. Potior deinde pars ex Concilijs et Decretis Põtificum pendet. Hæc admittis?* Symbulus. *Concilia et Decreta ſanctorum Patrum, niſi cum magno piaculo negauero.* Drymus. *Eccleſia ergò condere nouas leges poteſt?* Symbulus. *Vtiq; pro tempore, pro perſona, intuitu pietatis vel neceſsitatis, ſiue vtilitatis vel pro euentu rei. I. Q. 7. cap. Requiritis.* Drymus. *Quid eſt quod 10. Luc. duobus denarijs, ſupererogandum, etiã cum retributione ſtatuit? Quid item quòd Ioan. vltimo, multa quæ fecit Ieſus, non ſcripta, commemorat? Quid deniq;, quòd ad Petrum 16. Matth. de clauibus regni cœlorum dicitur? Nónne hæc poteſtatem quandam condendarum legum, rectoribus Eccleſiæ tribuunt? Primùm namq́;, vtriuſq; teſtamenti figuram ſimul atq; eius liberum additamentum, docet. Secundum, arguit eorum temeritatem, qui nil,*

nil,niſi expreſſum ſacris literis,probant. Tertium, abſolutam poteſtatem Petri,ad ſucceſſores deuolutam,manifeſtè oſtendit. Primates igitur Eccleſiæ priuare libertate & poteſtate diuinitùs conceſſa,quid aliud eſt: quàm decreta & concilia eorum contemnere ac reijcere? Symbulus. *Diuinitùs conceſſam quam habent, ipſi quoq; diuini: nemo reprobauit. Cæterùm hominibus plus obedire, quàm Deo:mandata hominum,diuinis anteferre, impium eſt. Nā fruſtrà, inquit Matth.*15. *colunt me docentes doctrinas mandata hominum. Túne deprauare ſcripturam, pro arbitrio audes? Eſto quod torques, Duobus denarijs, teſtamentum vtrunque ſignificas. Superogationem ad traditiones humanas transfers: ſed perperā. Quis ita docuit? Nónne* 19.*Matth. Adoleſcenti ſeruanti legem,ſi perfectus eſſe cupiat, omnia vendere & pauperibus diſtribuere: vt deinde ſe ſequatur, præcipit? Hanc ſupererogationem ſcriptura docet: tuam verò illam, qua mandata Dei tranſgrediuntur,* 4. *&* 12.*Deut.prohibet,inquiens:Non facietis ſinguli quod ſibi rectū videtur. Item,Quod præcipio tibi hoc tantū facias domino,nec addas quicquam,nec minuas. Præterea locus ille Ioannis,quàm bellè tuas partes propugnat. Si luſcus aut prorſus cœcus non es, videas quid ſub finem penultimi dicat. Multa quidem & alia, inquit ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Hæc autē ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei: & vt credentes, vitā habeatis in nomine eius. Quid adhuc pluribus opus? Nónne ſufficiunt, vt ait, hæc ad ſalutē? Quid omiſit, ſi & ſeruorum officia Apoſtolus deſcripſit? fortè marſupia quomodo curanda præterijt? quomodo diteſcendum neglexerit? Docet profectò clare: Vende, inquit, omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me. Quid theſauro cœleſti opulentius? Quid eſt igitur quorum non meminit? Quid aliorum adhuc nugis nos noſtraſq; conſcientias oneramus? neglectis*

ctis diuinis humana ſectamur. Sed illud quoq; argumentum, vt opinaris, inſolubile, de clauibus, putáſne miniſterium, an propriam perſonam ſpectare? Hanc exiſtimas? erras. Illam? concedo. Diſputatio autem incumbit. Miniſter es? cura, miniſtra, non dominare. Dominari pergis? iam commutatione facta, non clauem ſed gladiũ poßides. Non potes duobus dominis placere: Deo & Mundo. Non poteſt Ianitor ſimul & Iudex eſſe. OLISTVS. Siſte pauliſper Symbule. Nouatum et Pſeudoapoſtolos imitari videris, qui ſe mundos & ſanctos appellabant, neq; obtemperandũ eſſe niſi bonis docebant. Cæterũ Apoſtoli diuerſum ſuis Epiſtolis tradiderunt. Subditi, inquit 1. Pet. 2. eſtote igitur cuiuis humanæ creaturæ propter Dominum ſiue regi, tanquam præcellenti, ſiue præſidibus, non ſolùm bonis ac humanis verùm etiam prauis. Qui enim poteſtati reſiſtit, ordinationi diuinæ repugnat. Rom. 13. Ecce non modò diuinis & ſanctis ſed & prauis eſſe obediendum docuit Petrus, et Paulus Apoſtoli. Hic maximè Heb. 13. Parete, inquit, ijs qui præſunt vobis, & concedite. Illi enim vigilant pro animabus veſtris, tanquam rationem reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: nam id eſt inutile vobis. Quòd porro ad mandata hominũ attinet, fruſtra ea vrges. Nondum enim docuiſti Eccleſiam Romanã mandatis hominum niti. Sicut ea de re in Effigie veteris Eccleſiæ abundè diſſeruimus. Neq; verò de fide diſputatio eſt, ſed quemadmodum hæc colenda ſit, atque vocatio & electio noſtra firma efficienda, ne labamur. 2. Pet. 1. Quod cum Concilia & decreta præſtet, quis ſanæ mentis ea reijciet? Hæc vtique ſacræ ſcripturæ myſteria pandunt, & Chriſtianorum morum habent rationem. Illi potius ergo conſcientias noſtras onerant, qui falſò Euangelij prætextu, nobis ſua ſomnia & humana deliria propinant & intrudunt. Plura in effigiè veteris Eccleſiæ diximus.

De ſuffragijs mortuorum,

CAPVT XII.

DRymus. *Concilia porro & Decreta ſi reijciãtur more fucati Euangelij illius, quam ergò autoritatem habebit ſuffragatio Chriſtiana?* Symbulus. *Iudicia ſua quòd habeat Eccleſia, de dogmatis & ſacris non negamus. Quòd item magna ſit autoritas legitimorum conciliorum, & id concedimus. Suffragatio deinde Chriſtiana, cùm toties monemur, vt alter alterum diligamus, vt inuicem oremus: imò alterum ex duobus præceptis ſit: quibus lex et prophetæ continentur, quòd non habeat ſummam autoritatem, quis affirmauit?* Drymus. *concedis igitur preces pro defunctis?* Symbulus. *Vtique ſuo modo.* Drymus. *Quis eſt hic modus?* Symbulus. *ad Deum in dilectione proximi. Orare namq́ue pro mortuis dilectionem potiùs incendit, quàm extinguit.* Drymus. *Quid vetat igitur, quò minùs quidam cenſeant orandũ eſſe pro mortuis?* Symbulus. *quia aiunt nil prodeſſe.* Drymus. *Vbi ergò autoritas ſuffragationis?* Symb. *Dicunt ſuffragium circa viuos ſaltem verſari.* Drymus. *Cur igitur lib. Mach. ſanctã & ſalubrem eſſe cogitationem, pro defunctis orare, vt à peccatis liberẽtur legimus?* Symb. *Hæc facta eſſe inquiũt in lege, ſponſus nondum venerat: nondũ portæ inferni fractæ: nondũ mundus, morsq́ ipſa victa: nondũ acceſſerat ſalus humano generi. Cæterùm vbi tẽpus plenitudinis aduenit: vetera tranſierunt, nouaq́ facta ſunt omnia. Nõ ſumus ampliùs ſub lege: nubes ſublata eſt: ipſaq́ lux cœleſtis mundo affulſit. Idẽ Apoſtolus ad Hebræos, fuſiùs docuit: Habentes, inqt, pontificẽ magnũ, q penetrauit cœlos, Ieſum filiũ Dei: teneamus ſpei noſtræ cõfeſſionẽ. Deinde Chriſtus, quòd maneat in æternũ, ſempiternũ habet ſacerdotiũ: Vnde & ſaluare in perpetuũ põt accedẽtes ꝑ ſemetipſũ ad Deũ: ſemꝑ viuẽs ad interpellãdũ ꝓ nobis.*

Item,

Item, Qui non habet neceſsitatem quotidie (quemadmodum ſacerdotes) prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi: Hoc enim fecit ſemel, ſe offerendo. Lex enim homines conſtituit ſacerdotes infirmitatem habentes: ſermo autem iuriſiurandi, qui poſt legem eſt, Filium in æternum perfectum. Hic pontifex, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cœlis, melius ſortitus eſt miniſterium: quantò & melioris teſtamenti mediator: quod in melioribus repromiſsionibus ſancitum eſt. Hic omnibus à minore ad maximũ vſq; ſe patefecit: & propitius iniquitatum noſtrarum factus, peccatorum iam non meminit. Hic dicendo nouum, veterauit prius: Quòd niſi culpa vacaſſet, ſecundi locus inquiſitus non fuiſſet. Hic pontifex, non per ſanguinem hircorum aut vitulorum: ſed per proprium, introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Neque vt ſæpè offerat ſemetipſum: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem ſemel in conſummationem ſeculorum, ad deſtitutionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit. Hic effecit apud patrem ſuum cæleſtem, vt peccatorum & iniquitatum noſtrarum, iam non recordetur amplius. Vbi autem horum remiſsio iam, inquit Apoſtolus, non eſt oblatio pro peccato. Præterea vt ibidem ait: Voluntariè peccantibus nobis, poſt acceptã noticiam veritatis iam nõ relinquitur pro peccatis hoſtia: terribilis autem quædam expectatio iudicij & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios. Itaq; habes remiſsionem peccatorum: quid opus erit ſuffragio? in peccatis voluntarijs occubuiſti: nec datur pro peccato hoſtia: quid rurſus opus ſuffragio? Ergò dũ viuis vtere ſuffragio. Poſt mortem, eius locus nullus eſt. Quod videlicet in diuite & Lazaro videre licet. OLISTVS. *Paucis quod ſentio accipite. Fui ego quidem diu huius ſententiæ, quã Symbulus retulit, ſed gratia Dei fucum adumbrati illius Euangelij iam tandẽ perſenſi. Status totius negotij eſt ſalus vel pernicies. Quemadmodũ verò ad ſalutem*

lutem varij ſunt gradus, ita ad perniciem varia illectamenta: cùm autor eorum ſit mille artifex. Et ſiquidem miſericordia Dei non eſt minor Iuſtitia ipſa, æquè miſericors ac iuſtus eſt Deus. iuſtus erga impios, miſericors erga eos qui pietatem colunt: Colit autem eã alter altero magis vel minùs. Quia verò nihil quod pollutũ eſt, Regno Dei conuenit, ab omni inquinamento liber ſit, quicunq; ad gaudia cælorum anhelat, oportet. Neque verò vult Deus mortẽ peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Quis porro antè extrema funera beatus? Nónne ſemper metuendum eſt, qui ſibi ſtare videtur ne cadat? nónne Chriſtus ipſe docuit nos orare, ne inducamur in tentationem ſed vt liberemur à malo? Nõne quædam peccata in hoc, quædam in altero ſeculo remittuntur? Ita namque locum illũ Mat.12. declarat Aug. lib.20. de ciuit. Dei cap.25. Nónne Damaſcenus ait Apoſtolorum eſſe traditionem, vt defunctorum memoriam habeamus? Idem allegat locum Machab. de oratione pro defunctis. Aug. lib.9. Confeſſionũ pro matre & patre orandum petit, & ſuffragia viuorum prodeſſe demortuis ait, in Enchirid. cap.109. fol.125. dicit expreſſe Purgatorium ignem non eſſe incredibilẽ. Quid patres recito? Nónne Apoſtolus 1. Cor.3. ignis purgatorij meminit? Origenes inde Purgatorium probat homil.6. in Exod. & 8. in Leuit. & ſup. Hierem. homil.12. quẽ ſecuti ſunt Hieron. in fine Cõment. ſup. Eſa. & Aug. lib.21. cap.26. de Ciuit. Dei. Plúsne ergo credendum erit ſomnijs fucati Euangelij, quàm tot. S. patrum interpretationibus? Necdum legiſtis aliud eſſe bonum, aliud malum, aliud non bonum Ezech. cap.20? Sed hac de re in Effigie veteris Eccleſiæ abundè diſſeruimus.

De Chriſtiana confeſsione

CAPVT XIII.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

DRym. *Suffragatio viuis cōceditur: orisné, vt* 10. *Rom. habetur, an vt.* 14. *patet fidei?* Symb. *vtriusq́.* Drym. *Qui ſit quod ſuperiori capitulo, ex ore fieri ſalutē: poſteriori verò: Fidē, inquit, habes? apud temetipſum habe, coràm Deo, ex corde, aſſerat? poſteriori capitulo, de fide ſecundū quid priori, de fide ſimpliciter loquitur. Nunquid occaſionē de confeſſione dubitā di habes? Apoſtolus nónne in priori capitulo dé vera Dei dilectione diſſerit? Si inquit, confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum ſuſcitauit à mortuis: ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutē Et quid aliud in poſteriori docet, quàm dilectionem proximi? Ait enim, Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur. Tu fidem habes? penes temetipſum habe coram Deo. Necdum vides quomodo fides tēmperetur, inter Deum & proximum? Fides vtique Deum reſpicit: os verò proximum. Confeſſio cum oris ſit, propter hunc neceſſaria eſt, ad ſalutem, non tam tui, quàm & alterius. Hæc enim ſit communio & membrorum conſenſus: illa verò, videlicet fide, vnio cum Deo. Confeſſio Chriſtana, itaque & quidem firma, quomodo & cur neneſſaria ſit ignoras?*

De obedientia & metu

CAP. XIIII

SYmbulus. *Intelligo equidem Chriſtum palàm eſſe confitendū. Inquit enim: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus: confitebor & ego eū corā patre meo &c. At propter infirmitatem carnis multorū ſpiritus debilitātur. Plerunq; ab iecti metu etiāſi, non conſcientia, repentè cōticemus. obedientia ergò eius.*

gò eius.

gò eiuſmodi, quæ ex metu ſit, diſplicet Deo? Symbulus. *In cauſa fidei Dominus Math.* 16.*præcipit, vt abnegemus nosmetipſos & tollamus crucem noſtram, ac ſequamur ipſum. Qui, inquit voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. Deinde quod ad virtutem attinet obedientia, amor eſt. Poſtremò obedientia formidinis vtpotè malorum, haud dubiè Deo diſplicet.* Drymus. *legimus.* 13. *Rom. Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Quomodo igitur coram magiſtratu impio veræ religionis confeſsio fieri poterit? confitendo, offendis magiſtratum: ideò & Deum. Negando, offendis Chriſtum: non minùs quoq; Deum, metus vtrinque eſt.* Symbulus. *aliud eſt reddere Cæſari, quæ Cæſaris ſunt: aliud Deo, quæ Dei. Magiſtratui politico parendũ in licitis & honeſtis, tum quæ non offendãt diuinam voluntatem: negabimúsne? exinanire autem ſemetipſum: & tollere crucẽ, quis non videt diuerſa eſſe?* OLISTVS. *Hæc obedientia interni hominis: illa externi eſt. Hæc requirit fidei integritatem & vitæ pietatem atque conſtantiam: illa non minùs & promptitudinem animi, propter eum à quo magiſtratus eſt: qui, & ſi gladium gerit: tamen non niſi malo operi, timori eſt. Veneficia, homicidia & ſimilia exerces: ex huius operis numero es. Formidine pœnæ benè agis: non minus eò referendus. Talisne obedientia Deo placebit? Cætetùm abnegare Deum: interni, non externi hominis eſt. Metu conſentis, animæ ſaluandæ gratia: perdis eam: Mundo enim magis, quàm Deo adhæres. Abnegare autem Deum, non ore modò: corde etiam conſueuerunt non pauciores. Id demùm obedire ex metu eſt, cùm os à corde diſſentit: & diſplicet Deo equidem. Conſenſum in Nabod, Sampſone, & Ioanne expendas. Nónne Ionas in ventre ceti incolumis: Sampſon in ſinu Dalilæ raſus & deturpatus, alienigenis traditus eſt?*

 Daniel

Daniel à leonibus ſaluus: Nabod iuſtus, à Iezabel interfectus? Ioannes in deſerto ferociſſima quæque animalia ſubijciens, ludente Herodiade, eius ſanctitate ſaltui comparata, morti deſtinatus? conſidera hic crudelitatem muliebrem, & conſtantiam virilem. Sampſon vitæ propriæ periculum, nil metuens. Nabod, Iezabelis auaritiam nil morans. Ioannes potentiam Herodis floccipẽdens quæ Dei ſunt curauit. Iam videas qualis ſit obedientia ex metu. Metus aliorum, non ſit tuus. Quicquid minentur aduerſarij: tu fide ſta: ex conſcientia potius, quã ex aliorum iudicijs pendeas. Fugias commertia mulierum, non minùs & imperia. Quod metus virorũ non poteſt: hoc amor mulierum maximè. Siue hoc igitur modo, ſiue illo: obedientia mortis, non ſalutis eſt.

De origine iuſtitiæ & Iuris

CAPVT XV.

DRymus. *Conſilia audio: ſentẽtia placet, & iuſtitia tum ius ſuadent: parebo.* Symb. *Conſenſus quidem non diſplicet: ratio tamen minimè arridet. Quid eſt, quod iuſtitiam præponas iuri? niſi fortè inconſideratè feceris. Ignoras iuſtitiam à iure dictam? Nonne, ius, nomen & ſimplex & primum, iuſtum, vnde iuſtitia nata producit? An non venuſtas Ciceroni, à Venere eſt? Rurſus. Nónne iuſtitia, iuris ſtatus appellatur? aliúdne cum rerum, tum vel naturæ ordo docet? Expende: Quod nobis aut lex aut ratio dictat: faciendum eſt: Quod hinc fit: rationis preſcriptum nuncupatur. Iuſtum efficit. iuſtitia dicitur. Rurſus. Iuſtum facere, iuſtitiamq́; exercere, nemo niſi iuris cognitione habita, poterit, ſiue ea ſit naturæ: ſiue artis. Item. Ius, vox generis eſt per ſe: in facto verò, decretum appellatur. Ita iniuſtum facti ratione, iniuſtitiam gignit. Iam ſingula collige.*

Quòd

Quod ius prius iuſtitia ſit, quid impediet? Drymus: *acquiſitam iuſtitiam præcedere ius facilè concedo. Porrò cõnatum iuſtitiam, ex iure deſcendere: hoc demùm nego. Multò minùs Iuſtitiam increatã & æternam à iure deriuari, vt admittam, perſuadebis.* OLISIVS. *Aptè reſpondes. Nam ſicut bonitas: ita Iuſtitia, non corporis ſed animi ſunt, vt animus ſimilitudo eſt mentis diuinæ & participatio: ſic & bonitas, & iuſtitia. Prima igitur, & increata mẽs Deus eſt. Ab eo omnis virtus: ex fonte nimirum æternitatis, promanat. Quare & iuſtitia. Hæc lumen hominis, & igniculus inditus, eſt. Hæc rebus accõmodata: iuſtos efficit: ab iniquitate arcet. Hæc iuſtitia eſt reuera conſcientiæ baſis: qua, vt rectè agamus, incitamur. Hæc vnica omnis boni cauſa extitit. Propter hanc homo pulſus, & reſtitutus quoque. Ab hac iudicium miſericordia temperatum procedit. Huius in creatione, homo perticeps eſt factus: quæ homini reuera connata dicitur. Per hanc operatur Deus, & cũctis Gentibus leges cõdidit. Hinc eſt, vt cor ſit regis, in manu Dei. Per hanc magiſtratus regitur, per hanc ſpiritus ſanctus corda hominũ afficit. Deus populo ſuo legem tulit, in monte Synai, per ſe, eiuſque inſpectorem Moyſen conſtituit: Gentibus verò per connatam illã iuſtitiæ portionem, Regibus & principibus inſitam. obſerua. origo legum eadem: ſed diuerſa media. Finis idem, eiusq; medium: vt videlicet rectè viuamus. Appræhendimus id omnes, tam Dei electus Populus, quàm Gentes, per connatam iuſtitiam. Quæ cum ſit participatio æternæ iuſtitiæ haud obſcurè patet: quomodo vna iuſtitia vniuerſali, omnes particulares, regantur. Denuò conſidera. Hoc dictamen rationis à iuſtitia vniuerſali, per particularem, quodammodo ſtillans in principibus excitatum, legem gignit: in ſubditis, earum conſeruationem operatur. Iterum. Conſenſus ille communis, ius parit, cuius vigor habitum producit: qui & ipſe iuſtitiæ nomen obtinuit. Iam inſpice, huius & illius iuſtitiæ differentiam. Nonne alia*

erit connata & prior iure:alia acquiſita, & poſterior? Nonne illa ius naturæ:illius deinde effectus, ius gentium, vtriusque tandem copulatio à iuſtitia æternitatis deſcendens,ius ciuile,peperit?Ergò definire quid vnumquodque eorum ſit difficile erit? Aetiologias habes,ipſe conclude.Apparata omnia:vtere.

De origine Seruitutis

CAPVT XVI.

DRymus. *Iuſtitiæ & iuris ſenſum probè teneo,Nam & naturæ,communicationem Diuinæ iuſtitiæ nobis inſitæ & Gentiũ, effectum innati igniculi, & Ciuilis, vtriusq; copulã & diuinæ voluntatis iudiciũ,animaduerti. Porrò cũ hæc libera ſint:vtpotè libero homine digna: ſubdubito, nũ Seruitus huc ſpectet,an verò origo eius peculiaris ſit.* Symb. *per accidens ad ius gẽtium primò:deinde ad ciuile, lex ſeruitutis refertur.* Drymus. *Accidens,vt conijcio,hoc iuris Gentiũ conſtitutionem reſpicere,ſicut Iuſt. de iur.perſ:docet,aſſeritis. Ego autẽ ex maledictione Noe exiſtimarẽ:Maledictus,inquit,Chnaan,ſeruus ſeruorũ erit fratribus ſuis.* Symb. *Seruitus iſta Chnaan peccati:illa verò mancipationis dicitur. Hæc in oẽs poſteros deriuatur:illa indiuidui eſt. Eſt quoque alia quædã ſeruitus exilij,peregrinatiõis & ruſticationis. hæc eſt volũtaria & pacti:illa aut meriti,aut propoſiti:* OLISTVS. *paucis multa Symbule complecteris. Reuera omnis ſeruitus, aut coacta:aut Spontalis eſt. Hæc peccati fomes dicitur. Hinc illud Ioannis: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus: ipſi nos ſeducimus,& veritas in nobis non eſt:Hæc item obedientiæ eſt. Quam obrẽ ab Apoſtolo ſerui eius rei,quibus morẽ gerimus,ſiue obedientiæ ad vitam:ſiue inobedientiæ ad mortẽ, appellamur. Illa deinde fortuna nuncupatur, & indiuidui eſt. Quod nunc mancipium Gentibus*

*tibus natum:nunc peregrinationis quæ partim & ſpontalis eſt, de qua paßim.Gen.Exod:Leuit:Num.Deut.&reliquæ ſacræ ſcriptu ræ libri tractãt. Accedũt adhæc & exiliũ,ruſticatio,obſcurum ge nus.&c.Itẽ locus tantùm:in alieno videlicet fundo conſiſtens quiſpiam,propter inopiam.Deinde locus & perſona cũ præter fundum & perſona alieno officio aſtringitur.*Drymus. *Ambroſius in ora tione de ieiunio,& hanc & illã ſeruitutem à Chnaan oriri, ita ait: Non eſſet hodiè ſeruitus ſi ebrietas non fuiſſet.*OLISTVS.*alteram per ſe,alterã per accidens inde prouenire concedo. Illã,quòd Chnaan volens deliquerit:Hanc ex ſubortis contentionibus, quas plerunq; bella comitantur. Legem aũt tum natã:iam demũ nego.*

De litibus an eas Chriſtiano homini exercere liceat CAPVT XVII.

Drymus.*Legem eſſe ſeruitutem, concedámne? an non paulò ante à Deo leges oriri aiebas? Deus autem contentiones non fert:imò vt proximum diligas ſicut temetipſum præcepit.Putas ergò lites Chriſtiano homini exercendas eſſe?*Symbulus.*Chriſtianus propugnando iniuriam, in foro lites exercere poteſt:Non ideo hominem odiſſe debet.* Drymus. *Iuſtam ſi cauſam habes: Deo vindicta. Iniuſtam foues: Chriſtianus non es. Necdum video,qua ratione lites exercere quis poßit:ni ſi Deum offendat.* Symbulus. *res iniuſtæ deteſtandæ ſunt Iuſtæ propugnandæ ſaltem:neque ideo inferẽdæ lites. Hoc vindictæ Dei relinquendum: illud prouocato,ſuſcipiendum: non aliqua nocendi cupiditate:quin defendẽdi tantúm.* OLISTVS. *benè dicis.Nã temerè quidam & incitati cauſas agunt. Illud ſacræ literæ vetant:Mihi,inquit,vindicta,& ego retribuam.Percuſſus in alte ram maxillã:& alterã præbe.Palliũ auferẽti:& tunicã permitte.*

Ad

Ad vnũ miliare cogeris: & duo conficias. Hoc porrò conceditur in publicis actionibus: ſicut illud in priuatis negatur. ſi videlicet fama lædatur, bona pupillorum dotalia & ſimilia, præter ius, auferantur: ne hic quidem temerè, ſed laceßiti iniuria & vbi nullus tranſactioni locus relinquitur, modeſtè & placidè negocium agamus. Deus proſperabit.

De crimine læſæ maieſtatis

CAPVT XVIII.

DRymus: *actiones alias publicas: alias priuatas intellexi. In illis cauſam ſuſcipere, Chriſtiano non admittis: in ijs vtique. Miror priuatum hominem, publica tractare: quum diuerſa vocatio, diuerſas actiones pariat. Alias, crimen læſæ maieſtatis, nonne publicum? Publica ergo, publicis: priuata, priuatis tribuantur.* Symbulus. *Aliud eſt publicum, negotio & officio, aliud item negotio tantùm. Hoc & ad priuatas perſonas refertur illud ad publicas tantùm. Huc lites Chriſtiani hominis: illuc crimẽ læſæ maieſtatis.* Drymus. *Neque id hominis eſt. Dei autem potiùs. Qui magiſtratui reſiſtit, an non Deo? nõne pœna illa in tertiam & quartam generationem à Deo? nonne publica culpa diuinæ vltionis? Quamobrem Nedab & Abin, Dathan et Abiron, multi denique cum Chore diuinitùs pœnam ſumpſere? Ergóne crimen quidem læſæ maieſtatis niſi à Deo puniendum?* Symbulus: *Pœna diuinitùs iam per angelos, vt Apocal. habet: iam per homines: iã per malos Spiritus, vt in obſeßis: iam ipſummet Sathanam, vt in Iob iam per aſtrorum vires, vt paßim in omnibus: iam per elementa: ſic multi aqua igne infectoq; aere, alij et à terra abſorpti, pereũt: et ab ijs quæ inde proueniunt vt ſunt, meteora et quorum numerum et ceraunius, omnia penetrans, tum comminuens. Igitur, quod*

per

per magiſtratum dirimitur, aut infligitur, an non Deo ita annuente? Drymus. *Eadem ergo erit pœna, culpæ ſiue in Deum: ſiue in hominem?* Symbulus. *eadem definitione: ſed diuerſa qualitate. Grauioris delicti ſiquidem, & pœna grauior eſt.* Drymus. *Qui fit autem, quod pœna læſæ maieſtatis in filios eorumq́; hæredes ſe extendat? non video quomodo differat, culpa ſimpliciter in Deum. Deinde quæ per accidens eò, per ſe autem in hominem, refertur.* Symbulus. *Illam ſequi pœnam æternam concerno: Hanc temporis. Illa & corpus & animam complectitur: hæc corpus tantùm.* OLISTVS. *Crimen læſæ maieſtatis, non quidem in filios, niſi ex conſenſu: in bona tamen protrahitur. Bona namq́; patris opera acquiſita: filij verò, non tàm patris, quàm Dei ſunt. Pater nil iuris in filios, præter amorem habet. Filij odio digni ſunt: non ideò morte, non ſeruitute: licet exhæredari poſſunt. Quare crimen læſæ maieſtatis culpam indiuidui, non ſpecie comitatur. Deinde & hoc abſolutè, non reſpectiuè: reſpectu nimirum ſubſtantiarum: non accidentium. Igitur filij hoc in caſu, bonis paternis priuari: ſed non diuinis, poſſunt. Filiæ exemptæ actionis, quæ neque ferendo teſtimonio aptæ ſunt: neq; conſilio ob infirmitatem pollent, non immeritò dicuntur: veluti quarum aura nemo moueri deberet. Nam etſi quædam reperiantur viris & prudentiores et doctiores: tamen ex raris contingentibus ſunt. Talis ante annos quadraginta, ex noſtris fœminis, Alexandra Scala floruit, Græcæ & latinæ linguæ nemini ſecunda, id atteſtantibus etiam grauiſſimis viris: cuius & carmina græca quantumq́; ingenio valeret, apud Politianum & Marullum, cernere licet. Item Olympiæ Fuluiæ Moratæ eruditiſſimæ mulieris & Græca & latina monumenta, vt reliquas prætercam, extant: quæ et ipſa proximis hiſce annis curſum vitæ abſoluit. Itaque mulieres cum nec autoritatem aliquam: nec magni quid ſecum niſi raró adferant, & cauſæ criminis ideò minimè eſſe queant: vtique,*

tique, neque reæ agi. neque peragi, poſſunt. Drymus. *Res noua hæc. Apoſtolus ſecus docet* I. *Corinth. Cap.*11. *Quicunque, inquit, manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Excludis tu hinc mulieres? Nónne mandatis Domini æquè obedire ac viri debent? vt reliqua taceam: necdùm audiſti, plures aut pares numero mulieres peierantes? Exemptas pronuncias? Hoc præſtare potes? certè nunquam te regem negabunt, promeritum.* OLISTVS. *Reus iam ſtipulandi: iam promittendi, à Modeſt. l. j. ff. de duobus reis conſtit. dicitur. Reus item voti: qui ſuſcepto voto ſe numinibus obligat. Reus deinde criminis, Bart. in l. tranſire. C. de tranſact. & reus maieſtatis. Alciat. lib. ad Iulian. Maieſt. atque reus proditionis. ijs modis, mulieres cenſeri reas, non admitto. At reas legis diuinæ: iam demum concedo. Hanc mors ſequitur, non corporis modò: ſed animæ quoque. Hinc reus ſanguinis is dicitur, qui in corpus Domini & ſanguine eius delinquit: quo legem conſummauit: mundum & Sathanam vicit: nosq́ ab æterna morte liberauit.*

De Iureiurando,

CAP. XIX.

DRymus. *Reus ergò legis diuinæ etiam is dicetur, qui iuſiurandum coram tribunali exhibet? Nam Matth.* 5. *Dominus inquit: Ego autem dico vobis non iurate omnino. Nónne Paulus Iureconſul. clarè inquit: Manifeſtè turpitudinis eſt, & confeſsionis: nolle nec iurare, nec iuramentum referre? An non Caius l. j. ff. de iureiur. maximum inquit remedium expediendarum litium in vſu veniſſe, iuriſiurandi religionem? Hæc legiſperiti quin & lex ipſa, ferunt. Chriſtus ſaluator contrà: Non iurabitis, inquit, vllo pacto, præcipit. Nónne dictum eſt, & hanc*

& il-

& illam diuinitùs promulgari? Symbulus. *Iuſiurandum ſtipulationis Dominus ob* πολιτείαν. *non prohibet. Extrà id verò quauis priuata in re iureiurando ſe obſtringere, turpe eſt. Quòd etiam Plato 12. de leg. voluit.* Drymus. *Pro duplici, cùm tertius non ſit, ſtatu hominum, quorum alij ingenui: alij praui, iuſiurandum exhibendum non eſſe, haud abs re exiſtimo. Probi enim iuramento non egent: quippè qui vltrò veritatem fatentur. Improbi etiam pro quauis iniquitate iuramentũ deponere audent.* Symbulus. *Non propter vnum aliquem exigitur iuramentum: ſed vt reipub. ſtatus & tranquillitas cõſeruetur. Malus iurat: vt nequitiæ ſuæ pœnas luat, & diuinam in ſe vindictam recipiat, atque reliquis terrori ſit: vt 5. Actor. Ananias &* Saphira. *Probus & ipſe iurat: vt ſuæ innocentiæ ſpecimen edat: neuè abutendi cæteris occaſionem relinquat.* OLISTVS. *Rectè aduertendæ prætereà ſunt, & publicæ perſonæ. Quædam harum obligatione, (vt magiſtratus ſuo principi, et quibus feudi repetitio incumbit:) Quædam fœderis vinculo, iurant. Porrò à iuramento liberi ſunt quidam, partim reſeruata libertate: partim conceſſa. Ex illa ſunt Principes liberi, ſuperiorem non agnoſcentes: Ex hac milites aurati: qui certamine proprio id, quod alij iuramento, confirmare debent.*

De periuro, an puniendus ſit.

CAP. XX.

DRymus. *Iuſiurandum violatum, aut iuramentum falſum, quandoquidem diuinæ vltioni relinquendum eſt, quod L. 2. C. de reb. cred. & iureiu. patet. Quid ad magiſtratum? eius namq; hoc periuriũ, non eſt punire.* Symb. *Non eſt equidẽ ſimpliciter: eſt tamen ſecundũ quid.* OLISTVS. *Perfida periuraq; ab origine gens: vtpotè à Diabolo ſata, fugienda potiùs, quàm*

 punien-

punienda eſt. Affirmationem porrò religioſam, ſiue in conditionibus pactionibusq́; bellicis & hoſtilibus: ſiue domeſticis & politicis, violatam, præterire non cenſeo. Neq; vt ideò Dei vindictam euadat: ſed, quò hîc meritas temporis pœnas, & ibi æternas luat: Deo ita concedente, & præſciente. Tarda enim ira Dei, grauitate pœnæ compenſatur. Inde proueniunt periuratiunculæ paraſiticæ, non tàm malæ: quàm peſtiferæ: quibus proh dolor iam omnes ferè magnatum anguli ſcatent: omnes aulæ paulò minùs ſubijciuntur. Sunt alij quoq; qui verbis conceptis ſcientes, libenter periurant, ſurripiunt et auferunt. Hos magiſtratus partim è medio ſufferre: partim dignis pœnis afficere, etiam legibus diuinis tenetur. Iudæi lapidibus tales obruebant. Imperator. ff. l. Si duo. §. final. de iureiur. fuſtibus obruendos ſtatuit.

De dolo malo, an in contractu emptionis, venditionis, & locationis ſit licitus.

CAP. XXI.

DRymus. *Periuros nonnullos, exemptos percepi: licebit ergò in contractibus dolo malo vti? Quænàm leges vnquam dolo malo patrocinatæ ſunt? Nónne. l. j. ff. de dolo malo, & integer Tit. ff. & co. eod. Dolum auferunt: & malæ fidei emptionem irritam ſtatuunt?* Symbulus. *fugiendos dicebamus periuros, non exemptos. Dolum autem in contractu relatiuo, nequaquam, ferendum: ſed nec in abſoluto auferendum, leges ſtatuunt.* Drymus. *Quid eſt ergò, quòd decipere, circumuenire & circumſcribere leges permittant? Etenim l. in c. §. idem pomp. ff. de minorib. inquit. In pretio emptionis & venditionis, naturaliter contrahentibus, licet circumuenire. Item l. ſi pretio. §. fi. ff. locat. Quemadmodum in emendo et vendendo, naturaliter conceſſum eſt, quòd*

pluris ſit minoris emere, & inuicem circumſcribere: ita & in locationibus & conductionibus. Symbulus. *leges permittunt extruſis mercibus ſine conditione, dolum: non quòd approbent: neque tamen improbant: ne emptoris ignauiam excuſent.* OLISTVS. *Optimè. Reuera in contractu abſoluto, dolus non fit irritus: tùm quia nullum circumſtantiarum reſpectum admittat: tùm quòd volenti nulla fiat iniuria. Cæterum in contractu relatiuo, ſuum quiſq; teneat: neq; tenuiores propter humilitatem circumueniantur: nec locupletibus, ad ſua vel tenẽda vel recuperanda obſit inuidia. Maximè autem falſo crimine aut fœnore, circumuenire: & diuinum, & humanum ius vetat.*

De mutatione nominis.

CAP. XXII.

DRymus. *Dolum in abſoluto contractu admittis? concedes et nominis mutationem. quæ ff. ad l. Corn. de fal. l. falſi, quod pœna falſi arceatur, non vidiſti?* Symbulus. *loquitur ibi lex, vt gloſſa quoq; habet, de fraudulenta & doloſa: non autem ingenua mutatione. Diſtinguit quoq; generalem variationem, ab aſſertione in caſu.* OLISTVS. *Idẽ lex vnica C. de mutat nominis, cõtinet: Sicut, inquit, initio nominis, cognominis, prænominis, recognoſcendi, ſingulis impoſitio primò libera eſt: ita eorũ mutatio innocentibus, periculoſa non eſt. Mutare itaq; nomen, cognomen, prænomen, ſine aliqua fraude, licito iure ſi liber es, ſecundum ea quæ ſæpe ſtatuta ſunt, minimè prohiberis, nullo ex hoc præiudicio futuro. Non eſt confundenda cum ingenuo fraus: quis non cernit? Aliud ergò eſt dolum cælare in contractu: aliud nomen mutare, in fortunæ varietate. De illo hactenus. De hoc multa extant et quidem grauiſſima exempla. Rex Siciliæ in Britannia Pontus:*

in Anglia per ſeptennium Sordith erat. Comicus ſenex Athenis Chremes:in Lenmo,Stilpho fuit. Ioannes Brentius ibi: alibi Vlricus Encauſtios, vulgò Vlrich Engſter, nuncupabatur. Tunc inſimulabis tãtos viros,fraudis?caue,ne cuius facilè pœniteat,effutias.

De duobus piſcatoribus & vno piſce caſus. CAP. XXIII.

DRymus. *Valeant hæc quorum pœnitere me poſſit. Iucundiora Symbule mox adferam. Ecce de duobus piſcatorib. quàm ſuauis caſus, ni ipſe audias,vix credas. Auguſtinus ille Radtkon,vir ingenuus et probè doctus, amicus noſter ſingularis, heri magna cum voluptate eum nobis,narrauit.* Symbulus.*fortè ex me habuit.*Drymus.*putas?*Symbulus.*Audiã.* Drymus.*piſcis piſcatoris à piſcatore, cum piſcatore, piſcatus,ſitnè prioris aut poſterioris?* Symbulus.*illa eſt.* Drymus.*ediſſere precor,quid velis.* Symbulus.*Tiburtius eſt piſcem venatus,maiorem quàm ſperabat.Prævaluit piſcis.Tiburtius piſcẽ relinquere nolens,cum eodem mergitur.Piſcator alter ſuperueniens,nomine Alexander,& piſcẽ:& Tiburtiũ cepit. Quæſtio eſt.Piſcis Tiburtijnè,an Alexandri ſit?* Drymus. *exiſtimo ad poſteriorẽ, qui & piſcẽ cepit: & Tiburtij vitã conſeruauit iure ptinere.* Symbulus. *obſtat.§.feræ igitur beſtiæ,Inſtit.de rer.diuiſ.Fera beſtia,inquit ſiue in mari ſiue in aëre,ſiue quocunq; locorũ capiatur,occupanti conceditur.Idẽ natura dictat:Quæ ab ea prodita ſunt,neq; alicuius domino ſubiecta, primò occupantib.cedunt. Qua igitur ratione quod priori debetur,ad poſteriorẽ transfers?* Drymus. *Quò minus aſſentiar,vita Tiburtij quam Alexander ſaluauit,cauſa eſt.Deinde Chriſtus Dominus inquiens. Fortis à fortiore victus, vniuerſa arma eius auferet & ſpolia eius diſtribuet.* Symb. *Iure militari ad Alexandrũ: iure autem naturæ ad Tiburtiũ, piſcem illũ ſpectare credi-*

crediderim. OLISTVS. *Ridicula equidē quæſtio, ſerias nō paucas, rectè intellecta, exponit. Si occupādi rationē conſideres, nemo inficias ibit, quin ad Alexandrū: Si verò charitatis vinculū anſulas, vtiq; ad Tiburtiū pertinere piſcē, iudicet. Nam quod Alexander Tiburtij vitam conſeruarit: tantò magis & piſcem: vt cum patre illo, Luc. 15. quaſi mortuo, qui reuixit, & perdito qui inuentus eſt, gratuletur.*

De hominibus in aere viuentibus & intelligentiarum ſeu ſpirituum partitione, CAP. XXIIII.

DRymus. *tractemus ſeria. legi nuper alibi, tres viros per aërē venientes, cuidam in Muſæo apparuiſſe. Hominéſne an præter eos aliud quippiam fuerit, nō ſatis aſſequor.* Symbulus. *Quæſtio tanta eſt, vt neq; intelligere, tantum abeſt, vt diſputare ea de re queam.* OLISTVS. *Si quid vſquam eorū eſt: percontabimur. Aſſerere autem ſimpliciter, videlicet negare, hoc aut illud temeritatis eſſe, quin & ignauiæ, quis negabit? Partitione ergò, ſeu diuiſione potius, rei veritas inquirenda: & aut ex ijs, quæ intellectum habent: aut quæ minus, petenda erit. Diſcutere quod expers eſt rationis: quis ſuadet? Quis eſt, qui incorruptus, ſuiq́ ſimilis permanet? Quis, qui ita feratur, vt penetret & diuidat omne cœlum hoc, in quo nubes, imbres, ventíque coguntur? An non extrà mentem omne corruptioni proximum? tempori ſubiectum? ex mixtione iſta elementari natum? Si quid ergò eſt humani, in ſublimioribus ſubſtantijs: præter humum vtique, aut boni: aut mali particeps. Quod bonum eſt, poſt ſimpliciſſimum illud mouens Deum æternum conditorem rerum, partim in firmamento, vt intelligentia motus diurni: partim ſub firmamento iam continuo, vt intelligentia Solis: nunc diſcri-*

diſcriminatim, vt quæ ſuprà ſolem pacis et contentionis cauſæ exiſtunt: tum quæ infra eundem, mouentur. Iupiter ille eſt, qui & priuatam occaſionem diſceptandi à Saturno: & publicam, à Marte recipiens, ad hæc inferiora tranſmittit. Hic porrò, aut luxum ſub intelligentia Veneris: aut continentiam ſub Mercurij, complectitur: quæ virtute coaleſcentes in Lunam mitigationem effundunt. Cæterum Lunæ ambitu, Intelligentiæ, et quæ facilitatis cauſæ exiſtunt, vtpotè caloris, vnde omne genus phantaſmatum: tum humoris, à qua omnis diuerſitas libidinis & animi fluxioris, remiſſioriſque vitæ, dependet: & quæ difficultatis, videlicet frigoris, ſuperiorum mutationem ſubitam impedientis: atq; ſiccitatis appræhenſiones excitantis, continentur. Compoſitorum virtus vniuerſa, hinc deriuatur: vt alij Venerei, alij Mercuriales, et nunc ij nunc illi ſint. Hæc vbi diſſenſerit in humanis corporibus, ægritudinem inducit: contrà ſi conſenſerit, ſanitatem. Magnum hoc ſympathiæ myſterium. Vna enim virtus omnium, cuiuis homini, cum ea quæ circa ſe verſantur expendit, tota adeſt: & contemplationis diuinæ non poſtrema facultas. Noſti concordiam intelligentiarum tuo in corpore retinere: Quid impedit, quò minus rerum arcanarum artifex ſis? Iam inſpice geniorum varietatem. Vnde putas, alijs grauitatem: alijs, lenitatem: alijs, nugacitatem: quibuſdam tyrannidem: nonnullis, perfidiam: plerisq;, robur: raris, acumen: multis, calliditatem ſiue malitiam: aliquibus, laſciuiam: paucis, formoſitatẽ: ruſticitatem, pluribus, &c. ineſſe? nònne ex vnitæ virtutis intelligẽtia? ſiue hæc vniuerſalis ſiue particularis loci ſit. Ita huius paupertatem, iſtius diuitias, illius ſtupiditatem, & reliqua indiuiduorum diſcrimina aſſignare, aut Phyſiognomiæ: aut Metopoſcopiæ rationibus licebit: veluti in melancholico triangulum, ſiue etiam parallelos, genius nõ rarò producit. Hinc eſt illa turba combibonum & comeſſatorum: rara admodum Therapeutarum Therapeutidumq; & Gymnoſophiſta-

phiſtarum imitatio. Hinc pleriq; ſylueſtres & feri, qui nulla prorſus conſuetudine afficiuntur: perpauci qui verè politici cenſeãtur. Itaq; ſi quid homini appareat quod ei ſcrupos animi ſoluat: necdum id ex conſenſu vnito intelligentiarum perceperis: aut certè ex conceptis ideis: aut ex phantaſticis apparitionibus, quales hominibus in ſomnijs etiã obuerſari ſolent, cognoſcere potes. Atq; iſtæ ab illis diuerſæ ſunt: crapula quodãmodo enutritæ: ieiunijs fugãtur. Reſtat, vt de ijs q̃ malæ ſunt dicam⁹: Quæ & ipſæ partim circa terræ cẽtrũ, partim circa concauum lunæ, iam perpetuò globo eius adhærentes iam huc atque illuc permeantes & tranſeuntes verſantur. Feruntur autem in ſublimiori parte, veluti nuncij, omni fallaciarum genere refertiſſimi, nunc ludos exponentes: nunc ad varia mala & excitanda: & perpetranda allicientes. Ad igneum orbem deinde infinitæ concurrunt, vi coloris, nihil nõ turbantes. Luxum quippe, immoderatiſſimum: Ebrietates item & contentiones abundè propinant. Quæ porrò aëreum orbem inhabitant, dementandis hominũ ingenijs, omnem operã nauant: ſalaces meretriculas, vetulasq; mulierculas ad varias incantationes pelliciunt: Stryges, puellulos faſcinantes, ſuo contactu, & lactis manillarum oblatione, inſtituunt: Tempeſtates turbulentiſſimas & grauiſſimas, ad earum nutũ excitant: Hominibus nocere, nihil magis, quàm cupiunt. Quæ deinde aquæ ſuperficiem ambiunt: naufragia moliũtur, deſperationes incutiunt & in varias phantaſmatum ſpecies ſe transformant: iam cõminantur, iam terrent, iam ſcopulos præfigunt, & ſimilia infinita peragunt. Poſtremò quæ terram occupant, aut familiares ſpiritus ſunt, opibus cumulandis accomodi: aut feri & indomiti, iam vni loco: iam diuerſis adſtricti & vagi. Homines obſident, & varia loca replent. In campis venatiões, aucupia & ſimilia: in Eccleſijs & priuatis ædibus terriculamenta quæuis exercẽt. Horum quidam pro ſunt, ſuo pro compendio: quidam ex permiſſione Dei nocent. Exem-

plo huius eſt Iob, illius verò Exorciſtarum haud exiguus numerus. Iterũ vide ijs intelligẽtijs nituntur, qui aut per aëra volãt: aut nouitates rerũ omniũ annunciant, & in oculis hominũ honores, principatusq́ue affectantes, nil minus quàm minimi eſſe cupiunt. Iſti ſunt qui ſuis clientibus, quauis in re patrocinantur: arcana quæque reuelant, & quoties placuerit apparent. Sunt etiam alij in cauernis terræ, partim circa theſauros: partim circa fodinarum venas, ipſosq́ fontes occupati. Malæ intelligentiæ, ſicut & bonæ, circa homines igitur cum verſentur: apparentes illi viri, aut genij ſunt boni, qui ſpirituale hominẽ: aut mali, qui carnalẽ regunt. Quid vterq; ſit, ſacris ex literis abundè ſatis conſtat. Iã quid aëreis de hominib. illis ſentiẽdũ, plus ſatis dictũ: ipſe ꝓprio iudicio inde quæ voles haurias.

De ingeniorum diuerſitate.

CAPVT XXV.

DRymus. *Multa & varia, imò totius naturæ partitionẽ magna cum voluptate & audiui: & intellexi, opinor. Quod autem de ingeniorum diuerſitate dictum eſt, paulò altiùs expẽdendum putaui. Qui fit cùm animæ ſingulorum æquè ſint perfectæ, ingenia & inæqualia, & diſſimilia ſint: Organáne an educatio in cauſa? an à parentibus & conceptione ſeminis, id proueniat: An verò immediatè à Deo omniũ conditore?* Symbulus. *Deum ego credo, eique omnia attribuo.* OLISTVS. *Diuerſitas ingeniorum ex cauſis & concauſis dependet Cauſarum primò eſt Deus efficiens: finis verò eius vocatio. Illa nihil non condidit perfectè: Hæc ob diuerſitatem officiorum, vocatione diſtinguitur. Neque altera alteram inſtitutione ſuperat: quin potiùs operationis virtute: idque ratione noſtri. Ideò Apoſtolus inter reliqua officia, prophetiam maximè inculcat. Hæc æterni conſilij &*

lij & decreti ſunt. Cæterùm prima cauſa, ſecundas exemplares habet: quæ & ipſæ omnipotentiam Dei referunt: motu, naturam multiplicando & conſeruando: influentia, naturæ vires exercendo: lumine, naturam alliciendo, & inuitando. Motus tempus menſura eſt. Eius ſucceſſus varius, varietatem ingeniorum parit. Quarè & omnia ætatem ferre: & occulta hoc ſucceſſu reuelari, dicimus. Inde ratio petenda, cur maris & fœminæ ante tempus copula, liberos plerunque ſtupidos & ineptos producat: contrà, matura coniunctio ingenuos procreet. Cur item filij ſepteni perfectiores: ex imagine ſeptimi diei creationis, iudica. Nouiſsimus deinde filius aut filia omnium matura: ex maturo videlicet ſemine. Nonne hæc ad motum pertinent? An non & Influentia ab eo regitur? Per eam enim ingenia virtutem naturæ & media perfectionis apprehendunt: aëris nempe temperiem: terræ fæcunditatem, ſubtilioraque alimenta. Ideò pro diuerſitate locorum, diuerſæ actiones, diuerſæ item temperaturæ, Aequinoctiali ſubiecti, & qui ab eo diſtant, id diuerſitatis, facilè patefacient. Motus pari ratione & luminis vires regit, plagas ſubiectas afficiendo & permeando, luminis virtutem illuſtrat & inferioribus exhibet. Porrò concauſæ, vtpotè materia & forma cõformis plagis ſubiectis eſt: & diuerſa pro diuerſitate actionũ quas in hæc inferiora, ſuperiores eſſentiæ demittũt. Ita Marti ſubiecti, Martiales: Veneri, Venerei: Lunæ phlegmatici: ac pro, diuerſitate, Sphæræ rectæ & obliq̃, aut tẽperati, aut intẽperati: ſiue acuti & ſubtiles, ſiue craſſi exiſtũt. Quis hæc nõ niſi ratiõe corporis cõtingere, & p accidẽs ſaltẽ in animã transferri nõ videt? Id aũt educatio, quò minùs animæ imputetur, auertere poteſt: & naturã craſſã, aſſiduitate laborũ vincere: mutatiõe loci iuuare, ipſaq; obediẽtia cõpeſcere. Cõtra & ingenu⁹ aſſuefactiõe malorũ qđ deterior reddatur, quis negabit? Iã vides diuerſitatẽ iſtã, nõ à corpore nõ à parẽtib⁹

H 2 *neque*

neque aliunde ſeparatim vt meminimus: ſed à iunctis ſingulis, oriri.

De ſede animæ rationalis

CAPVT XXVI.

DRymus. *Diuerſitatem ingeniorum ex vnione concurrentium accepi, cùm porrò & id potiſſimùm ab operatione animæ proueniat, quæ eius ſedes, ex tot grauiſſimorum virorum opinionibus denuncietur: operæprecium inquirere exiſtimabam.* Symbulus. *Noui alios animam ſecundum ſe totam in toto, & in qualibet parte totius, totam: alios eam in corde, alios in cerebro ſtatuere. Cæterùm ſingulæ vbi diligentiùs excutiãtur, ſuo modo, veritatem afferent.* OLISTVS. *opiniones recitatæ nil difficultatis habent. Nam virtutem animæ, qua vniuerſum corp⁹ replet & vires corporis excitat, ſi inſpicias: nõne per vniuerſum corpus eã diſperſam deprehẽdes? Deinde ſi ad particularia cõferas, & memoratiuam potentiam, cui & intellectus: & voluntas adhærent, expendas: in cerebro animæ ſedem negabis? poſtremò perge ad affectus, cogitationes, theſauros & ſimilia: ex corde hæc necdum, quod & Math. 6. habetur, intelligis? Iam animam in corde rectè ne ſtatuant, ignoras? Diſtingue materiam circa quam, facilè hunc ſcrupum ignauis arduum, è medio tolles. Virtutem conſideras? diſperſam concedas. Memoriam reſpicis? ad cerebrum referas. Affectum ſpectas? cor animæ domicilium definias.*

De animarum in corpore humano diſcrimine CAPVT XXVII.

DRymus. *Reſpectus iſtos percipio: ſed plures animas in corpore humano inde ſtatuo: vt alia ſit cordis, alia cerebri, alia virtutis.* Symbulus: *Caue ne cachinni rigidi, cẽ-*

ſuram

ſuram incurras. Munera quidem diuiſa in corpore viuendi aſſerunt nonnulli, vt ratio in cerebro: ira, in corde: Cupiditas in iecuſculo, conſiſtant: ob id autem plures in humano corpore animas ſtatuere, an non ridiculum eſt? potētiæ plures ſunt: nemo dubitat. Trigonus & tetragonus, quod diuerſa ſint: nec id ambigitur. Cæterùm trigonū in tetragono ſeparari: hoc iam negatur. Nondum intelligis animā tanquam tetragonū eſſe? Drymus. *Rectè. Ergò corruptibilia & incorruptibilia eiuſdem erunt ſubiecti? aut vegetatiua & ſenſitiua cum rationali immortalis & incorruptibilis.* Symbulus. *diſtinguuntur hæc potentijs in vno: animabus ipſis verò, in diuerſis ſubiectis.* OLISTVS. *Exiſtimas ſeparatas præter rationē nil habere? ſenſum & vitam amiſiſſe? Et viuunt vtiq; & ſentiunt ſed præſtantiori modo. Ita Deus viuit, ſentit & omnes gradus naturæ: ſed æternos indiuiſibilesq́; habet. Ideo Eſa. vltimo inquit: Nunquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam dicit Dominus? ſi ergo qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero, ait Dominus Deus tuus? Itaque gradus hiſce naturæ ſuis ſubiectis perpetuò inſunt: ſed nobiliori, nobilius. Quid putas: Animam in homine & vegetatiuam & ſenſitiuam cōplecti poſſe: ni ſecum illam aptitudinem adferret? Differt tamen ab eis quas recipis. Quod ipſas velut tuitione foueat: ſuas verò ſeipſa. Licet id videre in diuerſis liquoribus, quæ non differunt commixtione, niſi artifice & guſtu?*

De ſomnijs & an per ea diuinari poſsit

CAP. XXVIII.

ANimæ ſitum et ſedem aſſequor. Verùm quieſcente corpore, et potiſſimùm humoribus à corde ad cerebrū ſublatis anima cùm non quieſcat: Vtrū per ſomnia nobis aliquid rerum incorruptibilium patefaciat? Symbulus. *alia ſunt, quæ ex*

ſomnijs naſcuntur, negligenda et nil minus quàm curanda: vt inſomniũ & phantaſma: alia quæ vates interpretãtur, videlicet oraculũ. Viſio et ſomnium. Illis crapula enunciatur: his vero ſeria et diuinitùs quæ proueniunt. OLISTVS. *Rectè diſtinguis. Illa quæ primi ſunt generis & floccipendenda: ex crapula & forti imaginatione oriuntur, atra bili non parum ijs opitulante. Hinc Dæmonum etiã operâ ſæpè in ſomnijs nobis multa horrenda obuerſantur: præſertim quæ primis & ſecundis vigilijs ſeu excubijs fiunt. Cæterũ tertijs & quartis, decocta iam crapula, ſomnium aliquid minuit: tegitur tamen figuris, & velatur ambagibus, non niſi interpretatione intelligendis. Si oraculum eſt: vtique extra omnem crapulam: cũ videlicet nobis in ſomnijs aliquid denunciatur. Si Viſio: neque hæc niſi magni myſterij erit: quàm id videmus, quod eodem modo quo apparuerat euenit. Diligenter hic animaduertendum, vt hæc ab illis ſecernantur. Hæc enim myſteria: illa ſuperſtitiones vitandas ſecũ adferunt. Cupis vaticinari: te ipſum imprimis cognoſcas: quod maioris mundi ſimilitudinen per omnia geras. Idẽ enim eſt erigere figuram cœli, quod ſomnia interpretari. Myſterium magnum dixi. Habes in cœlo aſpectus, Domos & reliqua? in te eadem certa proportione continentur. Sicut Deus per ſuperiora illa ſigna, quæ mundo immineant, oſtendit: ita & per inferiora hæc aut potiùs interna Ideò ſigna toties Solis, Lunæ &c. ſacris literis prodita leguntur. Hæc partim bona nempe bonis: partim mala, vtpotè malis dicuntur. Itaque intellige proportionem in te, firmamenti, planetarum & elemẽtorum: nil oberit, quò minus ſomnia interpretari poteris. Non quod neceſſario ita ſequatur euentus: ſed phyſicè, qui mutari poteſt: quando abſoluta neceſſitas à ſolo Deo. Conſidera prophetiã Ionæ, certam vtique: quam tamen euentus minimè eſt ſecutus.*

De

De brutis animalibus an aliquid cognationis cum hominibus habeant. CAP. XXVIIII.

DRymus. *Animam gradus naturæ, nobiliori tamen modo, quàm corruptibiles & corporeæ ſubſtantiæ habere intellexi. Puto inde omninò, & reliquas ſubſtātias eadē in ſe ꝓportione quadā continere: ignobiliori tamē ratione. Sicut Deus generat æterno modo: ita homo temporali, fine perpetuò: ita bruta in tēpora quidem, fine tamen quoque temporis. h. e. corruptibili. Itaque bruta arbitraríſne nil cum hominibus cognationis habere?* Symb. *ipſe reſpondiſti: neq; ego ꝓportionem nego.* OLISTVS. *Hic nil difficultatis eſt. Quod enim voluntatis eſt in homine: in brutis inſtinctu exprimitur: in vegetabilibus attractionis vim retinet, & Appetitu cōmuniter ſignificantur omnia. Ita Elephanti videntur proximè ad hominem accedere: Cū quodāmodo ſuis aſſuefacti, intelligant, & ad nutum hominum pareant. Similiter canes: Itē Simiæ. Accedunt ijs diſpoſitiones in habitum verſæ: quæ parum minus naturam æquare videntur. Id patet iu auibus, certè non aliunde quàm ex ſympathia proportionis: qua inſtinctus & voluntas ſe mutuò reſpiciunt.*

De manu arefacta, quòd naturaliter præſente reo ſtillet. CAP. XXX.

DRymus. συμπαθείας *virtutem percepi: qua cognationem illā, veluti potiſſima cauſa, fieri dicebatis. Hinc Quæſtio eſt: an propter eandem cognationem ſiue ſympathiæ, ſiue antipathiæ manus arida, præſente reo ſtillet? naturæné an præter eam miraculis adſcribendum?* Symb. *omnia à Deo ꝓuenire, nemo niſi inſanꝰ negabit: naturaliter tamē id quoq; fieri poſſe non*

non dubito. Drym.*Ergo lignum putrefactum vireſcit? idem enim eſt.* Symb. *reſolutione facta concedo : continua autem ratione cōpoſitionis nequaquā.* OLISTVS.*Imperator Cæſar Ferdinandus dominus meus clementiſſimus, ſæpè inter prandendum, grauiter hac de quæſtione diſſeruit. Nec mirum quod apud multos ſepulta ſit. Difficilis vt aiunt eſt? vtique ijs qui diſciplinas ſublimiores neglexerunt. Nos porro quid in ea parte præſtare poſſimus: experiemur. Duas potiſsimum cauſas, cui id naturaliter contingat, reſolutionem et antipathian, ponimus,* ἀνάλυσις *eſt inuerſa* σύνθεσις, *et quaſi retextio complexionis, hoc eſt.* τῦ συμπεράσματος. *Quemadmodum enim hæc in ſyllogiſmo: ita in corporibus deſideranda. Habes compoſitionem: reſolutionem ignorabis? non vides, contrariorum eandē diſciplinam? necdum aduertis, vnius reſolutionem, alterius compoſitionem? Da generationem hominis: quid impediet vt & corruptionem des? adhuc neſcis, principium compoſitionis : finem reſolutionis eſſe? Hominis generatio, nónne lac in ſanguinem, deinde in carnem, poſtremò in membra commutatur? Lactis forma ablata: ſanguinis inducitur. Hic ſenſim in carnis formam tranſit, per coaceruationem: quæ & ipſa eadem ratione conſolidata, membra parit. Ecce rei effectus cernitur : actio tamen præcedens inſenſibilis eſt. Lac potentiam ſanguinis habet: actu necdum vides: necdū effectū aduertis. Concedis id in compoſitione: quid oberit, quò minus & in reſolutione? ceſſa iam mirari manum aridam ſanguinem ſtillare. Non video, inquis, ibi ſanguinem: imò neque aliquem humorē. Neque in Lacte ſanguinem cernis, neque oſſa in carne. Ergò quod nil horum effectus exponat, nil erit? Auferamus igitur generationem omnem: vbi manus arida? vbi diſputatio de ea? Natura te ad impoſſibile deduxit. qui impoſſibile naturæ, quod tuæ ignauiæ erat tribuebas. Itaq; quemadmodum ſanguis in carnem compoſitione tranſit: ita caro in ſanguinem reſolutione. Dices fortè arida manus ne-*

que

que carnem neque ſanguinem: oſſa duntaxat habet. Tantò magis, ſi ſapis, & carnem & ſanguinē complectitur. Reſolutio oſſis nonne vnde natum, in id fit? Quid hoc: an non caro? an non ſanguis in ea, & in hoc lac? Totum habes: parte carebis? Drymus. ignoſce. Turbabo ſermonem pauliſper. Video te ad præſentia magis attentum. Abuteris philoſophorum hoc principio, opinor. Non enim dicunt vnde proximè aliquid componitur, eò reſolui: ſed vnde primò, eò vltimo. Prima igitur compoſitio cùm elementorum ſit, reſolutio vltima, eorundem erit. OLISTVS. Bellus tibi videris, & ſapiens. Ordine compoſita admittis omnia: ſine ordine reſolui putas? Nónne ἀνάλυσις ordinis inuerſio eſt? Moritur homo: an continuò calor aufertur? plectitur quis capite: ratio aufertur: an ideò vita? cor viuit, ſanguis calidus effluit. Cur item ſoluta anima à corpore, eadem cadauera multis annis, hinc inde obambulent? Diabolus creare, quod ſolius Dei eſt, non poteſt. Aſſumere quidem corpus: ſed vitæ aptum quit. Vnde vita? ex illæſione cordis. Ideò vidimus ea corpora, per medium cordis transfigi: neq; in poſterum, obambulare. Qui id fieret: ſi ratione ablata & reliquæ potentiæ auferrentur? Manent potentiæ: multò magis id, cui inſunt, permanebit. Oſſa durabunt: &, vnde ipſa: peribunt? Ordo ergò naturæ ſicut in compoſitione ita in reſolutione ſeruatur. De primo autē illo & vltimo philoſophorum non media: quin principia & fines vltimi compoſitorum intelligendi ſunt. Atq; ita manifeſtum eſt, quàm diu oſſa: tam diu & reliqua vnde oſſa, durant. Manus propterea arida diſperſas portiones veluti atomos, ſanguinis habebit: ſicut & terra auri, cæterorumq; metallorum: quæ coaceruatione facta producuntur. Chymiſtæ proinde, hac parte neglectà, fruſtrà laborant. Iam nulla difficultate antipathiæ virtute, obſeruata: naturaliter præſente reo aridam ſiue manū, ſiue aliud corporis membrum, ſanguinem ſtillare, deprehendes. ἀντιπάθεια ſiue naturalis quædam diſſidentia, &

ꝟis rerum contraria eſt. Huic opponitur συμπάθεια, *quæ mutuam quandam rerum inter ſe cognationem ſignificat. Hoc diſsidium non in hominibus ſaltem, verùm etiam in cæteris animalibus eſt. Experientia in pelle lupina & ouina patet. Hæc enim ab illa conſumitur: neque eorum fides vnquam ſimul iunctæ concordant. Ideò quædam vi naturæ ſuæ auxiliantes, contra venenata omnia genera ſunt. Id Aphr. probl. vlt. lib. 1. his verbis expreſsit:* φυσικὴν αἱ ἀντιπάθειαν ἔχουσι πρὸς ἕκαστον ἰοβόλον θηρίον. *Quandoquidem compoſita omnia ex contrarijs: neque hæc auferri poſsint, niſi prorſus in ſimplicia redierint: quæ tum compoſita nequaquam, ſed erunt ſimplicia: vtique in omni mixto vis* ἀντιπαθείας *conſiſtit. Quare in homine etiam mortuo non minus erit. Ira ſiquidem rationis non eſt. Senſus cum ſit: corporis minimè? In corpore præſertim animato ſanguinis ebulitio circa cor: ira dicitur. Conclude ipſe. Præſente reo, hoſte capitali: qui non modo partem offendit corporis: ipſam quoque vitam ademit. Ebulitio illa portionum & atomorum ex quibus corpus eſt, nónne magna vi circa manus aridæ ſcopum, fit? Vide lateres: ex ipſis tamen oleum. Inſpice centauriam prorſus aridam, an non amaram? Vnde quòd Turcois melancholiæ aduerſetur? Vnde Magneti quòd ferrum attrahat? Vnde quòd Saphyrus coitum non patiatur? Vnde vnguibus, quòd liquorem emittant? Idem & lapidibus ineſt: longè tamen aridis magis, manu illa. Hæc eſt illa Magia naturalis, quam ſtolidi quidam, in Pico Mirandulano Principe, Doctiſsimo & religioſiſsimo damnabant. Contemnis hanc: caue ne te condemnet natura: qua ablata nihil es.*

De Idea Platonis,

CAP.

CAP. XXXI.

DRymus. *Naturæ inſitam* ἀντιπάθειαν *non dubitaui: eius autem originem percontabar ſæpius. Sicut conycio totã ipſius vim in ideis potiùs, quam ideatis conſiſtere deprehendo. Cæterùm Platonis & Ariſtotelis diſſenſio, nonnihil ambiguitatis mihi peperit. Alter eas ponit, alter negat.* Symbulus. *Plato non eſt, qui non niſi diuina quæq; tractarit: Ariſtoteles profundiſſimus Philoſophus, ab eo nequaquam diſſentit. Reprehendit verò nomine Platonis eos, qui Platonica perperam interpretantur et defendunt.* Drymus. *Quid nitaris video: quomodo necdùm aſſequor. Plato ideas à prima Dei idea dependentes, intelligentias, vt opinor: Ariſtoteles abſtractas iſtas à ſenſibilibus obiectis & corruptibiles, intelligit. Item hic, in vita fœlicitatem iſta: ille ſecus ſtatuit. Summum bonum in ea collocat: Plato contrà. Iam ideas ex pende vtriuſq;: diſcrimen corruptibilium & incorruptibilium habebis. Hæcne conuenire exiſtimas?* Symbulus. *ſententia quam recitaſti, ſingularium non vniuerſalium eſt. Summum bonũ apud Ariſtotelem, præter huius vitæ fœlicitatẽ, aliud eſt: vitæ nempe contemplatiuæ, propter quam actiua hæc nuncupatur.* OLISTVS. *Vitæ beatæ, non ſenſibiles iſtæ actiones: ſed puræ & ineffabiles dicuntur. Eã conferas, cum ideis Platonicis: nonne intelligibilis mũdi aſſeuerabis? Quæ deinceps altercatio inter vos? Si quid eſt, quod Ariſtoteles perfectũ cenſet: id ex hypotheſi fit. Cicero eadẽ de perfecto oratore ſenſit. Sublimior eſt Ariſtoteles: quàm vt gerris ſiculis conſtet.* Drymus. *Quare igitur ex fine brutorũ, hominis finem elicit?* OLIST. *propter actionẽ. Bruta reuera vt agant, ſicut & homo in hac vita, cõdita ſunt. Inde fit, vt vitæ actiuæ denominatio emerſerit: quæ, relatio quod ſit, quis negabit? Patrem ponis: filium aufers? Actiua ergò vita, non reſpiciet contemplatiuam? Finem*

hominis præter actionem & contemplationem ipſam, vitam nempe deſideratiſſimam, quid impedit, quò minus, necdùm videas, ſed etiam contrectes? Ipſe iam dirimas controuerſiam: quia idem & Plato voluit: dum Idea, mentem Dei exprimere conaretur. Deum quis vnquam vidit, vt eſt? ne Moſes quidem ita. Eſto quod ille. Quis autem noſtrum? Quomodo eum cognoſcimus? per hæc ſenſibiliáne? ab effectu quidem: ſed à principio nequaquam. Idea eſt, quæ id nobis repræſentat, concreáta: quæ arcet à malo & ad bonum hortatur, Idea eſt quæ amorem Dei & proximi in nobis excitat. Miraris vnde hæc Platoni? non miraberis, ſi ex Hebræis hauſta intellexeris. Repete Ioſeph, filium Iacob, apud Pharaonem regem Aegypti, & Iſrael réliquum ibidem: Deinde Mercurium qui paulò poſt Moſen legem Aegyptijs tulit: Tandem Orpheum, Aglaophemum, Pythagoram & Philolaum Platonis præceptorem. Hinc eſt quicquid in Platone admiramur. A Deo: non ab homine. Non noua: vetus potiùs doctrina eſt. Ariſtoteles hanc ſuſpicit: prauos ſectatores duriùs reprehendit. Non Platonem: ſed pertinaces illas ſimias oppugnat. Platonis per hypotheſin meminit: iniquos autem illos eius interpretes hoc nomine ſignificat. Non enim dubitabat de Platonis & ingenij magnitudine, & vitæ probitate: qui multa ne ſucceſſu temporis vileſcerent ænigmatibus, parabolis, tropis, allegorijs & ſimilibus obſcuriorum rerũ indicijs, complexus eſt: ſed tantarum rerum temerarios iudices taxat, eorumq́ ſenſum impugnat. Id acutiſsime dum peragit: digito quaſi Platonis ſententiam diuerſam ab eorũ opinione oſtendit. Quaſi dicat: iſtáne Platonis ſententia erit? Plato vtiq; toto cœlo aberrauit. Ita hoc quoq; tempore, multi ſunt, qui autoritate ſuorum præceptorũ nituntur, aut malè, aut prorſus nõ intellecta, & in præceptores omnẽ ignorantiæ ſuæ ſenſum, ne dicã culpã, transferũt. Quid aũt Ariſt. de ideis et q̃ præclarè ſentiat, lege 12. Metaph. Id & nos in Eulogo fuſiùs tractauim⁹.

DE

De Viſione.

CAP. XXXII.

DRymus. *Ideas alias connatas: alias abſtractas obſeruaui. De illis ſatis: de iſtis paulò plus dicendum. Et cum abſtractio potiſſimùm per viſionem fiat: Viſionis opiniones, ac tum demùm rei veritas, exprimenda.* Symbulus. *Alij ſunt, qui radios extrà mittendo: alij, qui recipiendo ſpeciem obiecti: alij vtroq; modo viſionem fieri ſtatuunt. Ego poſtremam tuebor.* Drymus. *Lactantius, per pupillam & per lucidas membranas oculi, ea quæ foris ſunt tranſpiciendo viſionem deducit.* Symbulus. *Concedo: præſente tamen & obiecti ſpecie: veluti ex concurſu interni atq; externi idoli.* OLISTVS. *Res ardua eſt, & ad res arcanas quæ plurimum lucis adferat. Ideò diligentiùs examinanda. Opticus viſionem fieri, radijs viſiuis, eiectis à pupilla, per medium διάφανον, vſq; ad rem viſibilem: cuius lucem, ille idem radius, in oculum regrediens, reflexus ac rarefactus, ſecum reportet, ac oculis offerat: & per neruum opticum, ad cerebrum tranſmittat. Hæc ſententia partim vera, quoad omiſſionem radiorũ: partim falſa, quo ad reflexionem: vtpotè proportioni eius repugnans. Oculi namque in homine, duo illa in cœlo repræſentant luminaria: quæ rectiùs inſpiciens, viſionis rationem deprehendiſti. Etſi ſol ratione ſitus, cor in homine referat: oculo tamen, propter lumen, comparatur. Neq; duo hæc tantum, lumina: quin etiam reliquarũ ſtellarum proportio. Sicut enim canicula intendit ſolis virtutem: ita internum illud idolum, multorum conceptum domicilium radios eijciendo, auget, & confirmat. Sol attrahit exhalationes et vapores: oculi quoque. Vnde putas effectum illum oculorum & virtutem radiorum in Iouialibus? quàm primùm enim amorem conciliant. Vnde terrorem in Martialibus? è veſtigio ſiquidem videlicet vultu, ro*

bore nondum expoſito timorem incutiunt aduerſarijs. Vnde in ſolaribus tantum ingenij acumen? qui videlicet parũ adiuti, propria induſtria, res quaſuis etiam difficilimas, cum emolumento, aggrediuntur. Idem alijs etiam in ſubiectis, pro diuerſitate cœleſtis virtutis, patet. Oculi ſanè potiſſima in homine indicia animorum ſunt, & in matrimonio maximè obſeruanda. Quid quòd pleriq; extinguunt ſubitò ſuum erga vxores amorem? puto quod non amor, ſed aut opes: aut iniquitatis ratio, copula eorum fuerit. Amor ille non externus: quin ſympathiæ requiritur. Nouiſti hæc cœleſtibus comparare: inde proportiones dicere: vtiq; in cunctis animantibus occultas & planè diuinas res inueſtigare, nullo labore poteris. Expende, Baſiliſci virtutẽ, qui radijs ſuis, neminẽ non inficit: imò necat. Prægnantiũ aſpectus deinde quid non moliatur? Quid quadrati in mulieribus aſpectus, non portendunt? Quid Lunatici & ſimiles non efficiũt? Hæc ſatis manifeſta ſunt: ſed virtus recõdita, qua ex oculorum aſpectu, etiã interiora, animi videlicet ſenſus, patent. Iam quomodo eiectio ſit radiorũ & quid efficiat vidimus: reflexionem quodammodo deprehendimus: non tamen ad oculũ, ſicut neq; reflexio ſolis ad ſolẽ: Magis autem concurſus internæ atq; externæ virtutis. Cæterum quòd alij exiſtiment viſionẽ fieri, quod idolũ ſpiritale, progrediatur quodammodo à re viſa, per mediũ διάφανον vſq; ad pupillã oculi, ſuſcipientis idolũ, in ſe refulgens: ſicut & ſpeculum, imaginem ſe intuentis: nõ repugnant. Id enim propter ordinem quo ad nos fit: vt intelligamus entiũ conceptus in natura formare, ac ex ſenſibilibus inſenſibilia facere: effectus nimirũ ad ſuas cauſas referre. Quid illud vulgatũ: Noſce te ipſum, ſignificat? niſi hunc ordinẽ cognoſcas, non facilè dijudicabis: Definire aut diuidere nihil poteris. Rectè ait Lactantius concernens principalem partem viſus, per pupillã & lucidas membranas oculi, mentem ſeu ſpiritum viſiuũ, ea, quæ ſunt foris tranſpicere. Nam cùm mens recipit

ima-

imagines rerum: Intellectus eas ſuis operationibus ventilat, hoc eſt ſimplicem illam apprehenſionem, diuiſione, compoſitione, atq; diſcurſu rimatur: ac veluti ex ſilicibus inter ſe colliſis, veritatē vltrò emicantem, cernit. plura in Encyclopedia. Poſtremò alij quibus & nos aſtipulamur viſionem fieri per συνάφειαν *hoc eſt connexionem, ſicut animæ & corporis, in reſurrectione, vt Damaſc. inquit:* περὶ ἀναστάσεως, ἀνάστασίς ἐστι πάντως, συνάφεια πάλιν ψυχῆς τε καὶ σώματος. *Quemadmodum corpus ſine anima videre: ita anima ſine corpore hos entium conceptus formare nequit: quin omnia per connatū medium: ſicut angeli, extra ſuam ſubſtantiam, quā per ſe intelligunt, percipit. Per concurſum ergò radij viſiui & idoli viſibilis, quæ in medio perſpicuo conueniunt, viſio fit: ita vt inde radios ſuſceptum idolum transferat in oculum: id quod Plato in Phædro fuſiùs declarat, Vnde non obſcurè duplicem oculum, ſpiritus & corporis, ſeu internum & externum cognoſcemus. Propter hunc, receptionem: propter illum, eiectionem radiorū ſtatuimus. Ita vt ſint, ſicut actio & paſſio, relatiua: anima efficiat, natura: corpus patiatur, velut inſtrumentū. Origo vtriuſq; diuerſa eſt, diuerſa quoq; media et obiecta, quod ad ſubiectam materiā: ne quis ſenſationē ex ſenſibili ſupra ſenſum poſito, eruat. Media duplicia. Corporis: tranſparens humidum, chriſtallinū & aëreum. Animæ, mediū, ipſius virtus. Obiectum res opaca, corporis: animæ verò, imago abſtracta, ſiue connata. Propter animæ & corporis coniunctionem omnia ad viſionem, quæ ſpectant, coniuncta ſint oportet. Rerum arcanarum domicilium habes, vtere.*

De Centro Mundi,

CAP. XXXIII.

PRymus. *Solē et oculis et cordi, huic propter ſitū: illi propter lumē, comparatū paulò antè memini. Cor ergò cētrū mun-*

mundi?nóune cor centrum hominis? Symbulus. *Sol proportio cordis quoad cœleſtem mundum: terra verò quoad elementarẽ. Quod ſi mundi totius centrum quæras: hoc, ratione infimi: illud ratione medij. Primi verò principij Deum omnipotentem omnium rerũ centrum, circa quem totum vniuerſum verſatur ponimus. Proximi deinde, vtpotè intellectualis: mentem creatã.* Drymus. *De elementari loquamur. Videtur ignis, non terra centrum eſſe, propter Iouis carcerem & Infernũ: qui vt Theologi aſſerunt, igneus eſt. Itaq; ſi ignis in terræ medio terra nequaquam centrum erit? quin nobiliori, videlicet igni, nobilior, vtpotè medij, locus tribuendus.* OLISTVS. *rectè Symbulus centri diſtinctionem aßignauit. Elementum ignis cum propius ſit centro nobiliori: vtpotè cœleſti: fruſtrà ad terreſtre contendis. Infernum & ignem in medio terræ collocas, non vtiq; Elementum, ſed (vt loqui conſueuerunt quidam) elementatum, vt potiùs terreſtrem ignem, terramq́ quam ignẽ dicas: veluti ex diuerſis elementatorum commixtionibus conflatum.*

De terræ ſitu atque motu,

CAP. XXXIIII.

DRymus. *De terra tractatur. Cur obſecro reliqua vniuerſa mouentur, terra nequaquam?* Symbulus. *Vt principium et finis Dei ſit. Terra immobilis primum mouens & id immobile refert. ab illo omnia corpora: circa terram autem mouentur. Licet & illud in Archetypo tale circa quod omnia: imò in ipſo, per ipſum, cum ipſo, ab ipſo ſint.* OLISTVS. *eruditè admodum. Circularis enim motus, vltimum & proportione grauitatis adæquatum veluti centrum ad medietatem pellit. Hoc in medio conſiſtens, vt immobile ſit: motus contrarij diurnus & Planetarum efficiunt. Id ex ventis colligi poterit contrarijs: vbi turbo*

potiſsi-

potiſsimum, ventus validiſsimus & vorticoſus excitatus fuerit, quæque deturbans, proſternensque. Multò magis in motu illo perpetuo: quo terra in medio, immobilis eſt.

De ventis.

CAP. XXXV.

DRymus. *Ventorum meminiſti: de illis nonnihil vlterius dicendum. Seneca enim & Vitr. ventum aërem, radijs* Solaribus *huc inde agitatum: Ariſtoteles verò, exhalationem ſiccam & calidam, lateraliter motam circa terram, aſſerit, Vtra igitur verior?* Symbulus. *Materialem inſpicis, Ariſtotelem non malè: cauſam efficientem ſpectas, neque Vitruuium ſentire ineptè, aſſero.* OLISTVS. *Exhalatio ratio eſt, cur à media regione aeris depulſa lateraliter moueatur: quæ reuera, niſi ex præcedente ſolis attractione, fit: Sol igitur non impedit antiperiſtaſin mediæ regionis: quin vtraque, vnius effectus cauſa eſt. Ideò & Polyd. & Verg. ex concurſu ſtellarum venti generationem dixerunt: Si benè intelligantur, admodum eruditè. Sol enim regimini ſubiectus ſtellarum nunc intenſior eſt, nunc remiſsior: ſicut ex canicula patet.*

De maris æſtu atque reciprocatione.

CAPVT XXXVI.

DRymus. *Aeſtus maris eiusque reciprocatio occurrit, quod ex ventis id quidam fieri aſſerant: quamuis alij reciprocationem à lunæ ſolisue motu cauſari velint. Quid tu ad hæc?* Symbulus. *Luna æſtum efficit maris: ventus adiuuat.* Drymus. *nónne diuerſum lumen à ſole, Lunæ accedens, hæc ef-*

ficit? Sol potius ergò, quamuis & influētia Lunæ, horum cauſa erit. Symb. *Sol remotior Luna proxima ratio dicitur.* Drym. *propter quod vnūquodq́; tale illud magis tale. Sol igitur à quo Lunæ vis magis talis, hoc eſt æſtum illū efficiens magis, quā Luna.* Symb. *maxima iſta in cauſis directis: non autem indirectis aut concauſis valet.* Drymus. *Necdum adduci poſſum, vt conſentiam. Video. n. lunā in prima (vt aiunt) quarta nullos aut paucos efficere æſtus. Porrò vbi Veneris coniunctio acceſſerit: æſtus nimius naſcitur. Rurſus ſi fuerit Luna in ſecunda quarta, æſtus imminet: Marti tamen coniuncta, æſtum aufert.* Symb. *ignoras ſuperiora agere in hæc inferiora? impediunt ſicut & augent: nō tamē directè.* Drym. *Cur igitur omnia maria eodē modo non reciprocantur?* Symb. *propter ſitus diuerſitatē.* OLISTVS. *Hac in re diligentiùs ſingula aduertenda ſunt. Aeſtus enim & reciprocatio illa neq; in ſole ſimpliciter: neque in luna, aut cæteris ſtellis conſiſtit: quin potiſſimū in motu: deinde in ſucceſſu temporis quibus & Lumen: & influentiæ accedunt. Id ſiquidem non vni aſtro: ſed primo motui in genere, & aſtris illi ſitui dominantibus tribuitur. Quare alia Aequinoctialis: alia itē colurorū, tropicorū & zodiaci ratio varietatis, quæ inde procedit dicitur. Sol vna cum cæteris planetis ſub aliquo circulo verſantur: an non etiam ſub ſignis eidem inhærentibus? nónne ſole exiſtēte in Ariete, Luna remiſſior: in Leone verò, intēſior eſt? Cur Leoni ſitus ſubiectus magis æſtuet, non vides? cur Sole ſub Tauro incedente, penes quem & Cingulum Orionis, maiores tempeſtates & ſimilia excitat, nec hoc deprehendis? Sol etſi reliquos planetas lumine excellat: non tamen eorū lumen immutat: neq; influentias labefactat. Luna cū infima ſit: curſum ſuū citius abſoluat cæteris planetis: & diuerſis ac plurib. influentijs ſæpius ſubijciatur. difficilène inde erues cauſam, cur Luna multorum effectuum vicina cauſa ſit? expēde quod Luna & lumen, & motum, & influentias ſuperiorū*

parti-

participatione quadam recipiat: ac propter crebram illam coniun-ctionem, ſaturninam quandam ſenectutem inducat: ideoque frigidis, & humidis non parum dominetur: & ad eius ortũ, mare creſcat: viciſsim occaſum, decreſcat. Oberit tum demum nihil, vt præſentem quæſtionem ad amuſsim intelligas.

De lumine ſtellarum.

CAP. XXXVII.

DRymus. *De Aſtrorum lumine tractatum ſatis: ſed habeant ne lumen proprium vel aliunde, nondum.* Symbulus. *vtrunque poßident.* OLISTVS. *Deus perfectè omnia creauit, & luminare maius, & minus: vt hoc nocti, illud diei præeſſet. Hoc lunam & ſtellas: illud ſolem deſignans. Quare propriũ lumen ſingulis ſtellis ineſt: Sol tamen, maius nempè luminare vbi exortũ fuerit, minora obfuſcat non ratione ſtellarũ noſtri potiùs. Dicuntur igitur ſtellæ à Sole lumẽ mutuari partim quod per abſentiam ſuã concedat ſtellis, actum quoque illuminandi partim quòd ſuo lumine, proprium illud, & eis à creatione inditum, augeat. Ita & oculis ſcintillæ quædam etiam in tenebris micantes, inſunt: accedente aũt lumine ſolis, & medium illuſtrãte magis vidẽt. Venia ſit cõparationi: q̃dam enim animalia noctu magis quã die vidẽt propter antiperiſtaſin. Solis radij aërẽ illuſtrant, & augere lumen ſtellarũ dicuntur, quod noſtrum illuſtrent, & nobis facultatẽ tribuant, earum lumen cernendi: non quod ſtellis aliquid accedat vel luminis decedat* Ἔκλειψιν *hìc oppones? lumen equidẽ ſolis deficere: non tamen Lunæ concedam. Aufers & hæc: quomodo de eclipſi Lunæ iudicabis? Solis reuera lumen collatione facta, cum lumine reliquarũ ſtellarum omniũ lucẽ ſuperat: nõ tamen cõtinuò, tribuit, aut priuat: niſi quoad nos priuationẽ eo, abſurdã quidem, referas.*

 De con

De conglutinatione corporum cœleſtium.

CAPVT XXXVIII.

DRymus. *Corporum cæleſtium concurſum iſtum libenter audiui. Cæterum quî fiat, cùm vacuum in natura non detur, corpora illa, ita ſint connexa & moueantur: vt alterum, alterum, non impediat omninò, tantum abeſt vt ſecet.* Symbulus. *audiamus ea de re Oliſtum potiùs.* OLISTVS. *Dulciſsima ſanè res inueſtigatu: hactenus à paucis intellecta. Vnica hæc cauſa, quò minus Aſtrologi ſuarum prædictionum, niſi rarò, & caſu potiùs, quã arte, compotes fiunt. Aſtrologia certa & ars firma: artifices tamen incerti & infirmi omnes, qui ſupplementum interſtitij corporum cœleſtium, ignorant. Ideò quidam vacuum excuſantes & Sphærarum conciſionem, eccentricos orbes ſtatuerunt. Quidam deinde lumen: veluti ſubſtantiam orbium cæleſtium poſuerunt: Alij mutuum contactum, ſine concentu: vtpotè quod orbes illa duritie carerent, collocarunt. Nonnulli harmoniam cœleſtem elicientes, concentũ admiſerunt. Opiniones iſtæ aliquid ſecum, quod veritati cõuenit, adferunt: nã & lumẽ & eccẽtrici dãtur: non tamẽ ideò aut vacuum aut conciſio excuſatur. Altius ergò meditandum vt & vacuum & conciſio tollatur. Conferamus nos ad Pythagoricam illam: diuinam videlicet, inquiſitionem: ne fortè inde aliquid, ad rẽ quod maximè faciet, eruere q̃amus. Ecce binas elementorũ in æetherea regione numerationes: quæ prima fronte ſe nobis, computatione retrograda offerunt. Nónne hæc illa eſt cauſa, & conciſionem quæ: & vacui poſitionem auferat? Vides Elementa mutuò iuuari: neque aliquem locum, aut conciſionis, aut vacui admittere. Quid iam impedit quò minus hæc in ſuperioribus, proportione illa nobiliſsima, cernas? Eccentricóſne, propter methodum potiùs inuentos, quàm vt res aliquæ ſint, id præſtare poſſe, opinaris? Videas mun-*

as mundum ſublunarem ſuis elementis ornatum: ſupra lunam nil horum exiſtimas? an non Luna vt terreſtre cælum ita cœleſtis terra nuncupatur? aſcende Mercurium, aquam, cœleſtem: Venerem, aerem cœleſtem temperato calore viuificum: Solem tum demùm ignem, vel ex natura deprehendes. Deinde à firmamento, ita etiã ordine computationis poſtulante, deſcende: hoc vtique terram dices intelligibilium: Saturnum aquam cœleſtem cognatam Mercurio: (ille enim damnatæ frigiditatis ſenex: hic verſipelle & arbitrum ſidus dicitur:) Iouem aërem, & ipſum Veneri cognatũ: Martem ignem vicinum Soli. hic ſenſim, ille vi quadam feruet. Patet iã Elementorum natura in cœleſtibus, ſeu vis quædam. non tamẽ qualitates, quas ſuperiora, non admittere, philoſophus diuinus, rectè iudicauit. Quid necdum aduertis proportionem omnem illam, ſi quæ eſt, naturæ imperfectionem tollere? Rarefactione quadam terra in aquam, hæc in aerem, tum demũ hic in ignem, vt rectè dixerit philoſophus, οὐκ ἔστι πῦρ ἀλλὰ ἀὴρ πυρώδης *& reſolutione tum vacuum, tùm conciſio tollitur. Ita in mundo cœleſti non quidem hoc pacto, ſed proportione virtutis, quædam datur indita Vis quam lucẽ appellamus primo die creatam. Hæc eſt quæ impedit vacuum & omne ſupplet interſticium corporum, quò minus conciſio admittatur: omnia ſuo ordine continet, & omnes motus, ac quæuis ſuis deſtinatis circulis & vicibus includit.*

De occulto cuius non ſimile.

CAPVT XXXIX.

DRymus. *Rem profectò arcanam, & ſcitu admodum dignam magna voluptate audiui: non minus autem & primam Theſin Myſticæ philoſophiæ, ſi qua vnquam fieri poſſet ratione, intelligere cuperem. Arbitror ibi omnium rerum*

difficultatem conſiſtere. Symbulus. *neque id mearũ virium eſt.* OLISTVS. *Mirum.te iſta latent? Nónne olim ex Dialecticorum præceptis oppoſitorum alia eſſe contraria, alia contradictoria, quædã priuatiua, alia itẽ relatiua, didiciſti? ignoras iam oẽm opinionum diſcordiam penes relationẽ & priuationẽ conſiſtere? Expende, occultũ occulti occultum: nónne relatio eſt? occultum & nõ occultum, contradictionem exiſtimas? priuatio ſaltẽ eſt. Adde* θεωρήματα. *A priuatione potentiæ ad habitũ non eſt regreſſus. Item Relatiua ſecundũ eſſe ſimul ſunt natura. Aperi nũc oculos, & depræhẽdes, oẽs cauſas in occulti & nõ occulti collatione, verſari. Quid hoc aliud, q̃ opinionibus pulſis* ἀπόδειξιν *argumentũ nẽpè firmiſſimũ & quod p ſe rei dubiæ fidẽ faciat eruere? certiſſimã cõcordiam, ipſam videlicet veritatẽ, à qua multa res diſcrepat aſſignare. Cauſa eſt in occulto & nõ occulto: concordia verò in occulto occulti. Intellextin?*

De diuerſitate vſus dialectices.

CAPVT XXXX.

DRymus. *Quidnã velis ſentio: eſt confuſè ſaltem, vt philoſophi aiunt, Quod ſi diſtinctiorẽ illum ordinem nobis àſſignares: faceres rem vtriq; noſtrum, omni ſedulitate cõpenſandã* OLISTVS. *Nec hic deeſſe poſſum. Itaq; ad hoc negotium probè cõplectendũ neceſſaria eſt imprimis exacta cognitio, de varietate Dialectices: quæ penes trium linguarum vſum conſideratur. Diuerſitas ſiquidẽ idiomatum, varietatẽ rerũ cõplectitur cũ quodlibet, peculiare quippiã habeat: qđ ei nõ ſit cõmune cũ cæteris. Deinde & contẽplatiuæ & actiuæ Dialectices ſcientiã, percognitã & in prõptu habere oportebit. Primus vſus penes Hebræos eſt, qui in rebus potiùs, quã in verbis cõſiſtit. Iuxta illud Calani ad Alexandrũ: Non ſumus Græcorũ Philoſophorũ ſimiles, qui diu meditatas orationes recitant in celebritatũ cõuentib. ſed res à verbis*

apud

apud nos nõ diſcrepãt. Breui modo & Beatitatẽ & libertatẽ adipiſcimur. Secundus vſus apud Græcos eſt, poti⁹ qui in verbis quã in reb. ſitus videatur. Rẽ enim multis ambagib. & fucis ornãt, & plerunq; in opinionib. verſantur. Quo fit, vt Apoſtolus Græcos natura mẽdaces aſſerat: Tertius Dialectices vſus Latinorũ eſt, medius inter hũc atq; illũ: verba à Græcis: res ab Hebræis habẽs. Hebræi vſum Dialectices paulò diuerſũ habẽt, à cæterarũ linguarũ cõſuetudine, q̃uis finis, veritatis nẽpe inqſitio, vbiq́; idẽ ſit: & niſi ordine differens. Vtũtur ij quidẽ nõ min⁹ definitiõe diuiſiõe & argumẽtatiõe ſed diſpoſitiõe differunt: q̃ vel ſola diſsimilitudinẽ parit. Voces nunq̃ διαθέσεως, ſimulatq́; rerũ, quas etiã κατηγορίας appellant, nõ modo in verbis ſimplicib. maximè aũt in literis, apicib., punctis & ſimilibus collocãt: idq́; cõpoſitione efficiunt, aut cõmuni ordine aut alternãti reliquorũ literarũ acceſsione aut ſimul affluendo, aut omnib. vnũ illud æquè iungendo. Hinc fiunt πόρισματα, veluti obiter à pri⁹ demonſtratis reſultantia. Si enim ſingulæ voces ſingulis literis attribuãtur: non minus ac tota vox, quicquid relictũ fuerit, & immutat, & cõpræhẽdit. Quare nulla difficultate q̃ alijs maxima eſt cuiuslibet rei definitiones apud Hebræos dari poſſunt: quãdo differentiæ eſſentiales eis innatæ ſint, & ſingulis vocibus inſertæ: quare & veræ demonſtrationes, non niſi ab Hebræis petendæ. Exemplo ſit prima illa bibliorum dictio בראשית quam ſi iuxta vſum Dialectices Hebraicum examinaueris, illud Mirandulani principis prodibit: Quomodo nempe pater in filio & per filium, principium & finem, ſiue quietem creauit, caput ignem & fundamentum magni hominis, fœdere bono. Eodem pacto nulla vox Hebræis eſt: quam definire non queas: & arcanum inde ſenſum eruere. Atque hoc potiſsimum animaduertendum vt obliquos caſus ad rectos reducas, eorumq́ue themata inquiras: imò & ordines ſi potes ad primum referas: tum demum

combi-

combinationem ſubiungas: literarum, apicum, punctorum tortuoſitatis, & ſimilium. Hanc rem Capnio & Picus, atque nos in Alphabetaria reuolutione fuſiùs tractauimus: maximè neceſſariam oratoribus. Nam materia tractanda ſi proponatur, breuiter in partes diſtribuenda erit: Tandem Subdiuidendo propoſitum in vlteriores partes reſoluendum. Tum demùm indaganda eſt communis aliqua vox, ad quam omnes illæ partes referantur: quæ meritò ſtatus orationis dicetur. Hic modus memoratiuæ ſcientiæ non eſt poſtremus. Cæterum vſus Græcorum nõ eſt abſimilis tripartitæ, quadripartitæ & quinquepartitæ orationi apud Rethores, id ſic poſtulante vel natura idiomatis. Facundia enim linguæ non poteſt niſi cum iactura ſententiæ omitti. Quare hìc prædicati veri & ſubiecti ratio eſt habenda. Latini & prolixitatem Græcorum & breuitatem Hebræorum temperantes, addunt media, quibus vtrãque extremitatem, coniungunt: non quod illi media non habeant, ſed quod aut implicitè & abſconditè aut patentiùs, & expeditiùs recti & non recti quæſtionem contineant. Hæc tibi non poſſunt non iam innotuiſſe?

De dialectica quid ſit & circa quid verſetur.

CAP. XXXXI.

ERymus. *intellexi ſatis priorem propoſiti partem: quæ vſus diuerſitatem continet. Optarem nunc alteram illã partem pertractares.* OLISTVS. *Benè mones. Dialectica actiua, nihil aliud eſt, quàm ars de contrarijs credibiliter ratiocinandi: veluti media inter verum & falſum. Hoc refutando: illud propugnando. Quamobrem & diſſerendi facultas nuncupatur: & ars artiũ, quoad habitus actiuos: & ſcientia ſcientiarum quoad habitus demonſtratiuos. Hæc potius natura: illa verò arte*

arte conſtat, & perpetuò circa contrariorum diſciplinam verſatur, eorumq́ concordiam. Differendi ergò ratio, veri & falſi iudicandi ſcientia, omnia quaſi ſepimento aliquo hæc vallabit: vtpotè ſimplici & compoſito themate, argumentatione & confutatione. Thema ſimplex locutione, qua quid res ſit inueſtigamus, & elocutione conſtat: qua latène res pateat, indagamus. Thema compoſitum proloquijs vtitur: veluti quod locutionem & elocutionem non modò antecedat, ſed etiam per ipſum & loquamur & eloquamur. Argumentatio ſummam proloquiorum ſibi vſurpat. Nam in ratiocinando ritè diſponere proloquia oportet: ex quibus poſitis et conceſſis, aliud quippiam de neceſſitate, præter id quod poſitum atque conceſſum eſt, ſequitur. Confutatio, iudicando de contrarijs, & dicendo ſuum curſum abſoluit. Dialecticen actiuam circa contraria verſari ſatis patet: quæ nil aliud quàm oppoſita quoquo modo diſſidentia, dicuntur. Quapropter contrariorum alia cum complexione: alia ſine complexione ſunt. Illa propriè ad proloquia referuntur: vbi de contrarijs, ſubcontrarijs, ſubalternis & cotradictorijs propoſitionibus, tractatur. Hæc locutionis ſunt, alia relatiua, quæ hoc ipſum quod ſunt aliorum eſſe dicuntur, vt pater & filius: Hinc πόρισμα: *Relatiua ſimul ſunt natura. Alia item contrariorum, quæ hoc ipſum quod ſunt, aliorum non dicuntur: ſed alterum, alteri ſimpliciter opponitur, vt bonum & malum. Huius* πόρισμα: *Poſito vno contrariorum, tollitur alterum. Alia deinde ſunt priuatiua, quæ ita ſibi inuicem contradicunt, vt in tertio aliquo conueniant, vt viſus et cæcitas, in oculo. Id biſariam, aut quoad priuationem potentiæ, cùm habitus prorſus corrumpitur, cuius* πόρισμα: *à priuatione potentiæ, non eſt regreſſus ad habitum: aut quoad priuationem actus, cum potentia manet, actus ſaltem intercipitur, vt lux & tenebræ, ſomnus et vigilia: Huius* πόρισμα: *à priuatione actus ad habitum, datur regreſſus. Alia poſtremò, contradictionis, quæ ita ſibi in-*

bi inuicem opponuntur, vt in nullo conuenire queant, vt homo, non homo. Hæc à contrarijs differunt, quòd poſitionis certæ: ademptionis incertæ ſunt: contraria verò vtriuſq; certitudinē habent. Inde πόρισμα *contradictoriorū eſt, quòd eorum tam certa ſit veritas, vt in nulla materia ſimul veræ aut falſæ eſſe poſſint: idq; tàm in complexis, quàm in non complexis vocibus. Reliqua cùm ſint facilia ex alijs pete. quid nimirum nomen & verbum: quot deinde prædicamenta, & quid vnumquodq; eorum, in Encyclopædia diximus: ibique ſingulis prædicamentis quinq; voces prædicabiles ineſſe oſtendimus. De contrarijs hæc breuiter dixiſſe ſufficiat.*

De ſtudio Dialectices contemplatiuæ & quid ſit tum circa quid verſetur,

CAP. XLII.

DRymus. *Reſtat vt de cōtemplatione dialectices, vt promiſiſti dicas.* OLISTVS. *Studium Dialectices contemplatiuæ anacriſi potiſſimū conſtat, integritate nempè vitæ & morum, quæ ex dilectione Dei vera, & proximi fluit. Huius finis eſt bona mentis compoſitio, vt potiùs bonum pro malo reddamus, quàm ipſi mali quid, aut agamus, aut etiam cogitemus. Eſt aūt dialectica contemplatiua lumen illud intellectus, ſeu igniculus naturæ inſitus, quòd non niſi in proprio obiecto conſideratur. Obiectum hoc eſt triplex. Primum eſt concluſionū quod præter naturæ vires & concreatū habitum complectitur: quo omnium creaturarum participatio in nobis relucet: lapides in eſſe: herbæ in vita, animalia quædam in ſenſu: quædam verò in imaginatione: Angeli in intellectu: Deus in ſapientia. Secundum eſt primorum principiorum quæ intellectum pariunt & igniculum inſitum, declarant, Eiuſmodi eſt Ens, cuius antecedētia ſunt ſubſtantia et accidens. Conſequen-*

ſequentia verò, aut in anima ratione intellectus, vt verum, & ratione voluntatis vt bonum: aut extra animam quo ad obſolutum quid, vt res, & reſpectiuum, ſiue negatiuè vt vnum: ſiue affirmatiuè, vt aliquid. Tertium eſt altiſſimarum cauſarum, quæ ſapientiam producunt. Triade in ſuis triplicitatibus, continentur: veluti circulo ſine principio & fine ſeipſum perpetuò commeante. Eſt autē Triadis notio Memoria: Intellectus: & voluntas. Memoria rurſus Triadem comprehendit. Subiectum, Prædicatum & Quæſtiones, & quodlibet horum rurſus in Triadem ſecatur, ſicut in Reuolutione Alph. videre licet. Memoria enim habet prædicata abſoluta tria: videlicet Bonitatem Magnitudinem et Duratione͞. Pari ratione & reſpectiua prædicata tria: Differentiam, concordantiã & contrarietatem. Quæſtiones tres: Vtrũ, Quid, Quare. Subiecta tria: Deum, Angelum, Hominem & ſic conſequenter. Hac Triade altiſſimas cauſas quæ ſapientiam producunt facilè quis conſequi poterit: vbi cognouerit concreatum habitum per naturalem creaturis accommodare: mediãtibus principijs antecedentibus, & conſequentibus Ens. Hæc quando intellectũ pepererint, cuilibet principio conſummatum cognitionem ex certa demonſtratione, quæ et altiſſimarum cauſarum vim obtinent, tribuit. Ita quinq; illis principijs quæ conſequuntur Ens, connexio quidem media ſed non vltima & conſummatrix debetur. Quod enim primum obiectũ inchoat, id ſecundum continuat, & tertium abſoluit, vt rectè dixerit quis. Scientiam cauſas incipere, intellectum operari, et ſapientiam perficere: & tamen æquales cauſæ vnius rei ſunt: & quæ non niſi ſola actione diſtinguuntur.

De contemplatiuæ Dialectices difficultate & cauſa: item effectu intellectus, actu perfectionis & caſu hominis,

CAP. XLIII.

Difficultas habitus contemplatiuæ Dialectices non aliundè prouenit quàm ex amiſſione primæ perfectionis. Quã dum magno labore compenſare nitimur & ignorantiæ tenebras depellere: ſæpe iteratis actibus opus eſt: & diligenti intellectus expolitione. Ideò anteà quaſi per tranſennam & obiter conſpiciebamus, quod iam clarè cernimus & integrè videmus ac diſtinctè intelligimus. Simpliciter enim finitus, Hoc eſt, omnib. ambagibus ſepoſitis determinatus & definitus habitus huius intellectus, tum demum eſt, cùm id deponimus quo infecti & fœdati ſumus: cùm errorem omnem & quicquid vagi et ambigui eſt, veram cauſarum cognitionem remouemus. Difficilis eſt ergò is habitus omnibus, quicunq; nulla afficiuntur voluptate luminis intellectus, hoc eſt, veritatis & certi atq; ſtatuti finis, humanarum tum actionum: tum vel maximè contemplationum, quibus tum demum proximũ rectè diligimus, Deumq́ ex animo colimus. Etiamſi verò homo peccauerit per arborem ſcientiæ boni & mali, ac ideò ſcientia priuatus, ipſoq́ intellectu ſeruato, ad pœnitentiam commotus, miſericordiam conſecutus ſit: totus tamen homo ſecundum totam naturam cecidit, & totum integritatis actum & vinculum amiſit: præſertim in iis quæ pertinent ad contemplationem diuinitatis: vbi vera ſcientia continetur: quandoquidem reliquum opinionibus duntaxat, quod extra Deum, refertum ſit. Quod autem intellectus commoueat voluntatem, & flectat ad electionem & dilectionẽ, propter integritatem morum et vitæ pietatem atq; honeſtas actiones, tanquam contemplator & domicilium veritatis, æternitatis & eorum quæ ſe aliter habere non poſſunt: vt eum hominem & diligat propter ſe & eligat propter prauos & impios, quò minùs ab eis inficiatur & contaminetur. Hæc omnia ſic comparata eſſe debent,

bent, vt nil naturæ: quin potiùs miſericordiæ Dei: quam in filio æterno ratione intellectus, per pœnitentiam conſecuti ſumus, aſſcribamus. Porrò cur tota natura ceciderit: non eò, ſiquidem ſcientiam boni & mali homo appetiuerit: quæ ſanè etiamnum omnibus expectanda eſt: quin potius quod mandatum & præceptum tranſgreſſus ſit, non modò ſcientia boni & mali, verùmetiam toto naturæ actu ſpoliatus eſt: actu inquam, perfectionis quo omnia perfectè intelligere & cognoſcere poterat, omnibus creaturis terreſtribus et cœleſtibus præfectus erat, eisq́ eodem actu & nomina ita indidit: vt penè integram cuiuſuis naturã vnica voce complexus ſit. Hic actus poſt tranſgreſſionem reſtrictus imò commutatus et ſimilis iumentis factus eſt, Quis ergò non videt quanta ſit inter actum perfectionis ab actu imperfectionis diſtantia? videas diſcrimen inter actum angelorum et pecudum. Vnde putas primum ſcibile commutatum eſſe in poſterius? An ignoras, quòd nobis primò innoteſcere debebat, vtpotè cauſarum cognitio: id poſtremò & niſi à primo limine cõtingit? effectus enim imprimis & tum demùm niſi per coniecturas cauſæ innoteſcunt. Ideò Philoſophus inquit propter admirari, cœperunt Philoſophi philoſophari, & reuera effectus ipſe eſt machina mundi: qui eos nõ tantum in admirationem, verumetiam in cognitionem primi Entis perduxit. Ita patet quomodo priora facta ſunt poſteriora. Nam in primo ſtatu hominis actus ad eundem omninò modum ſe habebat, ſicut & angelorum. Vt enim Deus ſe & quicquid eſt: aut non eſt, per ſuam ſubſtantiam intelligit, omni adminiculo remoto, ſe ſolo ſufficiente: qui eſt omnis ſapientiæ & ſcientiæ fons inexhauſtus. Ita angelus ſe quidem intelligit per ſuam ſubſtantiam: at cæteras creaturas nõ niſi per concreatum medium: quod eſt velut ſpeculum diuinitatis: in quo ſunt omnia præſentiſſima: idq́ quoad omne obiectum conuertibiliter. Vbi autem id homini connatum, per præuaricationem adimeretur: iam tandẽ

ex actu perfectionis in quo omne obiectū conuerteretur, actus imperfectionis factus eſt: in quo omnis conuerſio ſimpliciter, excepta conuerſione ſecundum quid: & per tranſlationem, ſublata eſt: & priora commutata in poſteriora. Eius rei ratio pluralitas mediorū eſt. Nam pro vno atq; altero medio ad comprehendendum aliquod ſcibile multis medijs egemus: videlicet viſu, auditu, guſtu, tactu, olfactu, communi ſenſu, Aeſtimatione, Memoria, Voluntate, Intellectu & ſimilibus. Vbi hoc eſt animaduertendum: perfectionem ipſam maximam eſſe, quæ proxima vni eſt, & quantò quid diſcedit magis ab vno: tantò imperfectius eſſe.

De Methodo, qua, amiſſa perfectio, recuperari queat & creaturarum actibus,

CAP. XLIIII.

HActenus quid Dialectica contemplatiua & circa quid verſetur: quæ eius difficultas & quare: quis effectus intellectus: quid deniq; actus perfectionis et quantus: quā deinde miſerabilis caſus & amiſſio omnium bonorum homini contigerit, paucis abundè tamen ſatis commemoratum eſt. Incumbit vt methodum quandam inueſtigemus et inquiramus: qua amiſſam perfectionem recuperare queamus: quæ conſiſtit potiſſimum in habitu ſcientiarum. Hunc acquirere quomodo poſſimus: quò mediante redire ad perfectiorem rerum cognitionem valeamus: tentandum erit. Itaq; initium ſumemus à Trigone qui eſt primum principium numeri incompoſiti, & prima omnium figurarum quæ ſingula copulat ſic ſe ipſa Tetractyn perficit. Hic Trigonus in vniuerſa rerum natura relucet. Elementata enim tribus dimenſionibus conſtant: Elementa itidem Opaca, Diaphano, & Lumine, quouſque ad terreſtre cœlum peruenias, quod Pythagorici Lunam appellare ſolent. Hoc ipſum eſt terra cœleſtis: à qua ſi ordiaris, opacum ſtatues:

tues: Venerem & Mercurium vices aquæ & aëris gerentem Diaphanum appellabis: poſtremò in Sole lumen ſtatues. Sic vbi retrogreſſus fueris, à firmamento ſeu octaua ſphæra: ibi Opacum velut Empyrij cœli terram: Saturnum et Iouem Diaphanū: Martem deinde proximum Soli lumen vocitabis: procedendo tandem à firmamento deprehendes expreſſiſſimum Trigonū, Si à cœlo intelligibili ad chriſtallinū, hinc ad Empyræū tranſcendas: In Empyræo vnum Deum tres tamē perſonas diſtinctas deprehendes. Ac vt vnus Deus omnia replet & nihil: vbiq; eſt & nullibi: Ita Lux primi Diei, proportione quadam, quicquid ambitu firmamenti continetur, replet. Neq; aliud remedium mathematici habere poſſunt, quo vacuū circa orbes cœleſtes tollant, et colliſiones auferant: quàm hoc primi diei lumē, quod præter ea quæ commemorata ſunt, etiā quæuis ſuo loco continet, vt rectè & nulla alia ratione terra mundi centrū dicatur. Hiſce iam ita perſpectis manifeſtū eſt quomodo Trinitas in tota rerum natura reluceat: quomodo hinc etiā à notioribus nobis ad notiora naturæ conſcendere debeamus. Reſtat, vt quomodo ſingula habeant exponamus. Initium igitur faciemus primū omnium à primis creaturarum actibus, ordinem continuantes ad poſtremū vſque actum. Duplex enim eſt in creaturis actus, ratione extremorum: actus Eſſendi & Intelligendi, hoc eſt actus ſubſtantiarum & intelligentiarū.i. temporis et æternitatis. Hic angelis: eſſētijs nempè incorruptibilibus: ille verò ſubſtantijs corruptibilibus tribuitur. Sicut igitur iuxta Pauli ſententiam ex corruptibilibus incorruptibiles: ex mortalibus immortales reddimur: ita quoq; ex actibus eſſendi acquirimus actus intelligendi: idq; in natura eò, ne quicquam derogare videamur gratiæ Dei: quæ ſcientiam ſuam inexhauſtam infundere abundantiſſimè poteſt: Quod in Apoſtolis, Prophetis & Patriarchis patet. Nominatim aūt dicimus in natura vt æquitatē Dei ſignificemus: qui non vi nos ſaluare & conſulere noſtræ ſaluti

vult,

vult, quin potiùs ſicut perſuaſione cecidimus in natura: ita quoque fragilitatem noſtram flectere ſenſim & oris ſui verbo eiuſq; perſuaſione ad æterna tabernacula ptrahere cupit. Itaq; in natura hac fragili, hoc proceſſu eſſendi actibus, ad actus intelligendi egemus: quibus ingenij noſtri vires expolire & roborare queamus. Quemadmodum enim res ſe habet ad eſſe: ita quoq; ad intelligere, hoc eſt quandoquidem res eadem difficultate, qua & intelligentiæ accommodatur, vtiq; eadem erit vtriuſq; diſciplina, quæ etſi diuerſa ſint: communicatione tamen eadem methodus eſſe debet. Vt etenim animal ſenſationem in homine: ita & in brutis efficit, vt rectè dixeris quemadmodũ ſe habet animal ad hominem: ita & ad brutũ. Non ineptè vtiq; dices rem ad eſſe eadem prorſus ratione, qua ad intelligere accommodari. Iam patet optima methodo nos ab eſſe in decem prædicamenta diuiſo ordiri debere. Vt autem quæ ſuperiùs definitione contemplatiuæ huius Dialectices comprehenſa ſunt, intelligantur: aduertendum hîc & diligenter expendendum eſt, id quod in proprio obiecto ipſum nempè lumen intellectus, & quæ circa ipſum verſantur commemoratum eſt. Tria enim definitione includuntur ſeu proprio obiecto, Scientia, Intellectus & Sapientia. Itaq; ſeruato ordine à notioribus nobis ad notiora naturæ, à ſcientia & eius cauſis præſens tractatio inchoanda erit. Et ſiquidẽ ſcientia ex concreato & naturali habitu procedit vt ex ſuperioribus patet: concreatus autem habitus quinq; gradibus naturæ continetur: rectè vtiq; à primo gradu naturæ, vtpotè actu eſſendi inſtitutũ noſtrum ordimur. Eſſe igitur nihil aliud eſt quã quò res primùm omnium affirmatur, eoq́; poſito & conceſſo occaſio ſcientiæ præbetur. Nam de ijs quæ non ſunt quemadmodum nulla diſputatio, ſic nulla ſcientia datur. Atque hoc ipſum eſſe ideò æqualiter in decem prædicamenta diſtribuitur. Dico autem æqualiter: quippè quod ad conſtitutionem alicuius rei æqua omninò et pari ratione requirantur: &

tur: & quod alterum ſine alterius adminiculo nequaquam conſiſtere poſſit. Per ſe autem quoduis horum peculiariter eſt, neque accidens vlla horum prædicamentorum coordinatione recipit, niſi per communicationem. Sic fit vt & ipſum ſubſiſtere, accidens ſit. In ſubſtantia enim eſſe nihil aliud eſt, quam fulcimentum quoddam, aliâs ſubſtantia dictum. In Qualitate ipſum eſſe animi & corporis virtutes, & ſimilia qualia ſint oſtendit: hoc eſt ſimilitudines & diſſimilitudines docet. In quantitate dimenſiones: hoc eſt æqualitates & inæqualitates oſtendit. In Relatione Qualitates, & reſpectus rerum compræhendit. In Actione generationem: in paſſione corruptionem declarat: In prædicamento itidem Quando, Tempus: Vbi autem locum ſtatuit. In ſitu poſitiones: in habitu amictus collocat. Iam in confeſſo eſt quomodo Eſſe omnibus prædicamentis æquali ratione ineſt. Ita Ariſtotelis illud dictum haudquaquam locum habet, cùm inquit: Vniuerſitatem rerum in duo diuiſam ſubſtantiam & Accidens. Quandoquidem enim ſingulatim, id prædicamentorũ ſit: neutiquam accidere aſſeuerabimus: quin potiùs vnumquodq; horum eſſe. Accidere autem per communicationem & prædicationẽ cùm id quod ſubſiſtit, magnum, pulchrum, &c. eſſe dicimus: tũ propter collationem Subiecti, ea q̃ in prædicamentis ſunt, ex diuerſis prædicamentis, accidentia dici poſſe, non erit abſurdũ. Pari ratione quod magnum eſt, ſubſiſtit ſeu album & nigrum eſt: & hic non minus ſubſiſtere accidens magni aut pulchri erit. Quapropter nulla difficultate quomodo hæc conueniant, quæ denique æqualia ſibi inuicem reſpondeant, patet: ſi vt dictum eſt cuiuſuis propria eſſentia conſideretur. Vbi & hoc animaduertendum ſingula prædicamenta peculiares voces prædicabiles continere: ideoque in ſingulis proprias ac geminas apodixes compræhendi: quas vbi quiſpiam recte intellexerit laborem omnem ſe vicisse & quaſuis difficultates ſuperauiſſe, non ſine magno emolumento experietur. Differunt vero hæ

rò hæ ſeries primò natura quæ ordinem præſcribit prædicamentorum. Subſtantia nanq̃ antecedit natura omnia accidentia: eò quod ſubſtantia ſemper eſt ſubiectum, hoc autem natura prius eſt prædicato. Quotieſcunque igitur reliqua prædicamẽta de ſubſtantia prædicantur: accidentia eius ſunt. Verũ vbi præter ſubſtantiã, aliud quodpiã pdicamentorum ſubiectũ fuerit: non minùs reliqua, vnà cũ ſubſtantia accidentia erunt. Atque hoc quod Subiectum nuncupatur: ſubſtantia dicetur. Subſtantia enim ſeriem ſignificat. ſubſtantia autem omne id quod quoq; modo ſubiectum eſt, denotat. Subſtãtia ergò ſicut ſubiectũ, prædicatũ accidẽtia natura præcedit: imò reuera ſubiectum. ſiquidẽ id nonnunq̃ abſolutè & ſimpliciter: aliquando verò reſpectiuè & ſecundũ quid, tale eſt. Hæc cùm Trigonum inſtituimus: illud cùm vnum ipſum ſignificamus. Hoc vnum ſicut natura præcedit, binariũ & ternarium: ita hoc quod ſubſtantia eſt ſimpliciter quicquid communicatur aut prædicatur antecedit. Verùm cùm talis ſubſtantia in Trigono conſiſtit: atque hìc natura ſimul eſt, propter collationes & reſpectus, quæ ſimul ſurgunt: reuera ſubſtantiam, vbi conſtituerit, quicquid deinde aduenerit ſiue prædicatione, ſiue communicatione: omne eiuſmodi accidens non minus ac vnum plura antecedit. Vt rectè quis dixerit hominẽ exiſtentem album, natura priorem eſſe albedine & filiam ſimul quidẽ cum patre & matre antecedere: tamen ratiocinationem: etiamſi uis ratiocinandi cum eo orta ſit. Poſtremò ſubſtantia nedum natura verùm etiam perfectione, antecedit accidentia: partim quia eiuſmodi prædicamentum per ſe eſt, hoc eſt, ſine alterius adminiculo ſubſiſtit: Communicationibus & prædicationibus. Quæ vbi communicata fuerint: omnia ita conflata ſunt, vt per ſubſtantiam dicantur: hoc eſt, totam vim ipſi ſubiecto tribuat. Et ſi quid ſunt: iam illud eſſe non ſuum ſed ſubiecti erit. Et quoniam ſubſtantiam etiã cæterorum prædicamentorum, quæ de ſe prædicantur perfectionem

nem

nem induit, ſibique vendicat: non erit obſcurum, eam ſubſtantiam præcedere etiam perfectione omne accidens. Quod non modò per ſe, verum etiam in ſe: quod in ea omnia accidentia conſiſtant, & cumulentur ad eius perfectionem, vt de ſe rectè veluti origine, tum demum quicquid communicatur, procedat. Atque vbi de accedentibus nonnihil in ſuum vſum conuerterit id totum non propter accidentia: ſed propter ſe expedit: & veluti in ſuum peculium redigit: vt iam non accidentium id dicatur eſſe: imô & ſi quid accidentibus tribuitur, & id à ſubſtantia poſſideatur. Patet hæc res in naturalibus paſſim omnibus. Arbor enim pyrus attrahit virtutem terreſtrem aqueam, aëream, igneam, virtutem item influentiarum, motus & luminis. Atque hæc omnia ita ſibi propria reddit, vt non niſi in proprium peculium omnia conuerſa videantur: vt meritò pyrum verus effectus eius arboris fructus ſit: etiamſi aliunde adminicula venerint, quæ eius ſubſtantiæ adminiſtrauerit & communicauerit ſuam vim. Ita rubedo ſubſtantia eſt de qua color prædicatur, tàm albus: quàm niger. Quæ quidem ſubſtantia etſi neque alba neque nigra ſit, cùm tamen ex his conſtet reuera ſubſtantia eſt cui præter albedinem & nigredinem: & Lux & caliditas, & tenebræ, & frigiditas opitulantur: rubedo tamen omnem illam vim, velut ex ſe promanantem, cæteris tribuit: non ſecus ac color perfectus, & qui perfectione quicquid de ſe dicitur antecedit. Sicut hæc habẽt in dictis exẽplis ſic etiã in cæteris ac prorſus eadẽ ratiõe. Hæc breuiter dixiſſe de actu Eſſendi. & eius conditionibus quod ad præſens negotiũ attinet ſufficiat. Incumberet iam vt quomodo reliqui gradus naturæ pertractãdi ſint, & quæ earum vis eſſe debeat, diceremus: Verùm enimuerò cum eadem ſit proportio rei ad eſſe, quæ eſt ad intelligere: vtique ſinguli graduum penes præſcriptã methodũ examinandi ſunt. Non

*enim ſecus prædicamenta primo gradui atque ſecundo ad vltimum
vſque conueniunt:niſi quod in quouis eorum ratio proprietatis ob-
ſeruatur.Quemadmodum gratiæ eſſe in decem ſeries diſtribuitur:
ita & Viuere & ſentire &c.Præſuppoſitis ijs quæ ex anteceden-
tibus cuiuis gradui attribuuntur. Vitæ proprietas eſt viuere & e-
ius differẽtia:p̃ſuppoſito tamẽ eſſe. Ita et ſentire p̃ſuppoſito Viuere
& eſſe: & reliqua ex ordine ad eundẽ modũ habẽt.Ita iã manifeſtũ
eſt quomodo habitꝰ cõcreatus & naturalis cõſiderãdi veniũt. Cõcre
atꝰ enim habitus quoad gradus naturæ:naturalis verò quoad com
municationẽ prædicamẽtorũ ſtatuitur.Porrò cũ vltimus gradus ſit
intelligere,meritò principia quæ intellectum pariunt in eo gradu
conſiſtunt.Quæ enim ex intellectu participant nulla difficultate et
memoriam & voluntatem habent.Quibus diligentiùs expenſis ſi-
cut & anteà commemoratũ eſt,ratione voluntatis, bonum:ratione
intellectus verum,originem ſumens ab Eſſe,per omnes gradus na
turæ procedendo oritur. Hæc comitantibus prædicamẽtorũ coor-
dinationibus,ſicut & anteà per ea quæ Ens antecedunt & conſe-
quuntur ſignificatum eſt.Quæ deinde extra intellectũ & volunta-
tẽ ipſamq́; memoriã ſunt h.e. quæ per operationes intellectus proce
dunt: & veluti quidam earum effectus emanant, ea inquam penes
diſcurſum aut affirmantur aut negantur,aut conferuntur. Atq;
ita vel res vel vnum vel aliquid naſcitur : cum quo & neceſſariæ
cauſæ veriſſimas apodixes pariunt:et certiſſimas, omniũ rerum ac
demonſtratiuas rationes: Vtpotè Bonum,Verum,Magnum, Po
tens,Sapiens,Volens,Virtutis,Veritatis & gloriæ particeps:quæ
in Reuolutione prædicata abſoluta nuncupantur.His pari ratione
tres Trigoni reſpectus accedunt,Quæſtionum & ſubiectorum:at-
que hæc ſunt quæ ſuperiùs dixmus, ſapientiam producere : quæ
quonam modo ſe mutuò conſeruent & conſequantur,breuiter ita
perſtringere volui.*

Series Contemplandi tum enunciandi.

Deus, Angelus, Cœlum, Homo, Imaginatiuum, Senſitiuum, Vegetatiuum Element. Inſtrument.

Vtrum, Quid, De quo, Quare, Quantum, Quale, Quando, Vbi, Quomodo, cum quo

INTELLECTVS

IMAGINATIO

SENSVS

VITA

ESSE

Bonitas, Magnitudo, Duratio, Poteſtas, Sapiētia, Volūtas, Virtus, Veritas, Gloria.

Subſtantia, Qualitas, Quantitas, Relatio, Actio, Paſſio, Vbi, Quando, Situs, Habitus.

REſtat vt diligenter ac ſedulò quomodo hæc nunc ſubiecta nunc p̄dicata ſint: & quam vim obtineant, expendamus. Quodlibet autem horum principiorum & abſtractum & concretum eſſe poteſt. Abſtractum quidem ſimpliciter vt homo. Secundum quid, aut deriuatiuè vt bonitas: aut demonſtratiuè vt hoc bonum: aut circumſcriptiuè vt ore niger, crine ruber &c. aut propriè vt Petrus: aut vagè vel ambiguè vt quidam: ac vt vnico dicam verbo, quicquid vices ſubiecti ſuſtinet abſtractum dici poteſt. Concretum verò quoddā eſt per ſe vt natura ſunt adiectiua nomina: quædam per accidens, vt cùm ex ſubſtantiis adiectiua fi-

unt: Quædam prædicatione, vt animal: quædam communicatione. Atque hoc modo omnia principia extra ſubiectum concreta dicuntur. In quibus duo potiſſimùm ſunt conſideranda: Forma, vt ſunt ratione eſſētiæ omnia principia: Et Materia, vt Cuiuſuis principij correlatiua, vt potens poſſibile poſſe: Item poſſeſſiuū poſſeſſum & poſſeſſio. Et correlatiua in ſingulis vocibus rerum expendi debent: veluti totius rei naturam complectentia. Quicquid enim in aliquo ſeu conſideratione effertur: id fit aut per efficientē cauſam: aut per obiectum: aut per actum: aut per aptitudinem: aut per effectum: aut ratione perfectionis. Atque nihil eſt, quod hiſce ſex in quouis ſubiecto non ad amuſſim declarari queat. Hinc enim angelorum media & rerum definitiones dependent. Hinc veræ apodixes proueniunt. hinc etiam deriuatur cuiuſuis principij ratio: vt ita niſi hinc definitionem ſumas: perfectam haudquaquam aſſignare poteris. Quò fit vt communis hominis definitio nequaquam bona ſit: cū minus ſit in definitione quàm in definito. Ideo cum dicunt hominem eſſe animal rationale: id ſeruare volēs Porphyrius mortale addidit: quod rationale & angelis tribuatur? Verū dato vno inconuenienti dantur plura. Et ne idem nobis contingat: hominem dicemus eſſe cui cōuenit actus hominis, quæ eſt vis illa hominē generādi. Nō .n. generatur rationale: ſed infunditur. Quod etiāſi ex traduce eſſet vt quidā volūt: definitionē tamē haudquaq̄ infringeret, licet & actus cōmune quiddā ſit: nec id tamē difficile erit, ſi vis pducendi in homine rectiùs cōſideretur? Ad eundē modū definitiones colligi poſſunt: media inqri, & neceſſariæ cōcluſiōes effici. Et ne aliqd intactū remaneat: horū principiorū nō min⁹ aduertēdæ erūt cōcordātiæ ſymbola, paſſiones oppoſitiōes poſitiōes Latepatētiæ & pportiōes, qua de re abūde tractatū eſt in Reuolutiōis alphabetariæ primo tractatu.. Symb. extat iā gelidus ros, ſuadentq́ cadentia ſydera ſomnos, & humida nox cœlo pcipitat. Quare animū p ſomnū curis vacuū, reliqua in craſtinū differendo, interea reficiamus.

PAVLI PRINCIPIS DE LA SCALA ET HVN. MARCHIONIS VERONAE, &c. DOMINI CREVTZBVRGI IN PRVSſia. Miſcellaneorum de rerum cauſis & ſucceſsibus, Liber ſecundus.

De cognatione Theologiæ & Philoſophiæ: Scientiæ quoque & artis cum intellectu & ſenſu: ſimul atq; vſu Orphicæ & Symbolicæ diſciplinæ. Cap. I.

DRymus. *Expergefacti, Oliſte, poſtquã ne in ſomnis quidem, aliud nobis obuerſetur : quàm imagines diuinarum pulchritudinum, & præclaræ ſacræ Philoſophiæ ſententiæ, ſubitò antelucani aduenimus.* OLISTVS. *Veneritis proſperè amici optimi. Redire vt video ad propoſitũ optatis:* Drym. *Encyclopædiæ Epiſtemona, quantũ hactenus videre licuit, in contẽplatione & ſecretarum rerum cognitione Roſciũ conjecto. Quare nihil magis quam vt in ea voluminis parte erudiar, ego quidẽ cuperẽ.* Symb. *Hoc ipſum eſt, quod tota nocte animo inſidebat. Exiſtimarẽ porrò mi Dryme præſtare, vt Oliſtus imprimis aditum nobis faceret, & ſaltẽ argumentũ eius libri enarraret, quò aptiùs ea de re cõferre queamus.* OLIST. *Encyclopædiæ ſtatus, præter diuinã ſcientiam quæ ſimpliciter à Deo pendet: & humanam ex hominum actibus ſæpe iteratis progenitam, nullus eſt. Huius duo ſunt potiſsimũ genera. Alterũ occultioris philoſophiæ, vt eſt orphica diſciplina, Pythagorica, & quicquid à Mercurio, ad tempora vſque Platonis, vẽtilatum eſt: cuiuſmodi ſunt decem & quatuor illæ arcanæ ſcientiæ in figura operis enumeratæ. Alterum communioris ſcientiæ: qualis platonica illa & peripatetica nũcupatur: q̃ & Medicinã, & de legib. doctrinã cõplectitur. Illius vtpote Diuinæ ſapiẽtiæ, q̃dam traditiõe, vt ſymbolica: q̃dam ſcriptis vt ꝓphetica & Apoſtolica ꝓfeſsio conſtãt. ſymbolica ideò dicitur, qđ ex ſynedrio ſapiẽtũ ꝓdierit. De hoc cõuentu Eccl. 8. loquitur. Non te ꝑtereat narratio ſeniorum: Quoniam ab ipſis diſces intellectum. Item Deut: 32. Interroga patrẽ tuum, &*

annunciabit tibi. Conſenſus patrum ſymbolica diſciplina reuera appellatur. Poſtquam enim Hebræi, à Babylonica captiuitate reſtituti per Cyrum, et ſub Zorobabel inſtaurato templo ad recuperandam legem animū appulerunt. Eſdras tum Eccleſiæ præfectus: poſt emendatum Moſeos librum et reliqua arcana in vnum congeſta, quæ per manus tradebantur, ne per exilia, cædes, fugas et captiuitatem gentis Iſraeliticæ, perirent, primus literis mandauit. Huc etiam prophetici libri referri poſſunt. Cùm verò ſingulatim contineantur: hac ſaltem ratione differunt. Itaque Symbolica doctrina nihil aliud eſt: quàm earum rerum, quæ ſub obſcurioribus rerum indicijs tradebantur, explicatio. Quarè vt humanæ philoſophiæ fundamentum in orphica: ita Diuinæ ſapientiæ ſeria interpretatio in ſymbolica conſiſtit Symbulus. *ſcientiarum hæc diuiſio mihi admodum placuit.* Drymus. *Quid? ſi nulla ſcientia, qualis diuiſio? nónne effectus cauſarum naturam ſequitur: & propter cauſas effectus: ſed vbi certus? ſenſui obnoxia, necdum incerta noſti?* Symbulus *confundis ea quæ ſenſus tùm quæ intellectus ſunt. Hæc ſcientiæ nomine: de qua præſens ſermo: illa artis exprimuntur. Hæc certa: illa ob artificis culpam nempè ignauiam ſæpius incerta. Hæc cauſis naturalibus: illa inſtrumentalibus inſiſtunt* OLISTVS. *Scientiæ ab effectibus, ſenſuum abſtractione, veluti inſtrumentorum, naſcuntur: ideò artis potiùs, quàm ſcientiæ vim habent. Particularium enim eſt cuius* ἀντίθετον *ſcientia, vtpotè vniuerſalium, nuncupatur. Ars eſt habitus cōcluſionum factiuus: ſcientia demonſtratiuus. Qua ergo ratione ars ſcientiæ, eadem & ſenſus cognati erunt. Diſtant autem hæc plurimum. Num ſenſus & intellectus conuenient? ſenſus vtique aut nulla ſcientiæ cauſa, aut remota admodum dicetur: inſtrumenti non naturæ. Inſtrumento ſenſuum ſiquidem ab obiecto, ipſa fit abſtractio. Scientiæ porrò demonſtratio cauſa eſt. Eius veritas ex intelle-*

ctu ma-

ctu manat. An non inde & ratio deducenda? Nihil quidem eſt in intellectu, quin anteà fuerit in ſenſu: non tamen vt in ſenſu, ſic in intellectu ſunt: & conceptu enim, & duratione differunt. Drymus. *Dictum eſt etiam, humanam ſcientiam ex hominum actibus ſæpe iteratis natam. Neq; id vt credam, indita illa vis hominibus, ſinit.* Symbulus. *innata quidem ſcientiæ potentia eſt: non autem actus.* Drymus. *Negas ſcientias omnes diuinitùs ortas? quomodo humanitùs concedes?* Symbulus. *per ſe ſimpliciter & abſolutè à Deo ſunt: per accidens & ſecundum quid ex nobis.* Drymus. *Rurſus aiebatis: ſciẽtias alias diuinas. Si per exercitationẽ & frequentem vſum, etiam diuinæ ſcientiæ nobis inſunt: vt apertè Apoſtolus* 1. *Timoth.* 4. *præcipit: Exerce autem teipſum, inquit, ad pietatem: mirũ eſt eas non potius prophanas denominari?* Symbulus. *Apoſtolus ipſe quæ Dei ſunt, ab huius mundi ineptijs, quæ propriè hominis, diſtinguit, inquiens:* τοὺς δὲ βεβήλους καὶ γραώδεις μύθους παραιτοῦ. γύμναζε δὲ σεαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν. ἡ γὰρ σωματικὴ γυμνασία πρὸς ὀλίγον ἐστὶν ὠφέλιμος, ἡ δὲ εὐσέβεια πρὸς πάντα ὠφέλιμός ἐστιν, ἐπαγγελίας ἔχουσα ζωῆς τῆς νῦν καὶ τῆς μελλούσης. *Quapropter alia eſt pietatis ſeu ſpiritus: alia corporis ſiue animalis exercitatio. Hæc humanam: illa diuinam parit ſcientiam.* Drymus. *Si diuinarum rerum nobis nulla innoteſcit cauſa: quomodo earum ſcientia?* Symbulus. *cauſa diuinorum inſunt nobis haud dubiè, et cognoſcimus eas connata quadam ratione, ſed propter caſum primi parentis, operatione & actu perfecto deſtituimur, potentiam nihilominus perfectionis habentes in Chriſto.* Drymus. *Quid multis opus. aufers verum intellectum, & certitudinem ſcientiæ ponis? ſanè neq; diuinam, neq; humanam habemus ſcientiam: niſi & eam potentia. Chriſti ſcientia non eſt humana: non etiam diuina per nos acquiſita.* Symbulus. *Scientia vtraq; vera eſt: ſed propter noſtram imbecillitatem verè à nobis, proprijs viribus non excolitur. Iam incertitudo non ſcien-*

tiæ ſed noſtræ infirmitatis eſt: quam & ipſam vicimus in Chriſto. OLISTVS. *Intellectus noſter & certus & purus eſt: & ex omni parte perfectus: perfectæ ſapientiæ particeps, & vitæ æternæ: A nobis tamen perſpici propria bona non niſi per Chriſtum redemptorem, poſſunt.* Drymus. *Nonne ante Chriſti aduentũ Philoſophia erat? & Orphica & Symbolica, & cõmunis illa? Per Chriſtum ais veram ſcientiam nobis innotuiſſe? ergo non ante Chriſtũ.* Symbulus. *Ante Chriſtum vmbram futurorum bonorũ: in Chriſto ipſam lucem habemus. Erat quidem ante Meßiam opertum & velatum Euangelium. Nunc porrò velamen ablatum eſt: poſtquam nobis lumen gloriæ Chriſti, quæ eſt imago Dei, illuxit. Atq; hæc ſcientia eſt ſalutis. Cæterùm ſcientia creationis, generationis & corruptionis, nobis per receptionem & Moſen anteà quoque patefacta eſt: Et ab eis ad poſteros deuoluta: Ad Aegyptios item, Græcos & Romanos tranſlata.* Drymus. *Mirũ & hoc. Dicis in Chriſto nobis omnia reuelata. Ad quid igitur Symbolica diſciplina?* Symbulus. *vt credamus Chriſtum eſſe verè filiũ Dei.* Drymus. *Nonne Prophetarum id muneris eſt, vt teſtificentur de Chriſto?* Symbulus. *Vtique: Symbolica tamen diſciplina Prophetas varijs modis loquentes interpretatur.* OLISTVS. *Sæpè vtuntur ignari contrario vt contrario, Num Chriſtiana philoſophia à Symbolica ſcientia dißidet? imò hæc expoſuit anteà, quæ tandem euenerunt.* Drymus. *Benè. Quid autem intelligebas per initia Encyclopediæ?* OLISTVS. *Non exordium certè, ſed materiã: quando tota philoſophiæ difficultas, in orphica diſciplina continetur. Quare vt Philoſophia communis in Orphica: ita Diuina in Symbolica recluditur.*

De omnium ſcientiarũ ſcopo & fine videlicet Chriſto: ac ſtudij priuati pernicie eiuſdemque cum priuata vtilitate æquipollentia, addita ſchiſmatis & pertinatiæ origine,

CAP.

CAPVT II.

OLISTVS. *Cæterùm primo omnium in ſtudio Encyclopediæ ratio colloquentium obſeruanda eſt. Philomuſus enim flagrat cupiditate ſcientiæ: Epiſtemon rerum difficultates & nodos diluit. Philomuſus agit ſtudioſum, ſedulum ac diligentem, qui deplorat vices ſuas, quòd in tanta doctrinarum varietate, & in diuerſis ſcientijs velut fabulis tempus ſuum collocarit: quodq́; eius ſcientiæ certum ſcopum ignoret. Eam ob cauſam cõqueritur, & fortè in Philonem incidens: eius perſuaſione Terapeutarum ſtudium complectitur, veluti certum ſui morbi remedium, cum quibus & de ſingulis ſcientijs tractat: finemq́; vnicum Chriſtũ tandem, extra quem omne ſtudium inutile apprehendit. Exemplo huius Philomuſi cuiuſuis ſtatus homines moueri debent: vt certum aliquem ſcopum ſuorum ſtudiorum ſibi præfigant, & non vt ſolet dici in diem viuant ſicut Epicurei, & inutilia terræ pondera: deinde ne aliqua dies prætermittatur, quin linea ducta ſuperſit. Hortatur quoq; exemplo huius perſonæ ad pietatẽ, & ſuæ vocationis ſedulitatem, ac diligentiam. Deinde quòd inanes fabulas et logomachias vitent: prodeſſe non ſibi tantùm ſed reipub. maximè diſcant. Eã ob cauſam reprehẽdenda ſunt priuata ſtudia, priuati marſupij gratia ſuſcepta: ſuam vtilitatem potiùs quam proximi in propriam perditionem ſpectantia. Docet item quomodo nos gerere in tanta diuerſitate opinionum debeamus: vtpotè rectà incedere, & omnes ſcientias ad vnum ſcopum, qui eſt Chriſtus dirigere.* Drymus. *Priuata ſtudia multis & varijs obiectis carent, rem penitiùs conſiderant & recto ordine procedunt, tranquilla ſunt, iudicium formant, memoriã fidelem reddunt: cur inutilia cenſenda?* Symbulus. *Priuato ſtudio ludis Dryme. Non enim hoc improbatur, ſed auaritia & inanis gloriæ cupiditas propter quam non quæ*

Dei,ſed quæ noſtra ſunt, ſine proximi diſcrimine, magis curamus. OLISTVS. *priuata perſona, priuato ſuo ſtudio, æquipollet priuatæ vtilitati. Quemadmodum enim emolumentum priuatum publicæ vtilitati multum obeſt: dũ ſua curando reſpub. negligitur: qua deleta et perdita, ne priuatæ quidem res conſiſtere poſſunt, id quod plurimis hiſtorijs patet: Ita priuato ſtudio perturbatur publicum, & eius ambitione labaſcit. Hæc eſt prima Diaboli inſpiratio, vt per ignorantiam confuſionem introducat, ac boni & mali diſcrimen euellat. Epicureorumq́ vitam, luxum, crapulam, & ſimilia, inſtituat.* Drymus. *Scientia eſt accidens, quædam mala quædam huius vitæ propria: quomodo igitur Chriſtum omnium ſcientiarum finem ſtatuiſtis?* Symbulus. *Scientiæ malæ non dicuntur ſcientiæ, niſi ob appellationis figuram.* OLISTVS. *Scientiæ omnes ab intellectu proficiſcuntur, & ſunt ſub habitu concluſionum demonſtratiuarum, originem à ſcire deducentes. Scire autem nihil aliud eſt, quam res per cauſas cognoſcere. Sequitur vt & ſcientia ea ſola ſit, quæ ſuis cauſis conſtat, quemadmodum ignorantia ex ſola cauſarum ignoratione dependet. Scientiæ ergò quæ ab intellectu proficiſcuntur omnes bonæ ſunt, quia intellectus verorum & quæ ſe aliter habere nõ poſſunt dicitur. Eadem ratione ignorantia eſt, rerum falſarum & quæ durare nequeunt. Quapropter ſcientiæ malæ & quæ præſtigijs, atq; Diaboli inſtinctu conſtant, non dicuntur ſcientiæ niſi ob appellationis figuram: quia cauſæ earum ignorantur. Nam ſi conſtarent: & vitari poſſent: & ſcientiæ vim nullam haberent. Licet multi homines voluntariè Necromantæ & Sciomantæ ſunt: ij tamen non dictante intellectu ſenſuum potius fraude decipiuntur. Quare & ſacræ literæ paſſim vbiq; docent, vt Deum pro illuminatione intellectus rogemus: ne veritatis fulgor à ſenſibus obruatur, & igniculus veritatis extinguatur, quo deleto in locum veritatis facilè ſubrogatur falſitas, & ignorantia cauſa omnium*

nium

nium malarum ſcientiarum, ſeu potiùs opinionum. Scientiarum igitur cùm propriè finis ſit veritas: veritas autem Chriſtus: Chriſtus vtiq; ſit finis ſcientiarum oportet. Quomodo verò omnium ſcientiarum finis ſit Chriſtus: non eſt difficile, ſi finem facultatum inſpicias. Philoſophiæ enim finis veritas: Medicinæ, ſanitas: legum æquitas: Theologiæ, fides, ſpes, & charitas. Quòd Chriſtus ſit veritas: ipſemet teſtatur, vbi inquit, Ego ſum via, veritas, & vita. Quòd Chriſtus ſit ſanitas: Eſa. 53. teſtatur inquiens: Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: item, & liuore eius ſanati ſumus. Quòd ſit, æquitas ſcriptura paſſim eum iuſtum & iuſtitiam noſtram appellat. Quòd ſit fides, ſpes, & charitas: & id in promptu eſt. Niſi enim quis crediderit in eum, ſperauerit & dilexerit ex tota mente, ſaluus eſſe non poterit. Adhuc non vides Chriſtum omnium ſcientiarum finem? Drymus. *Saltem Phyſica inſpicias, certè religioni Chriſtianæ contraria plurima deprehendes. Ergò & eorum Chriſtum finem ſtatues?* Symbulus. *Ratio huius rei eſt ignorantia: non ſcientia.* OLISTVS. *In docendo duo ſunt conſideranda. Primò vt benè ſciamus, hoc eſt, rectè intelligamus. Secundò, vt clarè doceamus. Ex primo ſcientia ipſa naſcitur, & veritas ſcientiæ lucet. Ex ſecundo veritas propagatur et lumen ipſius ſpargitur in corda & mentes hominum. Ex negligentia primi naſcuntur diuerſæ ſectæ, & ſchiſmata: obruitur veritas & pro ea opiniones, hoc eſt, nugæ & fabulæ tractantur. Ex negligentia verò ſecundi naſcuntur ingenia pertinaciſſima, dubia et ambigua: Promanant inde logomachiæ, ſimultates & ſimilia: quæ deprauato intellectu, aluntur & conſeruantur. Itaq; nulla eſt in Phyſicis ſcientia quæ non habeat finem Chriſtum. Quòd ſi quid eſt præter Chriſtum id originem traxit ex negligentia horum præceptorum: Quamobrē minimè digna quæ ſcientia dici mereatur.* Drymus. *Multæ ſcripturæ perplexè parabolicēs per ænigmata & ſimilia*

præſertim in ſacris literis traduntur: quarum quidem ſcientiarum etſi magna certitudo ſit: an verò Chriſtus finis difficile intellectu eſt. Quoniam ipſemet dominus per parabolas & non niſi paucis diſcipulis extra eas loquebatur. Item Paulus. Sapientiam non niſi inter perfectos tractare conſueuit: Deinde ſibi eloquia concredita eſſe. Item cùm in tertium vſque cœlum raperetur accepiſſe, quæ homini non licerent loqui. Chriſtus ſi omnium ſcientiarum finis eſt, quare non omnibus per ſe innoteſcunt? Chriſtus non vni, ſed omnibus miſſus: non pro hoc aut illo: pro omnibus autem mortuus eſt. OLISTVS. *apertè ſcripturæ Chriſtũ eſſe finem manifeſtè tradunt: occultiores diſciplinæ idem ſed arcana ratione docent. Talis fuit prophetarum doctrina, Sibyllarum & cæterorum. Quòd deinde ipſemet Chriſtus per parabolas locutus ſit: id egit dum interpretaretur ſcripturas: & quidem parabolis ad captum populi accommodatis: vt ea ſimplicitate doctrinæ confunderet, vt Paulus loquitur, ſapientiam ſapientum. Stultitia enim apud Deum ſapientior eſt, ſapientia hominum. Verùm quemadmodum eam ſimplicitatem doctrinæ quibuſdam diſcipulis ſine velamento declarauit: Ita ſuam præſentiam & ſemen promiſſionis ſiue benedictionis quod, ipſe eſt, ſignis declarauit, & manifeſtum omnibus reddidit. Surdos enim audire, mutos loqui, claudos ambulare, cæcos videre, mortuos ſurgere effecit. Cæterùm Euangelium velauit propter eos qui pereunt: ſicut Paulus 2. ad Corinth. 4. dicit. Si verò Euangelium noſtrum eſt apertum, in ijs qui pereunt velatum eſt: in quibus Deus huius ſeculi excæcauit mentes incredulorum: vt eis non luceat ſeu appareat, vel reſplendeat lumen Euangelij gloriæ Chriſti qui eſt imago Dei.*

De

De collatione & præſtantia præteriti & præſertim Empedoclei temporis:ac pręſentis ſæculi:quibus vita & mores aulicorum adiunguntur.

CAP. III.

OLISTVS. *Tria ſunt conſideranda in hoc exordio: primò æmulatio, ſecundò ſtudium mathematicũ: tertiò ſtudium Phyſicum ſeu Philoſophicũ. Aemulationem inter Parmenidem & Empedoclẽ ponit: quaſi dicat, fælicem fuiſſe eam ætatem qua Empedocles & Parmenides vixerunt. Tũ enim Muſæ floruerunt, et ſtudij vtilis ac honeſta fuit æmulatio. Secũdò Xenophanis carminibus olim canebant futura, hoc eſt, ſtudia Poëtica, Mathemàtica ipſa in magno pretio habebantur: nunc verò ea ludibrio ſunt expoſita. Tertiò Heraclides Pontius, Peripateticã, Speuſippeam, Pythagoreorumq́; diſciplinã dictitabat: quaſi dicat, eo tempore & occultiores & communiores literæ vigebant: quarũ nunc & penuria maxima, & cõtemptus habetur. Hæc dũ ita Philomuſus ſecum perpendit deplorat vices ſuas, ſeq́; infelicẽ exclamat quòd Metrodoro Chio, ferè per triennium addictus oleum et operã perdat, hoc eſt, quòd vitam illã ſplendidam videlicet miſeriã tam diu colat: vbi nulla ſegmenta virtutis, ſed omnium vitiorum receptaculum, & colluuiem omnium malorum experiatur: quòd illis fabulis & nenijs nugis et figmentis aures exponat. Eam ob cauſam ſe eiuſmodi tricis placidè exoluere cupit.* Drymus. *Studia non florent neque dicuntur florere vbi Deus ignoratur. Quare & tempora Empedoclis & Parmenidis longè inferiora noſtris temporibus ſint oportet. Nam qui Deum ignorat: non eſt quòd cætera diſcat.* Symbulus. *Quò ad mores & virtutes, dicimus Empedoclis & Parmenidis tempora fuiſſe præſtantiora, id eſt, quò ad actiones virtutum, nõ quò ad agnitionem Dei.* OLISTVS. *Mirandum*

con-

conſilium opificis, qui æterno ſuo decreto, magna ſapientia & prouidentia ſingulis ſingula diſtribuit: nec eſt quiſpiam inuentus in quem omnia contulerit. Voluit enim omnes mutua operâ, egere, multoq́ magis miſericordia Dei. Ita populo electo Iſraëlitico, ſui veram agnitionem ſcripto tradidit, & ſalutis ſpem certam ſtatuit in promiſsionis ſemine. Gentibus verò cognitionem ſuam à longinquo quaſi per tranſennam conſpiciendam permiſit: ignem tamen maiorem, ad virtutis operationem conceſsit. Quare promiſsiones illas nō minùs gentib. ac Hebræis communicauit: imò exciſis ramis oleæ, inſeruit ramos oleaſtri. Ideò dominus imprimis facere: deinde docere cœpit. Significare voluit: fidem tum demùm perfectam eſſe, cum operibus confirmata fuerit: Eſtq́ prophetia per omnem ætatem mirabilis in oculis hominum, quòd benè agentibus in hac vita, & promiſsionis participatio, accedat. Nam qui cognitionem Dei habent, nec eam facto exprimūt: indignos ſe ea faciunt, atq; hæreditatem ſuam in benè operantes transfundunt. Non propter opus bonum, ſed partim propter iuſtitiam obiecti: partim propter miſericordiam dantis & conferentis eā. Nónne apud Iudæos vera Dei cognitio fuit? cum quibus & Deus ipſe locutus eſt. Nónne cognitio quaſi ad ſaturitatem nobis inculcatur? nauſeat tamen præſens ſeculum cibum leniſsimum, iuxta peruerſiſsimum iuditium. Vt ergò gentes anteà ad virtutis operationem ſemper magis pronæ erant: ita etiam nunc eſurientes & ſitientes cognitionem Dei, aptiores & commodiores ſunt, ad faciendā voluntatem Domini, & ſalutem ipſam conſequendam. Rectè igitur dictum eſt tempora Parmenidis & Empedoclis longè præſtantiora & fæliciora, quod ad virtutis operationem fuiſſe, quàm nunc ſint. Præſens autem tempus præſtantius ad conſequendam ſalutem imò commodiſsimum eſt, vt ſacræ literæ teſtantur. Drymus. *Quò ætas proprior extremo diei exiſtit, eò præſtantior eſt ingenij dotibus, collata ad priora. Ergo noſtra*

ætas

ætas præſtantior eſt priori. Symbulus. *Ad malum, non ad bonum.* OLISTVS. *Verum eſt hiſce poſtremis temporibus, florentiſsimum tempus eſſe, quò ad commoditatem ſtudiorum: ſed nõ quò ad voluntatem. Sunt quidem omnia ſcriptis tradita & mandata, typi adinuenti: imò veritas ipſa quoq; excuſſa. Ideò quod ad commoditatem attinet, nihil, eſt quòd culpare poſsimus. Et libros enim doctos: & tempus doctum habemus: quod omnes doctrinas & artes ſecum attulit. Hoc tamen deeſt, & qui defectus prorſus deplorandus, ipſa nimirùm diligentia & ſedulitas: ipſa, inquam, voluntas. Atque hæc negligentia verè culpanda eſt, & quod ad diligentiam attinet: priora tempora longè præſtantiora fuerunt. Habemus quidem ſcripta Ariſtotelis & Platonis & reliquorum: ſed diligentiam nihil minus quàm habemus. Deinde & hoc fateamur neceſſum eſt poſtrema hæc tempora ingenioſiſsima & diligentiſsima eſſe: ſed ad malum non ad bonum. Id nobis ipſe ſaluator quoque prædixit: Hiſce tẽporibus nouiſsimis fore rixas, cõtẽtiones, ſectas, bella continua, & inteſtina, impetus patris in filium, & filij in patrem &c.* Symbulus. *tempore non virtute.* Drymus. *Hæc tempora ſunt præſtantiora, ſiquidem bonæ literæ magis propagantur: quod nedum liberis: imò ſeruis etiam ſtudere liceat: id tẽpore Empedoclis & Parmenidis non erat.* OLISTVS. *Tantò præſtantius tempus fuit Parmenidis noſtris temporibus: quãtò liberi præſtãt ſeruis. Quare cũ Parmenidis & Empedoclis tẽporibus liberi dũtaxat darent operam ſtudijs: vtique illud tempus hoc tempore præſtantius fuit. Nam hoc tempus commutatum eſt, non in liberi: ſed potiùs in ſerui ingenij ſtudium: non quod ingenia non ſint præſtantiſsima, ſed quod paupertate impediantur quò minùs ingenium colere poſsint.* Drymus. *Alterabilis eſt natura ipſa: Inquit, enim Salomon omnia renouantur, & generatio carnis & ſanguinis naſcitur: homines ergò eorumque ſcientia renouatur, augetur & excellentior fit.*

or ſit. Quid impedit, vt etiam tempora ſint præſtantiora? Symb. *Salomō loquitur de ipſo eſſe, & præſtantia eius: non de præſtantia ingenij & ſcientiæ.* OLIST. *Siquidē generatio vnius corruptio eſt alterius, & econtrà: conſentaneum imò neceſſarium eſt, vt eſſe generatū ſit pſtantius quā corruptū: & hoc quod cœpit eſſe, pſtantius eo quod deſijt. Ita homo cū curſum ſuū abſoluerit, & ſenecta pgrauatus: ppe interitū eſt, & eò redit ſenſim vnde cœpit. Quo fit, vt ſenes bis pueri: & ex puluere orti in puluerem & cinerem reuertātur. Ibi tamen natura nō eſt ocioſa: ſed in eis locum ſubrogat hominem nouum, & iam primum natum: qui & nouus ſanguis & noua caro reſpectu ſenis, dicitur. Atque in eo etiam renouata ſciētia, reſpectu eius ſcientiæ: quæ cum ſene hinc migrauit. Ita videtur quod ad ipſum eſſe attinet, reſpectum non eſſe: & ſcientias renouari, & ſanguinem, & carnem propagari. Quod verò ad ſciētias ipſas pertinet, ingenerabiles & incorruptibiles ſunt: nec vnquam intereunt: omnibus expoſitæ, qui eas capeſcere cupiunt: non ſecus ac ſol qui lucet à condito mundo, incorruptibilis & ingenerabilis, vnus ille & idem ſol. Quod autem ſpectat ad differentiam huius & illius temporis: iam non differentiarum, ſed ſubiecti diuerſitas, ſcientiarum differentiam parit. Id tali exemplo patet. Sol enim quædam corpora magis illuminat, quædam verò minus, prout fuerint denſa & opaca: vt vitrum plus, illuminat, & ſuo lumine penetrat, quàm lignum, & ſic conſequenter. Ad eundem prorſus modum ſe habet ſcientia, quæ cum omnibus ſit expoſita, ſicut & Salomon tamē omnium ingenia ad eundem modum penetrat. Quædam enim magis denſa & opaca ſunt. Ingenia igitur ſi conſideres huius & illius temporis, magis opaca depræhendes, idq; nō ſuapte natura ſed per accidens. Si enim naturam huius temporis ingeniorum conſideres: non negauero longè præſtantiora hæc tempora eſſe prioribus: ſed eam denſitatem quam contraxere ex negligentia & ſocordia*

*maximè obſtare,quo minùs ſcientia ſic penetret ingenia huius ſeculi,atque ſuperioris. Eam ob cauſam illud ſeculum præſtantius fuit.*Drymus. *Multa hiſce temporibus benè & ſubtili quadam ratione à viris præclaris emendata ſunt,& in meliorem ordinem redacta.Quapropter vel ob id hæc tempora ſuperioribus præſtantiora ſunt.Id quod ipſemet Imperator l.1.C.de veteri Iure Enucleando pulcherrimo axiomate confirmat,inquiēs: Ille qui ſubtiliter factũ emendat Laudabilior eſt,quàm ille qui inuenit &c.* Symbulus. *Emendant loca per alios noſtri ſeculi homines deprauata: nihil tamen emendant quaſi aliquid exquiſitius adinuenirent,vt Imperator,inquit.Quarè nec ea laude Imperatoris digni ſunt.* Drymus. *Feciſtis vitæ aulicæ ſuperiùs mentionem non vſque adeò honorabilem. Miror vehementer.Nam Aulicæ vitæ prodeſſe reipublicæ eſt finis bonus,cur non & ipſa vita bona?* Symbulus. *Diſputamus, an ſit, non,an eſſe debeat.* Drymus.*propter abuſum, non eſt tollendus vſus:neque vita ergò aulica.* Symbulus.*Quod ad originem vſus,conſideratur:quoad proceſſum, abuſus. & eam ob cauſam de Sardanapalica aula loquimur: non de aula Iouis. Vſus conſiſtit penes Iouem : abuſus penes Sardanapalum. Hanc tollimus propter abuſum : illam Statuimus propter vſum : quæ cum facilè monſtrari non poſsit, de ea non diſputamus.* Drymus. *Domicilium totius Iuris quod in diſtribuendo verſatur, conſiſtit in varijs rebus benè diuidendis, honoribus dandis, pœnis imponendis, tributis pro cuiuſque facultate exigendis. Iſtius Iuris exempla & veſtigia videmus in aulis. Nam ibi vnicuique honores pro dignitate tribuuntur, & ordo quidam dignitatum ſeruatur: qui ſi aufferatur : ipſa politia tollatur oportet. Aulica vita ergò, colenda & ſequenda eſt.* OLISTVS. *Hoc Iuris decretum optimum & obuijs vlnis amplectendum. Vtinam omnes aulæ tales eſſent. Licet non*

O 2 minùs

minùs honoribus parcant diſtribuendis ac anteà: Sed diuerſa ſucceſſio, diſsimilitudinem parit. Olim enim honores diſtribuebantur dignis: nunc verò indignis. Ita diuerſitas temporum & morum, diuerſitatem & legum parit, & antidotum vertit in venenum?

Quæ & quot in ſtudijs rectè inchoandis & varia lectione conſideranda: Item de obedientia parentibus præſtanda: deq́ue paupertate in ſtudijs maximè apta.

CAPVT IIII.

OLISTVS. *Præterea proponit quinque meditanda in quouis ſtudio continuando. primum eſt, vt in contemplatione diuinitatis ponatur hoc eſt quemadmodum ſtudiũ diuinitùs procedit: ita quoque habeat finem diuinum: quod vbi quis negligit, & aliũ finẽ: & infelicisſimũ profectũ, ſortitur. Tales ſunt omnes qui ſtudent diteſcere potiùs quàm veritatem inueſtigare & cognoſcere. Secundò vt habeat ordinem tendentem ad fælicitatem hoc eſt vt non vtilitatem priuatam, ſed publicã potiùs quærat. Tertiò quod non coactus aut rogatus iſtud aggrediatur : ſed correptus amore ipſius, & diuino percitus furore: hoc eſt ſtudium debemus continuare, id ad quod natura trahimur & ducimur: alias & operam & oleum perdimus. Hic tacitè repræhenduntur ij, qui omninò natura repugnante ſe ad aliquod ſtudium marſupij gratia cõferunt. Hinc eſt quod plures Iuriſperitos & Medicos q̃ Theologos inuenias. Hinc quoq; eſt, vt magnatũ filij deo dicẽtur & deuoueãtur: etiã contra eorũ naturã, nõ propter ſtudiũ, ſed ꝓpter Theologorũ opes, Quartò vt nõ particularis quis ſed vniuerſalis ſit, oẽs ſcedas excutiat et oẽs familias agnoſcat: ne ſi de plurib. ei dicendũ fuerit vni ſoli aſtrictus videatur: quin potius cum Ariſt.* ἀναγνώσις *vt vocari & dici mereatur: ideoq́ melius de omnibus iudicare queat. Quintò ne ſit alicui alligatus, quin potius liber liberè omnia guſtet, & quod*

bonum

bonum eſt retineat. Vbi enim iurauerit in verba Magiſtri, non poterit ab eo deficere, ita verò omnibus, quod ſuum eſt reddet, cum omnibus rectè viuet. Sine iſtis nemo in ſtudijs proſperè verſabitur. Drymus. *Diuerſa ac varia autorum lectio, ſiquidem perturbat ingenia meo quidem iudicio plus obeſt quàm prodeſt: potiùs igitur fugienda eſt.* Symbulus. *Matura lectio non: ſed præmatura obeſt & perturbat.* OLISTVS. *Veriſſimum eſt illud: neminem poſſe ex omnibus vnum rectè noſſe, niſi prius omnia cognouerit: neque vnum rectè legiſſe quiſpiam dicetur pluribus illectis. Nulla enim familia eſt, quæ non adferat aliquid ſecum, quod ei non ſit cum alijs cõmune. Eam ob cauſam ſingulos diligentiùs eſſe legendos, vt propria cuiuſuis ſcriptoris, & intelligere, & conferendo alterum ex altero elicere commodiùs queamus. Atq; id conſilij non ad eos, qui primùm Grammatica tractant: maximè autem qui iactis probè fundamentis ad penitiora philoſophiæ contendunt, cenſeo referẽdum.* Drymus. *Item coactum ſtudium improbas? certè à natura trahimur ad malum, neque aliquid boni ſuſcipimus vltro. Quid reſtat, quàm vt cogamur ad ſtudia?* Symbulus. *A natura ſumus propenſi ad malum actione non voluntate: iuxta illud Pauli: Id quod volo bonum non facio, quod autẽ nolo malum illud ago.* Drymus. *Ignoti nulla cupido: cogendi igitur ſumus vt cognoſcamus.* OLISTVS. *Aliud eſt cogere: aliud allicere. Alliciendus eſt quidem diſcipulus: nõ autem cogendus. Deinde ignoti nulla cupido Illud πόρισμα locum habet in ijs, quæ extra communem curſum ſunt: Neq; ad eas cogendi, ſed quoque alliciendi ſumus. Itaque cuilibet cùm innata ſit cognitio eius rei ad quam propenſus eſt: vtique in eo nulla cupido ignoti.* Drymus. *Res ardua Symbule. licentiam nimiam admittis: Dominus tamen præcipit vt parentibus morem geramus.* Symbulus. *Quoad bona corporis, non animi* Drymus. *Cur ad ſtudia rectè complectenda paupertatem, maximè neceſſariam*

p̄termiſiſtis? Inquit enim Cardinalis Mediolan: in proœmio Clemt. paupertatem vnā ex clauibus eſſe per quas intramus ianuam ſapientiæ. Nā paupertas luxuriā compeſcit. Vnde & Seneca pulchrè dicit: Si vis diſcere, ſis pauper aut quaſi pauper. Symb. Solutio in ijs habetur verbis: Si vis addiſcere ſis paup aut vt paup. OLIST Etiamſi expreſſa m̄etio paupertatis aut diuitiarū non fiat: attributorū tamen enumeratio datur: q̄ tam diuiti, q̄ pauperi cōmunia eſſe debent. Nam Deū p̄ oculis habere, & vtilitatē reipub. & ſpontaneum ſtudium: & liberum, et vniuerſale, non minùs diuiti, atque pauperi conuenit. Drymus. pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus. Quare vix riſum teneo, dum hanc tuam vniuerſalē ſtudiorū rationē conſidero. Symb. Ego aūt miror hāc tuā ſocordiā πόρισμα enim illud intelligendū eſt de cōfuſa nō aūt diſtincta tractatiōe.

De boni viri officio.
CAP. V.

OLIST. In ea lectiōe quatuor ſunt repetēda. Primò ratio ſepimēti: quo ſignificatur, ne probū virū bonarū ac honeſtarū actionū pudeat: imò apertè agat. Quādoquidē ſuo exemplo prodeſſe, aliorū infirmitati cōſulere et bonis actionib⁹ malas tollere, prauosq; animos ad pietatē inuitare poſſit. Secūdò qđ philomuſus ignotus nō vereatur tantū virū accedere. Docemur inde qđ nō deceat bonū virū quenq̄ aſpernari: potiſſimū aūt pium ingenium à colloquio arcere. Imprimis, qđ talis et Deū habeat p̄ oculis et reipublicæ vtilitatē expendat: animū itē gratis conferendi vniuerſalē & liberum cōplectatur. Hæc nō poſſunt non hominē benignū et placidū facere. Tertiò ex eodē loco rep̄hendendi ſunt ij, qui poſtpoſita ſua vocatione aliā tractāt. Signū hoc eſt ignorantiæ, nō vulgare. habes prouinciā legēdi: colloquiū renuis? Id propriū eſt eorū, qui grauitate ficta ſuā ignorantiā tegunt. Quartò nō eſſe reſpectū perſona

rum

*rũ habendũ,ſed eruditionis,pietatis,integritatis vitæ,ac morũ.Eti amſi quiſpiã vili veſtitu incedat:nõ eſt quod eius conuerſationẽ hor reamus.*Drym.*prudẽtis eſt ſimulatè aliquãdo & tectè agere.Nã ſæpe qui apertè locuti ſunt,ſibi & alijs damnũ intulerũt:lites,alter cationes,bella etiã haud rarò ſecuta,Hinc illud vulgatũ.Nihil tace re nocet,nocet eſſe locutũ.Idẽ probatur.l.1.§.ſciẽtia ff.de tribut.acti one.Nã vbi dominus apertè cõſentit,contractib.ſerui tenetur in ſo lidũ,& ibi nocet quod apertè conſenſit.Mutatio etiã nominis eſt li bero homini pmiſſa quod patet.l.vnica c. de mutatiõe nominis ſicut ſuperiùs dictũ eſt: Aliquando ergo virũ bonũ non apertè agere li- cet.*OLIST.*apertè agere quod ad externas actiones attinet, bo num virũ decet,vt & alijs exemplo pio ſit, & ſeipſum intra limi- tes contineat. Quod verò ad externas operationes ſpectat:iam deli beratione opus eſt:nec cuiuis arcana cordis reuelanda. Porrò quòd nonnunq̃ certas ob cauſas nomen & ſolenne vitæ genus in humile mutetur bono viro nihil officiunt.Chriſtus rex regũ,aſſumẽdo cor- pus hũmanũ,ſe exinaniuit: obſeſſis,ne ſe proderẽt prohibuit,atque ſpiritib.ipſis cõminatus eſt.Sed hac de re dictũ.* Drym. *Math. 6. Dominus inquit:neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextra tua.Bonus ergò vir agere apertè prohibetur.*Symb.*Dominus nõ ita diminu tè loquitur ait enim:Te aũt faciẽte eleemoſynã,neſciat ſiniſtra &c.* OLIST.*Rectè. De eleemoſyna ſermo eſt:nõ de integritate vitæ ſeu morũ.Neq; enim inhibẽtur apertæ eleemoſynæ potiùs aũt inanis gloria dũ nobis ipſis in eiuſmodi erogationib.placem9.Quòd domin9 arctiſſima ſimilitudine vetat.Neſciat inqt manus ſiniſtra,quid fa- ciat dextra.Hæc boni illa mali Metaphora.Quẽadmodũ bonum cõ municari malo nõ debet:Sic nec actio dextræ cũ actiõe ſiniſtræ.Li cet de pœnis l.cogitatiõis,cogitatiõs pœnã nemo patitur: Sed hìc de pœna politica tamẽ loquitur, q̃ corporis eſt:nõ de pœna diuina quæ tàm ad corpus,quàm ad animã refertur.*Drymus.*Venio ad collo*

quia

quia viri boni. Hæc ſi omnibus pateant, putáſne ſine contentione? Symbulus. *Stultus verba multiplicat. Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam: ne efficiaris ei ſimilis. Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam: ne ſibi ſapiens eſſe videatur. Prouer: 26. Eccl. 10, & vitabis contentiones.* Drymus. *Philomuſus negat reſpectum perſonarum. Prodita autem eſt ſententia. ff. l. 1. ad leg. Corn. de Siccarijs debere reſpectum perſonarum haberi in pœnis infligendis. Si enim bonæ actiones præmium omnibus ex æquo adferant: quî fit quòd & malæ actiones non omnibus ex æquo pœnam? contrariorũ enim eſt eadẽ lex & diſciplina.* OLISTVS. *Reſpectus perſonarum alius eſt iuris ciuilis: alius naturæ. Hoc iure pœna maleficij omnibus ex æquo debetur, quia in omnibus æqualiter: illo, reſtringitur natura, pacis & tranquillitatis gratia.*

De officio diſcipuli.

CAP. VI.

OLISTVS. *In hac lectione tria ſunt obſeruanda, Autoritas perſonæ, eruditio, extenuatio, & obedientia. primum in eo verſatur, vbi inquit ſe perſuaſione Philonis ad Epiſtemonem deueniſſe: quaſi dicat: O Epiſtemon non putes me adeô leuem, qui quodam auræ flatu flectar: Philonis certè authoritate huc appuli: Viri ſanè in vtroque cõtemplandi genere maximi, cui ſimul & plurimum eloquentiæ acceſſit. Altiſſimis enim Myſterijs ſacrarum legum, & profundiſſimo ſenſu philoſophiæ abundat. Eam ob cauſam graui & meditata perſuaſione huc conceſſi. Docemur hîc ne temerariè ad aliquod vitæ inſtitutum accedamus. Secundò propter Philonis authoritatem Epiſtemon, Philomuſum gratum habet, neq; dubitat de eius fide & integritate: quin & ſolida eruditione. Hanc laudem extenuat Philomuſus, cùm inquit,*

ſe vi-

ſe vidiſſe quaſi omnium philoſophiam præter Terapentarium: tamen obliuioni tradidiſſe, quòd longo tempore, Metrodoro Chio adhæſerit: Exemplum præbens omnibus ſtudioſis, ne ſibi plus æquo arrogent: imò quæ ad eruditionem ſpectant, cum minima nobis inſint, quæ ſcimus, reſpectu eorum quæ neſcimus: nõ eſſe vt quicquam nobis vendicemus. Tertiò Philomuſus philoſophica repetere non renuit, ſi ad Terapeutarum finem conſequendum Epiſtemum iudicauerit: quaſi dicat, Epiſtemon non tibi refragabor: quin potiùs in omnibus morem geram, atq; in hoc ſi putas me diuinas res abſque philoſophia complecti non poſſe, libenter parebo: & ſi volueris in memoriam reuocabo. Hoc exemplo docet ſtudioſos, à pertinacia velut peſte abſtinere: quòd mater ſit omnium rixarum. Docet deinde nullam honeſtam ſcientiam adeò vilem & abiectam, quin ad honeſtum & vtilem finem poßit conferri. Ideoq́ tacitè reprehendit eos qui natare ſine cortice volũt: qui facultates ſine philoſophia aggrediuntur: quiq́ quod ignorant contemnunt. Ex hoc numero plurimi ſunt, præſertim hoc tempore qui ne nomen quidem philoſophiæ ferre poſſunt, tam denſis tenebris infecti, tamq́ craſſa ignorantia, vt nihil plus iudicare queant, quàm cœcus de colore. Symbulus. *Ad quoduis vitæ inſtitutum maximo conſilio & præmeditatione maturè accedendum, ex prædictis ſtatuo. Difficilia enim maxima deliberatione opus habẽt, iuxta illud Saluſtij: priuſquam incipias conſulto, & vbi conſulueris maturè facto opus eſt.* Drymus. *Homo quàm primum naſcitur vitæ inſtitutum & curſus diuinitus ſibi prædeſtinatus eſt: & fortuna audaces iuuat: quid adhuc conſilio & longa præmeditatione ad vitæ inſtitutum opus eſt?* Symbulus. *Deus prædeſtinat bona: mala etiam præſcit, ſed non ordinat.* OLISTVS. *Audaces fortuna iuuantur per ſe & per accidens. Illo modo audacia eſt quoddam medium inter temeritatem & timiditatem: atq; ea ratione audacia virtus et robur quod-*

dam animi, cùm ſit: in propaganda virtute admodum neceſſaria eſt. Hoc verò modo audacia, temeritas nuncupatur: qua mediante, admodũ rarò & niſi caſu proſperos euentus ſortitur. Ita in quauis conſultatione illa opus eſt: hac nunquam.

De Philoſophia, an ſit homini Chriſtiano neceſſaria.

CAP. VII.

OLISTVS. *Dum Epiſtemon reſpondet placidè Philomuſo, Philoſophiam eò eſſe neceſſariam homini, quòd diuinitùs hominibus infuſa ſit. deinde etiamſi non apertè cultum atq; reuerentiam Dei expendat: à longinquo tamen videt: propterea quòd mens hominis ad imaginem Dei ſit formata. Hic duo ſunt expendenda, aperta notitia Dei, & diſtincta. Hæc originem traxit ex imagine Dei. Formatus enim homo, vt Propheta teſtatur in imagine quemadmodum & reliquæ creaturæ: cùm vt Euangeliſta Ioannes inquit: Omnia in ipſo & per ipſum facta & creata ſint. Homo tamen præter id quod in imagine ſit creatus, quoq; ad ſimilitudinẽ illius imaginis formatus eſt. Hanc ſimilitudinẽ Paulus interpretatur, cùm inquit: nos in ipſo electos, vt eſſemus ſancti & immaculati. Hic apertè eam ſimilitudinẽ declarat: quæ nobis communicata eſt per Chriſtum. Quemadmodũ enim in eo creati ſumus: ita quoq; per eum redempti, per eũ in filios Dei adoptati: vt eſſemus vbi ipſe eſt: & talis qualis ipſe eſt: quandoquidem ipſe caput, nos verò membra, et vnum eius corpus ſumus. Illa ergo imago creationis, veſtigia ſuæ ſimilitudinis in nobis reliquit: quibus mediantibus occulta quadam ratione pullularunt philoſophiæ præcepta: medicorum remedia: legumq́ decreta. Cognitio verò aperta, nobis per imaginis redemptionem innotuit: vtpotè ſalus & vita*

ta æterna. Quemadmodum ergo imago creationis ad imaginem redemptionis ſe habet: ita philoſophiæ ſtudium ad diuinarum rerum contemplationem, veluti ad diſtinctam ſcientiam, confuſa. Symbulus. *Philoſophiam cùm ad reliquarum ſuperiorum facultatum, tum plurimùm etiam ad Theologiæ cognitionem conducere arbitramur. Siquidem philoſophia eſt ſtudium ſapientiæ, à qua etiam nomen habet: dubium non eſt, quin omnes artes, omnes ſcientias, omnes denique facultates complectatur: certum vtique eſt eam ad Theologiæ ſtudium conducere.* Drymus. *Philoſophiam ratio humana gubernat: quid igitur prodeſt ad diuinam? Imò Dominus non fruſtra ait. Gratias ago tibi pater cœli & terræ quòd hæc abſconderis à ſapientibus & prudentibus & reuelaueris paruulis: certè pater ſic fuit bona voluntas apud te. Videas deinde quàm acrem inuicem exercent pugnam, ratio humana & myſteria Dei. Hinc tot rixæ & lites oriuntur. Hinc eſt quòd Paulus monet ne decipiamur per philoſophiam: cùm ſine periculo igitur in ea vix aliquis verſari poſſit: in ſimplicitate manendum & credendum neglecta philoſophia.* Symbulus. *Qua ratione ancilla ſeu famula philoſophia eſt, eadem & prodeſt, ad Theologiam: cùm verò vt domina, ea vtimur, ad Theologiam prorſus inutilis eſt.* OLISTVS. *Quòd dominus myſteria regni cœleſtis non ſapientibus huius mundi, ſed paruulis aperuerit, propoſitum non infringit. Quemadmodum enim philoſophia vero ſuo vſu ab abuſu: ita philoſophia huius mundi, à philoſophia illius mundi diſtinguitur: quæ ſenſibus potius adiacet, quàm rationi: & confuſè atque obliquè, res tractat: neq; rerum cauſas, neq; eius veros effectus tradere poteſt. Eiuſmodi philoſophiam impropriè dici philoſophiam aſſerimus: neq; de ea hic tractamus, ſed de philoſophia quæ propriè rerum cauſas inueſtigat, et ratione ipſa conſtat, eiuſq; iudicio ſubijcitur. Talis philoſophia certè neceſſaria eſt, & eſt, velut diſpoſitio*

ad acquiſitionem Theologici habitus. Quare rectè Cicero inquit qui ſecundum rectam rationem agit, benè agit, & benè viuit. Benè agere autem & benè viuere, nemini dubium eſt, quin ad Theologiam & reliquas facultates conſequendas requiratur. Eadem ratione reſponderi & ad Pauli authoritatem poteſt, cùm dicit: Caue ne te quiſpiã philoſophia decipiat. Hæc de ſophiſtis dicit, qui tùm temporis paſsim vbiq; graſſabantur: atq; hoc nomine vtitur ob appellationis figuram. Confuſè enim & ſine reſpectu philoſophiæ nomen attribuebatur, tàm bonis quàm malis: tàm compoſitis quàm ineptis. Ab eorum ergo philoſophia cauendũ eſſe, quæ nihil aliud quàm rixas & contentiones moueret: queuè ſe dominam rerum altiſsimarum potius quàm famulam exhiberet. Rectè Philo de opificio mundi ſub duobus nominibus vtramque & humanam & diuinam philoſophiam complectitur, Agaris & Saræ. Agar enim fuit ancilla: Sara verò fuit domina. Requirit ibi Philo fœcunditatem Agaris, hoc eſt, fœcunditatem philoſophiæ, ante partum Saræ, hoc eſt, antequàm ad res diuinas & altiores accedamus. Et quemadmodum Agar vnà cum Iſmaele, eò quod filius ancillæ filio dominæ, hoc eſt Iſmael, Iſaac filio Saræ illuderet, hæreditatis participes facti non ſunt, ſed ancilla vnà cum filio pulſa: Ita quoque quum philoſophia ludit cùm rebus diuinis, easq; contemnit: vitanda eſt: Quòd iam ſenſibus non rationi adhæreat. Atq; ita Pauli ſententia ſi intelligatur, philoſophia & neceſſaria erit: et vtilis, ad cognitionem Theologiæ. Vide Encyclop. Drymus. *Philoſophia nec certa nec bona eſt, ergo ad cæteras facultates minus ad Theologiam conducit. Nam ſcientiæ ſunt opiniones & decreta hominum, omnis homo verò mendax: & non eſt qui faciat bonum vſq; ad vnum. Iterũ: Nemo poteſt rerũ certas cognoſcere cauſas. Deinde à Philoſophorum diſſenſione patet: quòd iam rarò conueniant. Poſtremò Agrippa philoſophiam pernitioſiſsimam peſtem appellat: idq; certiſsimis*

ratio-

rationibus comprobat. Symbulus. *In opinione eſt philoſophia, quò ad hominem: certa tamen quò ad Deum. Deinde, etſi non habeamus diſtinctam cauſarum cognitionẽ: confuſam quis negabit? Quòd verò Philoſophi diſſentiant: in coniecturis quidem rerum concedo: ſed in rebus nihil minus. Ad Agrippam reſpondeo, ipſum damnare philoſophiam dominam, non ancillam: abuſum, non vſum, vt ſuperiùs dictum eſt.* Drymus. *Metopoſcopia & Chiromantia nõ conducunt ad Theologiam cognoſcendam, Quomodo igitur tota philoſophia?* Symbulus. *Non prodeſt, quidem in vniuerſum ſed vt iacula quæ præuiſa minùs ferit: ita inclinationem prauam præuiſam diligentia ac ſedulitate vincit, & intra limites contmet: vt benè agendo Deo placeamus.* Drymus. *Partes philoſophiæ non omnes conducunt ad facultatẽ iuridicam: ergò nõ tota philoſophia.* Symbulus. *Non conducunt ex directò ſed ex obliquo per communicationem.* Drymus. *Muſica prorſus nihil prodeſſe videtur.* Symbulus. *Nihil magis conducit Iuriſperito, ac Muſica. Quemadmodum̃ enim proportio harmonica potiſſimùm in Muſica verſatur: ita in Iuriſprudentia harmonia, dum ex conſenſu ſeu ex collectione votorum, veluti harmonica quadam actione, vnum pronunciãt: ex ratione illius conſenſus controuerſiã, decidunt.* Drymus. *Philoſophia eſt amor ſapientiæ: ergò ad Theologiæ cognitionem nihil prodeſt: Deus enim odit ſapientiam.* Symbulus. *Sapientiam ſapientum, qui inſipientes ſunt coram Deo, odit.* Drymus. *Philoſophia omnium ferè hæreticorum cauſa exiſtit: Tun hanc commendas?* Symbulus. *Abuſus philoſophiæ hæreticis patrocinatur: ſed non vſus.* Drymus. *Lactantius lib. 6. diuin. Inſt. inquit: omnis doctrina & virtus doctorum ſine capite eſt, quia Deũ neſciunt. Philoſophia eorum quæ?* Symbulus. *Maxima. Neſciunt quidem Deum diſtinctè: confuſe aũt & per coniecturas, quid impedit?* Drymus. *Redeo ad id quod Oliſtus dicebat: videlicet vt diſtincta &*

aperta Dei cognitio, per imaginem redemptionis nobis innotuit: ita philoſophia, quæ occultior, confuſa Dei notitia dicitur, ex imagine creationis originem traxit. Siquidem anima humana eſt lux diuinitùs à Deo hominibus indita: quia 1. *Ioan. per ipſum omnia facta ſunt. Ideò aperta & occulta Dei cognitio ex imagine creationis originem traxit. Concedam id? occultum & confuſum, quomodo eius notitia eſſe poſſunt? Dei ergò notitiam ex imagine creationis originem traxiſſe perperā ſtatuitis.* Symbulus. *confuſa Dei cognitio eſt quidem ex imagine creationis: ſed velata: iam porrò expreſſa, ideóque diſtincta.* Drymus. *Deum nemo vidit vnquam teſte Ioan: & imago fallax eſt: ergò apertam cognitionem eius per imaginem creationis non habemus.* Symbulus. *concedo libenter nos in imagine creationis eam non habere: ſed gloriabimur maximè, quòd in imagine redemptionis ipſam conſecuti ſimus.* Drymus. *Scientia originem traxit ex promiſſione antiqui ſerpentis in Paradyſo: ergo non ex imagine creationis.* Symbulus. *Ex ſerpente orta eſt perſuaſio & cōmunicatio veri boni in apparens: Serpens tamen autor nequaquam eſt arboris aut ſcientiarum: ideò & abuſus ſcientiarum ab eo proceſſit: verus autem vſus in imagine Dei. Quòd porrò quidam ſerpentes, authores ſcientiarum, dicant: ænigmaticōs tempus intelligunt. Deinde geniū hominis. Scientiæ enim non ſimul & ſemel: ſed potiùs ſerpendo, hoc eſt ſucceſſu temporis oriuntur, ac etiamnum perficiuntur.*

De abſtracta & concreta mente,

CAP. VIII.

CLISTVS. *Tria ſunt & hic annotanda: Ratio diſtantiæ mentis noſtræ & diuinæ. Quemadmodum enim ſeruitus à libertate differt: ita mens corpori inſita à mente ab-*

abſtracta. Hic locus docet ac monet, vt vitemus ſuperbiam Luciferi, inobedientiam primi parentis, & contemptum Eſau: qua & primogenituram amiſit, & benedictione orbatus eſt. Secundò quantò ſenſibus magis appropinquamus tantò magis ab intellectu recedimus, & econtra. Qui ergò cupit intellectualem puritatem conſequi: à ſenſibilibus abſtineat. Hic locus hortatur vt ſemen illud iactum in bonam terram obſeruemus & imitemur: ſpinoſa verò, petroſa, & quæ ſecus viam ſunt, fugiamus: vtpotè pertinaciã & cordis duritiem. Deinde ſecularib. negotijs vt nos placidè exoluamus: crapulæ, voluptatibus, commeſſationibus luxui, & ſimilibus valedicamus. Tertiò quòd philoſophia cùm ſit domini Dei, non ſecus eſt neceſſaria ad contemplationem diuinorum, atq; lactis quædam nutritio. Quare & præmittenda eſt, vt apparet, animos hominum, quò magis cœleſtia decoquere poſsint. Animalis homo non percipit, ſecundum Apoſtolum, quæ ſpiritus ſunt. Docet igitur animalem hominem lacte, hoc eſt, philoſophia: deinde, ſolido cibo, hoc eſt Theologia, paſcendum eſſe. Hic locus pulcherrimè cuiuſdam methodi nos commonefacit: cuius & Cicero alibi meminit. Diſſuendos eſſe animos à ſenſibilibus rebus, non lacerandos, hoc eſt, ſenſim auellendos: non cum quodam impetu: Gutta cauat lapidem non vi ſed ſæpe cadendo: Idem in amicitia & ſimilibus obſeruandum. Symbulus. *Quæ dicta ſunt breuiſsimè ſic colligo. Non minor inter abſtractam & concretam mentem, propter hoc ſenſibile corpus eſt diſtantia, quàm quæ eſt, inter libertatem & ſeruitutem. Seruitus enim in eo maximè differt, à libertate moderata, quod hæc facultas ſit honeſtè transferendi res et operas honeſtas, pro arbitrio proprio eligendi: illa verò horum omnium propter fortunæ iniuriam priuatio. Ita mens à ſenſibilibus abſtracta puram & continuam habet contemplandi facultatem: illa verò quæ inſita eſt corpori, ſenſibilibus impedita, propriam facultatẽ agendi amittit, etiamſi ſpiri-*

ſpiritus nihil patiatur à virtute corporea. Drymus. *Abſtractæ, & concretæ mentis eſt, minor collatio, reſpectu libertatis, & ſeruitutis: ergò minor quoque diſtantia. Nam ſerui quod ad ius ciuile attinet, pro nihilo habentur. L. Quod attinet. ff. de reg. Iur.* Symbulus. *Quemadmodum ſeruus pro nihilo habetur, ita homo ſenſibilis, qui puluis eſt, & in puluerem reuertitur.* Drymus. *Diuerſitas monſtratur inter hæc quæ comparantur. Seruitus enim eſt attributum & accidens hominis: mens autem eſt concreata ſubſtantia: ergò datur inter hæc diuerſitas.* Symbulus. *Datur diuerſitas ſubiecti: ſed non proportionis.* Drymus. *Datur rurſus diuerſitas. Seruitus enim pro nihilo habetur: Mens verò ſemper exiſtit & perpetua eſt: ergo ſimilitudo claudicat.* Symbulus. *Hic ſimilitudo non eſt ſeruitutis, ſeu animæ vt animæ: ſed animæ ea ratione, qua concreta eſt. Quemadmodum ergo concretum animæ pro nihilo habetur: Ita & ſeruitus hominis.* Drymus. *Coincidit libertas hominis, & concreta mens: ergo deſtruitur proportio. Agere enim homini non licet niſi mente coniuncta corpori: quòd ſi ſeparetur, iam non homo, ſed anima ſeparata eſt.* Symbulus. *Eam proportionem nō ratione totius ſed partiū conſiderare oportet. Quemadmodum enim homo hæc ſenſibilia liberè tractat: ſic anima abſtracta inſenſibilia: & quemadmodum ſeruus nihil facere poteſt, niſi conſenſu domini interueniente: ita mens concreta ſine conſenſu corporis cui ineſt.* Drymus. *Spiritualis homo eſt nouus & per Chriſtum recuperat, id quod Adam amiſit, hoc eſt, concordiā mentis & corporis: ergo malè comparatis concretam mentem ad ſeruitutem.* Symbulus. *Inchoatam mentis habemus concordiam: non perfectam Potentia enim habetur libertas: non actu.* Drymus. *Locus eſt cauſa ſeruitutis & libertatis in mente: ergo loco remoto nulla eſt amplius ſeruitus. Iſidorus diſtinct. 81. inquit: plerunque dum mutatur locus mutatur mentis affectus: congruum eſt ergo,*

& inde

& inde corporaliter euelli vbi quis illecebris deſeruiuit. Symb. *De proportione eſt ſermo: non de loco.* Drymus. *Secundum naturam & contra naturam diſſimilitudinem parit. Contra naturā eſt ſeruitus reſpectu libertatis: mens verò abſtracta & concreta ſecūdum naturam.* Symbulus. *Seruitus non ea ratione proportionem habet, cum anima concreta, quæ contra naturam: ſed qua paſſioni eſt ſubiecta, iræ, morti, peccatis: iuxta Paulum: Qui peccato ſeruit, ſeruus peccati eſt,* Drym. *Seru⁹ à Seruãdo dictus, qđ captiui olim ſeruabãtur & nõ occidebãtur: Nõ occidi verò eſt Secundũ naturã: ergò et ſeruit⁹ ſecundũ naturam.* Symb. *Eſt fallacia à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter. Non enim dicitur ſeruus ab eo, quòd ſeruetur vita eius, hoc eſt quod non occidatur: ſed propterea ſeruus dicitur quòd ſeruetur captiuus & vinctus, atque, id contra naturam eſt,* Drymus. *Spiritus nihil patitur à virtute actiua: ergo non poteſt ab ipſa impediri. Spiritus enim omnem virtutem corpoream tranſcendit.* Symbulus. *Spiritus abſtractus non concretus.* Drymus. *Senſus & mens nihil differunt: ergo cũ ſenſus à ſenſibilibus abſtrahi non poſſit: neque mens poteſt. Nam Iſydorus lib. 2 Etymol: teſtatur inquiens. Anima dum viuificat, corpus eſt: anima dum vult, animus eſt: dum ſcit, mens: dũ recolit, memoria: dũ rectũ iudicat, ratio eſt: dum ſpirat, ſpiritus eſt: dũ ſentit, ſenſus eſt.* Symbulus. *Illa vnitas eſt ratione diuerſarum potentiarum non ratione ſubiecti, hoc eſt impropriè & per accidens.* Drymus. *primi parentes non amiſerunt animam intellectiuam: ergo nos adhuc habemus mentem liberam.* Symbulus. *Habemus liberam ex parte dũtaxat: Quare etiam ex parte habemus liberũ arbitrium. Et ab his ſenſibilibus quantò magis abſtinemus: tantò maiorem intellectus puritatem conſequimur.* Drymus. *Vinum Lætificat cor hominis iuxta Salomonẽ: ergo à ſenſibilibus nõ eſt abſtinendum. Itẽ Vinum acuit ingenium.* Symbulus. *Abſtinendum eſt ab exceſſu non à*

mediocritate:aliàs vt Apoſtolus teſtatur,oporteret nos ex hoc mũdo ſecedere.Modicè igitur ſumptum acuit ingenium : non modio, Et Apoſtolus hortatur Timotheum ad vſum modici vini, propter infirmitatem.

De habitibus infuſis & concreatis.

CAP. IX.

TAcitè cuidam obiectioni hac diuiſione reſpondet :cùm inquit, alios habitus per momentaneam infuſionem naſci:alios per ſæpe iteratos actus. Poſſet enim quiſpiam cauillari, & Apoſtolos, & prophetas,& patriarchas, & multos viros pios extitiſſe,contemplationi deditiſſimos:& in ea occupatiſſimos abſque aliqua cognitione philoſophiæ. Huic obiectioni occurrit, inquiens, Philoſophiam non eſſe neceſſariam momentaneæ infuſionis habitui. Nam vt rerum diuinarum contemplatio: ſic & humanarum habitus eſt infunduntur : philoſophiam autem eſſe neceſſariam ijs duntaxat , qui habitus per ſæpe iteratos actus acquirunt : vt ſcientia connata animi hominũ ſylueſtres domentur, & componantur : qui apti & idonei ſint ad capeſcendas rerum cœleſtium virtutes,earumque cognitionẽ. Hic docet ordinem quomodo intellectus ipſe per philoſophiam illuſtratur:& humanum animum præparat ad contemplationem idq; vno medio:vtpotè docendo cõceptus Entiũ in natura intellectu ipſo formare,h.e.actionum humanarũ differentiã animo perpendere, & intellectu apprehẽdere. Quemadmodum.n.conceptus animaliũ in intellectu formatus per apprehenſionẽ imaginũ differentiã & iudicium quoddam,inter animalia parit: ita conceptus actionum in natura diſcrimen ipſum,& varietatẽ indicat, ac oſtendit : quæ malæ quæue bonæ actiones ſint: Suadet deinde vt à malis abſtinea

ſtineamus,& quæ bona ſint ſectemur. Tum demùm hiſce ſic expenſis ſingulatim cauſas actionum inueſtigat, & effectus. Atque ijs mediãtibus philoſophia terret homines à malis actionibus. Hoc tali exẽplo patet: Actionem ebrietatis formatã in intellectu, intellectus diſcernit à Sobrietate, & vtriuſque cauſas atque effectus inquirit: ſobrietatis quidẽ cauſam allegando abſtinentiã, eiusq; fructus q̃ inde oriãtur bonos & ad oẽm rẽ aptos. Ebrietatis verò cauſam crapulã, atq; eius effectus varios, vtpotè phlegma, pituitã, arenam, podagram, chiragram, febrim & ſimilia. Hiſce ita dep̃henſis ductu rationis & intellectus, philoſophia facilè perſuadebit ſobrietatis vtilitatẽ, magnam: ebrietatis verò ſummam incommoditatẽ, & vnde etiam periculũ vitæ immineat omnibus doloribus & ægritudinibus refertam. Rationibus certè eiuſmodi nemo eſt qui non cõmoueatur, & eius periculi metu ebrietatem veluti peſtem & pernitioſiſſimum virus fugiat, ac deteſtetur: & ſic de ſimilibus. Intellectus itaq; cũ eiuſmodi Entiũ cõceptibus refertus fuerit: tũ inquirit quendam habitũ virtutum ſeq; à vitijs ipſis ſeparat & ſeiungit: & tum demũ aptum & idoneum animum reddit, ad res grauiores & magis inſenſibiles, ſe ſenſim à ſenſibilibus abſtrahendo, donec ad deſideratã illam contẽplationis fælicitatẽ perueniat. Symbulus. *Sicuti quoſdam per momentaneã infuſionem habitus recipere: Sic alias per ſæpe iteratos actus habitus tales ſine philoſophica inſtitutione, qua aſſueſiant in naturalibus conceptus Entium formare ex ſenſibilib. inſenſibilia facere & ſimilia acquirere non poſſe, Oliſtus doctè oſtendit. Quoniam tam humanarum quam diuinarum rerum habitus, à Deo infundũtur & omne artificiũ p exercitationẽ recipit incrementũ.* Drym. *Res immateriales & abſtractæ ſunt p̃priè intellectus obiecta: ergo intellectꝰ nõ poteſt ex ſenſibilib. inſenſibilia facere.* Symb. *Nõ poteſt immediatè ſed mediantibus ſenſibus.* Drym. *Maxima philoſophorũ pars cõceptus entiũ formando &*

ex ſenſibilibus in ſenſibilia faciendo, errarunt in ſummo bono aſſequendo: ergo inanis eſt omnis philoſophica inſtitutio. Nã Lactant. lib.3 inquit: philoſophia nec inſtruit ad iuſtitiæ munera: nec officium hominis rationesq́ue confirmat. Symbulus. *Lactantius loquitur de ſophiſtica, nõ de vera philoſophia. Item nõ aſſequimur ſummum bonum mediante philoſophia: ſed iter duntaxat, quod rectà ad ſummum bonum ducit.* Drymus. *Diuus Bernhardus venenoſam loquacitatẽ & imbrẽ qui ſterilitatem potius quàm fœlicitatẽ intulerit philoſophiam appellat.* Symbulus. *Et Bernhardus loquitur de inani philoſophia. lege. Illuſt. orig.* Drymus. *Dij bona ſua laboribus vendunt: ergo non infundunt nobis ſcientias.* Symbulus. *quibuſdam etiam gratis dant, vt Semelle Baccho grauida, cùm non potuiſſet perferre vterum, Iupiter eam miſeratus, abortiuum ambuſſit & inter Deos retulit Vid. Encyclop: fol.* 400. Drymus: *Habitus conſtat ex crebris actionibus: ergo non ex infuſione momentanea.* Symbulus. *Acquiſitus habitus cõſtat ex crebris actionibus ſed nõ omnis.* Drymus. *Naturæ impetu ducimur ad bonum: ergo non aſſuefactione.* Symbulus. *Natura & potentia ducimur ad bonum: aſſuefactione autem in eius actum* Drymus. *Natura ſufficit ad omnia: ergo non opus eſt abſtractione & aſſuefactione.* Symbulus. *Natura ſufficit ad omnia virtute ſed non habitu.* Drymus. *Sapientia omnibus ſimpliciter infunditur: ergo non per ſæpe iteratos actus. Nam Iacob: inquit. Si cui veſtrum deeſt ſapientia petat ab eo qui dat, qui dat, inquã à Deo, qui omnibus eam ſimpliciter infundit.* Symbulus. *Infundit Deus potentiam & iuuat actum.* Drymus. *Poſſúntne infuſi habitus amitti?* Symbulus. *Etiam, vt videre eſt in Saulo & Iuda. Porrò cætera Oliſti verba ſic habent. Sobrietatis vtilitas magna: ebrietatis verò ſumma incommoditas exiſtit: inde etiam non ſolùm mentis caligo, verumetiam periculum vitæ manat. Ebrietatẽ enim cauſam et incitamentũ*

omni-

omnium malorum & vitiorum eſſe conſtat: quoniam homo à vitiis, à ſcortatione, ab homicidio & ſimilibus, abhorreat natura: ſummoperè ebrietatem fugiat oportet. Drymus. *Vinum etiam largiter ſumptum animi ſecuritatem & ingenij acumen adfert. Nam Seneca ſcribit liberaliores potationes eſſe hauriendas & aliquando ad ebrietatem veniendum. Item Plato in Leg. vinolentiã & pocula liberiora permittit: perinde ac fomitem quendam ingenij virtutiſq́ incitamentum.* Symbulus. *Conceditur hoc propter multas infirmitates: arenam, calculum, & ſimilia: potiſſimùm autem in excitando poëtico furore.* Drymus. *Vina parant animos, & in vino veritas: ergò plus vini bibendũ. Seneca: Multi æſtuantes vino audent facere, quibus ſobriè erubeſcunt.* Symbulus. *commoditas eſt alijs hominibus ipſa ebrietas, nõ ebrio. Nam & audaciæ ſuæ pœnas dat: & veritatis quam effutiuit periculum incurrit?* Drymus. *Sobrietas debilitat vires: ergo damnum, & non vtilitatem adfert.* Symbulus. *Aſſuetis ſobrietas nihil nocet.* Drymus. *Delictum in ebrietate commiſſum iura mitius puniunt: ergo non vſque adeò vitanda. Nam L. omne dilictum. §. per vinum ff. de re militari. Vbi dicitur: ſi quis per vinum & laſciuiam lapſus fuerit, pœna capitalis ei remittenda eſt.* Symbulus. *Illa ratio conniuendi non fit ratione ebrietatis: ſed ratione ſeruæ mentis. Ideò ſit diſpẽſatio in eiuſmodi delicto: quòd non ex deliberatione animi proueniat.* Drymus. *Si modus abſtrahendi oſtẽderetur præſtaret longè: rectius deinde argumentabimur.*

De modo abſtrahendi à ſenſibilibus Item quomodo ſingularia vniuerſalia fiant. CAP. X.

CLISTVS. *Duo ſunt hìc obſeruanda, primò abſtractio obiectorum: qua mediante ſingularia vniuerſalia fiant.*

Hic obiectum bifariam conſideratur, ſimpliciter & ſecundũ quid: illo modo vt res ſenſibilis: hoc modo verò, vt ſunt ea quæ circa res ſenſibiles verſantur: vtpotè accidētia, propria, differētiæ, genera, et ſpecies. Abſtrahimus ab obiecto ſenſibili, cũ id inſenſibile facimus, id eſt cũ ſingularia vniuerſalia reddim⁹: idq; duplici ordine viſu & auditu p triplex mediũ imò & quadruplex tactũ, guſtũ, olfactum et affatum. Viſu quæcunque intuemur, quæ tangimus radijs viſiuis, ea aut mediante, tactu, vel guſtu vel olfactu vel affatu communi ſenſui offerimus: qui tùm demum per imaginationem tale ſenſibile obiectum appræhendit, vbique per phantaſiam ventilatum, æſtimatione factam inſenſibilem ſpeciē in memoria recondit: quæ tandē dicitur vniuerſalis, p abſtractionē obiecti. Pari ratione q̃ auditu appræhendimus per media iā dicta cōmuni ſenſui offerũtur ea demq; ratione in memoria reponuntur. Hinc eſt vt Tetractys meritò hic, hoc eſt quadratũ obſeruetur. Primũ conſiſtit in viſu, ſecundum in auditu, tertiũ in Aeſtimatione, quartum in memoria. Vide fol. Encyclop: 479. Per huiuſmodi Tetractyn ſenſibilia fiunt inſenſibilia: & particularia, vniuerſalia: neque aliundè modus enunciandi rectius quàm hinc petendus eſt, hoc eſt modus diſputandi, obijciendi, & ſoluendi, Hac enim methodo obſeruata, abſque difficultate & controuerſia humanarũ actionũ lites facilè dirimi poſſunt. Tum demum enim verè conceptus Entium in Intellectu formati, graui meditato, & acuto iudicio conſtabunt: & facilè vitabunt ea quæ abeſſe & naturæ: & à veritate ipſa ſeducere poſſunt. Secundò vniuerſales cōceptus operationibus intellectus accōmodandi erũt. Tres ſunt verò operationes intellectus. Simplex appræhēſio: cōpoſitio & diuiſio atq; diſcurſus. Simplex appræhēſio eſt nihil aliud q̃ ſimplex aſſenſus quadrati, quod tali exemplo patet. Leo primũ ab aliquo conſpicatus per communem ſenſum abſtrahitur ac æſtimationi per imaginationem offertur: inde per phantaſiam memoriæ impri-

imprimitur: ex Memoria verò hæc velut ex prõptuario intellectus decerpit. Aliud, pepo in medium allatus conſpicitur, cõmuni ſenſui offertur, primò per tactũ, deinde, per olfactum, tum demùm per guſtũ: Peponẽ deinde cõmunis ſenſus abſtrahit per imaginationẽ ipſiq́; Aeſtimationi offert: inde per phantaſiam in memoriã reconditur: vnde intellectus eam ſpeciẽ depromit, non quidẽ ſpeciem ſenſibilẽ, ſed inſenſibilẽ. Nam in æſtimatione quod ſenſibile erat in inſenſibile cõmutatum eſt. Pari ratione de vino intelligendũ, quod primò videtur, odoratur, tangitur, olfacitur, & guſtatur: quibus mediantibus communi ſenſui exponitur, inde vt dictum eſt, intellectui offertur: Sic de ſimilibus quò ad ſimplicẽ appræhenſionem intelligendũ. Secunda operatio intellectus eſt, cõpoſitio & Diuiſio: q̃ fit per deſcenſum quadrati. Vbi enim intellectus appræhẽdit Vniuerſale, vtpotè ſpeciẽ vini, nondum iudicare quicq̃ poteſt, ſine cõpoſitione & diuiſione. Quapropter cõponit deſcendendo per quadratum & examinando, Memoriã, Aeſtimationem, Auditũ, & guſtum. Auditus & guſtus rationem dabunt, mediantè Viſu, Tactu, Olfactu, nempè quòd color, ſapor, & guſtus, cõueniant. Id æſtimatiua veluti nũcius quidam refert memoriæ per Phantaſiã. Ac tùm demũ memoria intellectui omnem cõpoſitionem narrat: vtpotè quædam vina guſtui duntaxat conuenire: quædam ad calorem referri: quædam ad ſaporem: In quibuſdam hæc omnia contineri. Idque rurſus aſcendendo ꝑ quadratũ. Intellectus tandẽ per oẽs iſtas partes ſimplicis appræhẽſionis & cõpoſitionis diuiſionẽ ipſam intuetur, Per q̃ & diſcurrit: ac tum demũ illud vinum præſtantiſſimũ eſſe enarrat atq; enuntiat cuiꝰ bonitatẽ guſtus, color, & ſapor ꝓbauerit: diſcernẽdo ratione diuiſionis, vinũ bonũ à meliori & meliꝰ ab optimo. Hiſce operationib. intellectus benè cõſideratis, nulla reſtabit difficultas accõmodationis conceptuũ vniuerſaliũ. Nã Entiũ in natura conceptꝰ in intellectu formare idẽ eſt. Accõmodamꝰ eos cõceptus operatiõib. intellectꝰ

cùm

cùm quid res ſit enunciamus: & quomodo quanquam latè pateat, inueſtigamus: & rei veritatem aut falſitatē exprimimus, in hunc modum: Omnia vina in quibus hæc tria cōcurrunt ſunt bona: Hoc vinum eſt tale: ergo bonum. In prima propoſitione quid res ſit & quam latè pateat docetur: in ſecunda veritas accōmodatur: in tertia eius veritatis ſententia enunciatur, atq; hic eſt verus modus accommodandi conceptus Entium operationibus intellectus. Hinc eſt, vt pauci ſint, qui rem aliquam demonſtratione enunciare, & eloqui queant. Cauſas enim demonſtrationum ignorant: quæ nō aliundè depromi & hauriri poſſunt, quàm ex iſto proceſſu: Qui nihil alíud eſt, quàm promptuarium quoddam omnium cauſarū, omnium mediorum, & effectuum, prout ſuo loco patebit. Drymus. *Non poteſt obiecto, quatenus obiectum, quicquam detrahi vel abſtrahi. Vt video Leonem, nihil ei detrahere poſſum etiamſi ipſius imaginem in animo concepi: ergo abſtrahendo non poſſumus ſenſibile inſenſibile reddere.* Symbulus. *Abſtrahere aliquid ab obiecto, eſt ideam concipere à rebus: non rem. Deinde artis vocabula non rem: ſed inuentionē ſeu diatheſin rerum ſignificant. Talia ſunt omnia prædicamenta, prædicabilia & ſimilia.* OLISTVS. *Singularia vniuerſalia fiunt. primò per additamentum. Secundo per abſtractionem, non quòd ex vna perſona ſingulari abſtrahamus plures: ſed quod illa abſtracta omnibus perſonis accommodari poßit, Vt, ſi vnum leonem video, tantundem eſt ac ſi omnes vidiſſem, non quòd ex vno illo leone omnes leones conſtituere videar: ſed quòd vnius leonis idea ſufficiat ad cuiuſuis leonis agnitionem, ea nimirū ratiōe, qua, ea idea ſingulis leonibus etiam nō viſis accōmodari & cōuenire poteſt. Atque vtrunque horum vniuerſalium, tùm quòd per additionem fit, & multiplicationem: tùm quòd per abſtractionem dicitur, vniuerſale reuera eſt. Et vtrumque horum etiam alio nomine nuncupari poteſt. Illud vtpotè abſtractionis vniuerſale*

& præ-


prædicationis dicitur: hoc vtpotè additionis ſeu multiplicationis, vniuerſale quantitatis ſeu mathematicum nuncupabitur. Licet ea ratione qua ſub ſpecie quantitatis concretæ continetur: quemadmodum & oratio aliquomodo quoq; prædicationis vniuerſale dici poteſt: per ſeſe tamen conſiderata, additamenti ſeu multiplicationis reuera erit. Cui pulchrè illud vulgatum dictum conuenit: paruum paruo additum cumulatur magnus aceruus: quod & diuitibus commune potiſsimùm eſt. Drymus. *Videntur quatuor eſſe intellectus operationes: nimirum, Simplex apprehenſio, compoſitio, diuiſio & diſcurſus: ergo non ſunt tantum tres.* Symbulus. *Hæc diuiſio ſiue partitio, ratione abſoluti, eſt triplex: quò ad aliquid verò eſt quadruplex: imò multiplex reddi poſſet.* Drymus. *Multiplex varietas obiectorũ & intellectum & ſenſum iudicantem perturbat ac confundit: Res ergò ſenſibilis per tria illa media ſenſui cõmuni oblata, non perfectè apprehenduntur.* OLISTVS. *Nõ multitudinem offerimus intellectui, ſed communi ſenſui: neq; communi ſenſui quemadmodum ab alijs definitur, quanquam commodè ipſi videant. Quòd ſi peculiaris quædam potentia communis ſenſus eſſet: mirum eſt quòd non peculiari aliquo nomine eum appellitent. Sed vel nomen ipſum facilè illorum ignorantiam arguit. Communis ſenſus ſiquidẽ partim eò dicitur, quòd tam exteriorib. quàm interioribus ſenſibus communis ſit. Illis recipiendo: ijs verò offerendo. Partim quòd communis ſenſus eò cõmunis ſit, quòd communiter ex cognitione exteriorum ſenſuum naſcatur: quaſi illi ſenſus in vnum conflati, vnum quippiam conſtituant quòd indifferenter omnibus commune eſſe poſſit. Hinc eſt quod communis ſenſus reſpectu quinq; ſenſuum ſpecies dicatur ſenſibilis: veluti ex multis indiuiduis conflata. Nam quilibet particularis exterior ſenſus, vnius indiuidui & non plurium dicitur: communis verò cùm pluriũ ſit: quemadmodum ſpecies, rectè in eo ſenſibilis ſpecies primò formatur:*

matur: quæ deinde vni æſtimationi per imaginationem oblata, ibi primum ex ſenſibili inſenſibilis ſpecies fit. Hinc tranſmittitur per phanthaſiam memoriæ, vbi recondita per commoditatem, & occaſionem intellectui offertur. Hinc patet communem ſenſum non quidem ad plures ſpecies, ſed ad plura indiuidua diatheſin habere poſſe, cæteros verò omnes ſenſus reſtringi, & circa vnum occupari ex præcedentibus patet. Ratio autem talis eſt. Communis enim ſenſus tàm circa ſpeciem quàm circa indiuidua verſatur: Reliqui verò ſenſus vel circa indiuidua, vel circa ſpecies duntaxat. Communis ergo ſenſus circa plura propter diuerſa officia verſatur: ac cæteri vno duntaxat officio præditi, non niſi circa vnam rem intenti eſſe debent. Drymus. *Sonus eſt proprium obiectum auditus: ergo quod auditu appræhenditur medio aëre ſenſui communi offertur. Sonus enim medio aëre ad auditus organa diffunditur, & deinde mediantibus ſpiritibus ſenſui communi offertur.* Symbulus. *Aër eſt medium ſenſus particularis vtpotè auditus: non communis.* Drymus. *Quidnam diſcriminis eſt inter diuiſionem & diſcurſum.* Symbulus. *Quòd diuiſio ſit ſimplex quædam ordinatio & veluti cellularum quædam poſitio. Diſcurſus verò eſt enunciatio eius ordinationis, ſeu proloquium alicuius dialogi. Deinde diuiſio eſt ſimplicis thematis, quemadmodum & definitio: Diſcurſus verò compoſiti, qui ideò & argumentationis ſpecie rectè efferri poteſt.*

De

De Scala intellectus,

CAP. XI.



CLISTVS. *Hanc ſcalam intellectus quiuis facilè ex præcedentibus cognoſcere poterit: & quanti momenti & vtilitatis ſit non obſcurè intelligere. Quapropter paucis proceſſum eius figuræ oſtendam. Primò omnium ad culmen ſcalæ intellectus peruenire cupientibus, oportet huius figuræ truncum in promptu et percognitũ habere, cuius cognitio ex quadrato prædicto conſtat Viſu nimirum, Auditu, Aeſtimatione & Memoria. Huius Tetractys interſtitia, media ipſa occupãt. Sic inter Viſum, & auditum tactus, olfactus, guſtus, & affatus comprehenditur. Inter Aeſtimationem & Auditum communis ſenſus, & imaginatio. Inter Aeſtimationem & Memoriam phantaſia. Atque in hoc trunco ſiue linea vel aſcenſu ſimplex apprehenſio conſiſtit. Prima enim apprehenſio eſt particularis, vtpotè ſenſuum. Secunda generalior et ſpecies ſenſibilis, vtpotè communis ſenſus. Tertia eſt vniuerſalis ſpecies nimirũ inſenſibilis vtpotè Aeſtimatiuæ potentiæ Quarta eſt vniuerſalis, perfecta & conſumata videlicet memoriæ. Hac Tetracty abſoluta ſimplex apprehenſio, tùm demùm intellectui offertur, veluti iudici, vnde intellectus & operator cognominatus eſt. Hic intellectus vt iuſti iudicis fungatur officio, non ſtatim credit niſi priùs exploratam habuerit ſimplicis apprehenſionis virtutem & naturam: atq; ad id munus obeundi requiritur ſecunda operatio intellectus, quæ in compoſitione, & diuiſione conſiſtit. Hanc ob cauſam circulus velut caput trunco annexus eſt. Nã intellectus diuiſione & compoſitione quaſi circulo vtitur, dum inquirit partes, cauſas, & effectus per memoriam: Memoria, per æſtimationem: Aeſtimatio, per viſum: Viſus, per auditum: ac ſingula quadrata per ſingula interſtitia ſeu media. Hoc perfecto rurſus circulus reuoluitur colligendo cauſas & effectus: quæ quidem collectio rectè compoſitio nominatur, vt & illa inueſtigatio cauſarum & effectuum meritò diuiſio appellata eſt. Itaq; diuiſione et compoſitione*

ſitione per vtranq; circuli reuolutionem & motum abſoluta, intellectui denuò tanquam iudici, totius negotij ſtatus, velut ob oculos ponitur: quo quidem ſtatu aſſumpto vrgetur intellectus ad deciden dum. Quare antequam ſententiam proferat iudex ipſe, vltimo eũ ſtatum diligentius perpendit & examinat: idq; per quinque locos intra circulos collocatos: Vtpote ſpeciem, genus, proprium, differentiam & accidens. Vt autem hiſce locis certiùs & commodiùs vtatur: decem ſeries vocum adſciſcit, & ſex tranſcendentia, quæ ſimul cum intellectu ſurgunt: ac imprimis, ſtatus in quo prædicamento ſit, inquirit. Deinde in quo loco eiuſdẽ prædicamenti: ac tum demum, ad formam ſex tranſcendentium, ſententiam profert, Iudicat ac ſtatuit, qua de re in ſequentibus plura. Drymus. *Viſus eſt ſenſus exterior percipiens oculis ſpecies: ergo viſus per auditum non intelligitur.* OLISTVS. *Non intelligitur immediatè & ſimpliciter: ſed per media & per* ἀνάλυσιν. *Cùm diuido inquirendo cauſas & effectus: tum ratione cauſæ mouentis reſolutio in auditũ vſq; peruenit: vt ſi quis audiat hanc rem eſſe dulcem aut commodam ad edendum, auditu permouetur ad eius rei appetitũ. Quo fit vt eam tandem videat & tangat & olfaciat atq; guſtet. Auditus ergò in hoc exemplo etſi non eſt medium proprium: tamẽ medium erit accidentale. Quapropter hac ratione nõ ineptè dicemus, viſum mediante auditu, ad rem aliquã moueri. Secundò hîc viſum per auditum certiorem fieri eſt artis quædam dicendi potius forma, quàm rei. Hoc nimirum modo quo ad quadratum & circulum ſcalæ intellectus attinet, vt ex ſuperioribus patet.* Drymus. *Species illæ ſuperficie lucida non apparent, ergo ſpecies ſenſibiles non ſunt in communi ſenſu.* Symbulus. *Communis ſenſus ſe tàm ad obiectum, quàm ad organum extendit.* Drymus. *Inferiores ij ſenſus, & potentiæ, res perceptas non poſſunt retinere: ergo fruſtra memoria ab ijs quærit cauſas.* Symbulus. *actu non poſſunt retinere:*

nere:ſed potentiâ retinent ſemper. Drymus. *Communis ſenſus reſpicit particulares: ergo dabitur proceſſus in infinitum. Vnus enim terminus reſpicit plures: vtpotè ſenſus communis quinq; ſenſus particulares.* Symbulus.*Senſus communis reſpicit particulares, non tanquam plures: ſed tanquam vnum, inter quos cùm detur relatio ſecundum eſſe: non dabitur ſecundum dici, quare neq; proceſſus in infinitum.* Drymus.*Auditus,viſus,Aeſtimatiua & memoria,plerunque fallunt: ergo intellectus ſecundum ea iuſti iudicis officio fungi non poterit.* Symbulus. *Per accidens intellectus ſumit iudicium.* OLISTVS. *Iudex iuſtus nō poteſt à ſenſibus ſumere iudicium immediatè: ſed mediate quæ ipſum fallere, veluti accidens intellectus pellunt.* Drymus.*Prima appræhenſio conſtat omnium ſenſuum iudicio: ergo non eſt particularis.* Symbulus. *Reſpectiuè particularis: non autem abſolutè. Communis enim ſenſus vniuerſalis eſt, quia eſt ſpecies ſenſibilis ratione indiuiduorum,in ſenſibus ſitorum. Rurſus:* Species *ſenſibilis eſt particularis ratione inſenſibilis ſpeciei, quæ conſiſtit in æſtimatiua & ſic conſequenter. Hinc eſt vt prima appræhenſio poſſit eſſe & vniuerſalis & particularis diuerſo tamen reſpectu.* Drymus. *Auditus per viſum quærit cauſas:ergo nō viſus per auditum. Facinore enim perpetrato auditus per viſum ex circumſtantijs cauſas indagat.* Symbulus. *Auditus quærit cauſas per viſum in appræhenſione: viſus autem per auditum non quærit cauſas, ſed diuerſo reſpectu vtpotè in diuiſione ſeu deſcenſu vt ſuprà dictū eſt.* Drymus. *Loci Dialectici ex quibus argumenta ſumuntur ſunt plures omnium Dialecticorum conſenſu, quàm quinq;: Quomodo quinque hiſce argumenta conſtare dixiſtis?* Symbulus. *Comprehenduntur reliqui loci ſub his quinq;. Deinde reliqui loci non ſunt Dialectici, ſed Rhetorici. Dialecticis annumerati propter cognationem vtriuſq;.* OLISTVS. *Iam patet quòd anteà Epiſtemon voluit,vt ſedulò*

ac

ac diligenter in ſæpè iteratis actionibus verſemur. Nam vbi omnem habitum acquiſiuerimus videbimur proportione quadam ſimiles diuinitati.

De partu principiorum,

CAP. XII.

INTELLECTVS.

Res	Ens	vnum	verum	bonum	aliquid

OLISTVS. *Quemadmodum in hac figura principioru͂ magna fit communicatio & cognatio (prout enim intellectus operatur: ſic et principia quæ cum eo ſurgunt:) Ita quoque in diuinis rebus omnia attributa æqualia ſunt. Idem enim in Deo eſt ſiue miſericordia, ſiue bonitas, ſiue omnipotentia, &c. Quapropter eam adæquationem diuinitatis, hæc principia intellectui connata in ipſo intellectu ſignificant. Quicquid enim intellectui hiſce mediantibus adhæret, vt cognitio Dei intelligentiarum & ſimilium naturæ opificia dicuntur, & non ſenſuum. Ideoq; ea in parte nulla abſtractione egemus: neque ſenſibili aliquo adiumento, ſed veluti ad æthera rapti, nectare & ambroſia fruimur. Hic iam non philoſophia dominatur: ſed exemplar illud diuinitatis, & cognitio æternitatis præſentiſſima, cui tantum abeſt vt res prauæ obſtrepere poſſint, vt etiam in tanta diſtantia ſint, quæ omnino aſpectum eorum & memoriam prohibeant. Propterea Epiſtemon hortatur Philomuſum tacitè vt ſe quàm primum hac philoſophica inſtitutione exoluat, ac ad res cœleſtes, propter quas philoſophia quoq; hominibus indita eſt, conuertat. Quaſi dicat, in ſubiecta materia, & hiſce inferioribus non eſſe perpetuò deliteſcendu͂,*

iuxta

iuxta illud Apoſtoli:non habemus hic manentem ciuitatem,ſed ad cœleſtia veluti diuina properandum, eoq; omni ſtudio contendendũ ſuadet. Nam ibi quemadmodũ & angeli duobus medijs duntaxat & non infinitis vtemur, cognoſcemus enim nos per noſtram ſubſtantiam, & reliquas res omnes,per connatum medium. Sicut angeli Dei,iuxta ſaluatoris dictum, primò intellectui qui nullum habet medium niſi ſe ipſum vnum, proximi erimus. Hinc concludit Epiſtemon, huic tam excellentiſſimæ & perfectiſſimæ fælicitati, maximè philoſophiam ancillari.Porrò vt hæc figura eò clarior atque manifeſtior ſit: An vectigalia iure ſint inſtituta,diſcutiamus. Hanc quæſtionem itaq; tractare qui cupiuerit,primò omnium eam per ſimplicem apprehenſionem intellectus expendat, hoc eſt, ſentiat communi ſenſatione: æſtimatione, meditetur: memoria complectatur:quod fit cùm hanc propoſitionem ſeu quæſtionem quò ad ſubiectum & prædicatum,inſpexerit: Dicendo, vnum terminum eſſe Vectigalia: alterum iuſtam inſtitutionem. Id vbi intellectus perceperit,ſimpliciter & re ipſa: & experientia ita haberi: Tandem an hæc iure ſint diuidendo explorat: dùm vtriuſq; & effectũ declarat,vtpotè,vtilitatem publicam & alia,quæ hinc inde occurrunt. Intellectus ita deſcẽdendo inquirit in memoria ratione complexionis ſeu conceptus an hæ cauſæ ſic habeant, & deprehendit quòd olim apud Principes Imperatores & ſimiles Vectigalia iure quodam & boni finis gratia inſtituta fuerint. Ad hoc propoſitum confirmandum, examinatur ipſa exiſtimatio: quæ id, quòd communis ſenſus ſenſibiliter abſtraxerat, inſenſibile reddidit. Idem prorſus communis ſenſus refert:huic tum demùm nec viſus nec auditus nec iſtorum interſtitia repugnant. Hiſce ſic perfectis colligendo nota per aſcenſum fit compoſitio quæ idem quòd memoria antè recoluerat,viua quadam imagine repræſentat et inſtituit: ac his de cauſis quæſtionẽ an vectigalia iure ſint inſtituta proponit.

Itaq;

Itaque intellectus operatur ſingula diligētiùs: Diſcurſum veluti extremam lunam addit, collocando quodlibet, iuxta ſuum ordinem & ſtatum. Vtrunque enim terminorum, ſerie Qualitatis compræhendit, atque eam ipſam nunc in corporis nunc in animi, nunc in fortunæ qualitatem diſpeſcit. Cumque vectigalia magis ad fortunam tendere videat: locum eius accidēs deputat: eò quòd vt adſunt vectigalia inſtitutione principis: ſic & abeſſe poſſunt per abrogationem principis. Quod ſi vlteriùs procedas: & proprium eius non obſcurè depræhendes: vtpotè extruere neceſſaria, quæ ruinam moliuntur: prohibere ac finem ſuum tueri, gratia cuius vectigalia inſti tuta ſunt. Differentia eius non longè abeſt, ſi reliquos cenſus quis diligenter perpendat, quorum haud exigua hoc tempore multitudo eſt. Atque hæc differentia docet politiam quandam ſeruari opor tere. Genus eius aſſignatum eſt, quod eſt fortunæ quædam benigni tas & clementia, ſeu potiùs fauor. Species adeſt, vel in ipſo nomine ſubiecti: quod vectigal nuncupatur. Horum locorum diſcurſus ab intellectu proponitur principijs, quorum primum eſt Res. Ea cùm habeat duplex iudicium corporei & incorporei, vtriuſque mo net intellectum vtpotè ne quid ſtatuat in rebus corporeis cui cōtra dicere videantur incorporeæ. Ens quoque idem, tàm in accidenti bus, quàm in ſubſtantijs obſeruandum eſſe ſuadet. Verum deinde ſimpliciter & ſecundum quid hoc ipſum ſtatuit. Vnum etiam methaphyſicum. hoc eſt ſupra naturam, & phyſicum hoc eſt naturale, ſeu quod circa naturam verſatur, & mathematicum hoc eſt abſtra ctum ſeu proportionis, omnia compingit, firmat, & vnit. Bonum ip ſum deinde finem iſtarum cauſarum & effectum complectitur.

Vltimo aliquid conſiderat nō priuatum, ſed publicum commodum. Quapropter hoc diſcurſu intellectus motus enunciat, Vectigalia iu re eſſe inſtituta. Vbi animaduertendum eſt, vt quotieſcunque repe titum fuerit aliquod principiorum, reliqua ſemper eius naturam in-

ducere debent. Ideò quemadmodũ iam de re vectigali: ſic etiam de Ente, Vno, Vero &c. ſermo inſtitui poteſt. Hoc ergò diſcurſu ita cõſummato, intellectus breuibus velut Epilogo quodam colligit ſingula in hunc modum: Quandoquidem vectigalia propter principis inopiam, reipub. vtilitatem, proximi adiumentum, abſque omni dolo ac fraude, bono ac ſyncero animo, inſtituta ſunt: vtique nõ iniuria. Quòd ſi quid ſubeſt, præter ea quæ dicta ſunt: non iam æquitatis, ſed iniquitatis: ergò nõ emolumenti reipublicæ cauſa, ſed detrimẽti, dolo ac fraude oẽs eiuſmodi cõceptus inſtituti ſunt. Ita habetur breuiſſima ratio diſcurrẽdi, tam in iudicando, q̃ in inueniendo. Ad hãc quoque normã & argumenta & eorũ obiectiones, atque ſolutiones omni difficultate remota, inuenire aptè atq; appoſitè & cuiuis propoſito applicari poſſũt. Drym. *Sex ſtatuiſtis tranſcendẽtia at quatuor duntaxat ſunt Vt Murmel. ex Pico refert.* OLIST. *Quẽadmodum prædicamẽta alia ſunt abſoluta, alia reſpectiua: Ita & tranſcendẽtia quatuor illa Vnum, Verum, Bonũ, Ens, quatenus diſtinguuntur, à nihilo, diuiſo falſo & malo rectè dicũtur. Ens enim analogicẽs ad ſubſtantiam & accidens: Vnum ad Quãtitatẽ: Verũ & bonum, ad qualitatẽ, non vt ſeriẽ prædicamentalẽ: ſed proportione quadã, cum ſupra hanc ſeriẽ ſint, eamq́; multis modis excellant, referri poſſunt. Cæterùm conſiderata hac proportione haud abs re factũ eſt, vt eadẽ proportione tranſcendẽtia reſpectiua ponerẽtur. Quo fit, vt aliquid metaphyſica ratione: quod aliquid Dialecticum h.e. accommodatũ cuius intentio rẽ aliquã deſignaret, adiunctũ ſit: atq; res ipſa veluti fundamentũ quoddã, ipſius. Quare hæc omnia conſideranda ſunt proportione quadã: qua res ipſa cõſequitur Ens. Non enim alia ratione Res ab Ente differt.* Drym. *Ea quæ tranſcendũt ſeries prædicamentorum recipiúntne prius & poſterius?* Symb. *Quò ad naturam. Quò ad tempus aũt non datur ordo prioris aut poſterioris, Datur tamen ordo prioris & poſterioris in docendo:*

cendo:idq; ratione conſequentiæ, qua ratione & vnum metaphyſicũ conuertitur cum Ente, & eſt diuerſum à mathematico. Drymus *In Encyclopæ: fol.* 139. *autore Platone, quinque tantùm referuntur tranſcendẽtia: ergò non erunt ſex.* Symb. *Nomine Entis quod & nos, ſignificauit: per idem, Vnũ: per alterum, ad aliquid: per ſtatũ, Rem: per Motum, aũt, Verum & bonum proportione innuit. Mouemur enim vero & bono, vt aliquid appetamus & agamus. Rara hæc ſunt Drime, audiamus potiùs Oliſtũ de informando intellectu: reliqua ipſi tandem facilè intelligemus. Exiſtimo omnino, ibi totum negotiũ latere.* Drymus. *facilè crediderim.* OLISTVS *Iã demũ vos ſapere intelligo. Dicam quantũ ratio tẽporis p̄miſerit.*

Series Formandi Intellectus.



De formando intellectu & an duo corpora poſsint eſſe in eodem Subiecto, Item an dæmones ſint corporei. CAP. XIII.

F*Igura hæc octo ſpacijs diſtincta & ſuis proprijs numeris, in duas partes diuiditur, quarum prima ſimplicem appræhenſionem, compoſitionem, & Diuiſionem tradit. Secunda diſcurſum & iudicium complectitur. Illa primum quaternarium: hæc ſecundum declarat. primus à ſenſibus incipit, ſecundus à prædicabilibus. Senſus Itaque vt Plato in Timæo & Plutarchus de eo teſtatur, nihil aliud eſt, quàm animæ & corporis cõmunio, hoc eſt ſenſatio nõ poteſt eſſe niſi in coniunctione animæ & corporis. Corpus enim ab anima ſeparatim ſentire nõ poteſt: ſicut neq; anima ſeparata à corpore ſenſui obnoxia eſt: Vtiq; nec ſolũ corpus nec ſola anima, ſed vtrumq; ſimul iunctũ ſenſationẽ ſimul efficit. Licet, vt & Lactãtius excuſetur locumq́; habeat, anima ſit p̄ſtantior cauſa, imò verè cauſa: nõ poterit tamẽ ipſe negare corpus ſaltẽ cõcauſam eſſe. Et ſicut cauſa ſine cõcauſa operari nõ poteſt, etiamſi p̄ſtantior ſit: ita nec anima ſine corpore ſenſationẽ efficere, Sẽſus bifariam conſiderãtur, Alij enim Interni qui intra animã cõſiderãtur & ſola ratione intelliguntur: Alij externi qui per diuerſas corporis partes editi, externas res compræhendunt. Hoc eſt Interni ſenſus ſunt qui ab interiori operatione dependent, & non niſi intellectui obueniunt. externi verò dicuntur, eò quod diſperſi & diſtributi in corporibus ab vna anima moueantur quidem, & viuificentur: ad diuerſa tamen obiecta compræhendenda ſunt nati. Quare hoc diſcriminis eſt, inter hos & illos ſenſus, quod hi circa plura obiecta: illi verò circa vnum verſentur. Interiores ſenſus ſecunda columna: exteriores verò prima continet: Quoniam ab exterioribus initium facturi ſumus, vtpotè ingreſſuri viã à notioribus nobis ad notiora naturæ. Exteriores ſenſus potiſſimùm duobus terminãtur,*

tur,

tur, qui & principatum obtinent Viſu & auditu: reliqui verò velu ti intermedij cenſentur. Nam mediantibus illis ſingularium opera tio commodiùs & faciliùs internis ſenſibus offertur. Et ſiquidem Viſus ad ſingularia magis eſt intentus : magis etiam huic ordi- ni inſeruit: à viſu igitur haud incommodè ordiundum eſt. Dry- mus. *Senſus ſola ſunt ſydera mentis Vt Palingenius canit: Mens igitur ſol eſt, animæ ſunt ſydera ſenſus: ergo ſenſus non eſt commu- nio animæ & corporis.* Symbulus. *probat potiùs Palingenius noſtrum inſtitutum, & definitionem. Quemadmodum enim ſyde ra exiſtentia in firmamento communionem habent cum firmamen to: eadem proportione ſenſus dicuntur ſydera animæ, quia potiſſi- mùm ab anima effectus eorum procedit, cum qua vtiq; communio nem habeant oportet.* Drymus. *Idem author inquit animam eſſe æternum quiddam ſine corpore viuens: ergo corpore etiã abla- to, anima nihilominus viuit, ſentit, intelligit &c. quò fit, vt & ſenſus habeat: non erit ergò communio animæ & corporis ipſe ſen ſus.* OLISTVS. *Senſus bifariã conſiderantur, propriè, & vt no ſtri Scholaſtici loquũtur appropriate, modo hoc intelligẽtijs, illo ve ro Solis ſenſibilibus & corruptibilibus attribuitur. Intelligentiæ enim omnes iſtas potentias & gradus naturæ: quales ſunt Eſſe, vi uere, ſentire, imaginari, & intelligere vnitas habent: & vnius ſub ſtantiæ ſunt. Neq; enim ibi potentiarũ diuerſitas dari poteſt: ſed cũ ſimpliciſſimè ſubſtantia ſint: puri actus quoq; dicuntur. Actus verò puri, hæc natura eſt: vt oẽm potentiã & quicquid potẽtiæ eſt abijci- at. Cũ aũt potẽtiæ ſit omnis diuerſitas, diſſimilitudo, & inæqualitas: hæc omninò intelligẽtijs attribui nõ poſſũt. Quapropter cũ diuerſus actus ſit animæ coniunctæ & ſeparatæ: diuerſa quoque erit ratio ſentiendi: & rectæ coniunctæ animæ corpori, cuius actus coniun- ctus eſt potentiæ, attribuuntur diſtincti ſenſus & plures: ſepara- tæ verò animæ, quæ ad actum redijt omnipotentia ſolutum, iam nõ*

*plures ſunt ſed vnus h.e.purus intellectus: quo compræhenduntur omnes reliqui ſenſus in vnum congeſti:qui non niſi officijs diſtinguuntur:idq́ reſpectu noſtri.Ideò ſi dicas animam ſeparatam,ſiue videre ſiue audire,ſiue intelligere idē eſt:in coniuncta verò anima diuerſum.*Drym.*Senſuum iudicium eſt fallax:rationis verò non eſt: ergo interni ſenſus ſola ratione nō intelliguntur.*Symb.*Senſus particulares exteriores ſunt fallaces: interiores verò non.*Drymus. *Olfactus & guſtus rei virtutē interiorem examinant.Viſus auditus verò tantùm exteriorem formam tangunt: ergo guſtus & olfactus, viſu & auditu præſtantiores ſunt. Nam quod rei ſubſtantiā conſiderat,pſtantius eſt eo, quod tantū formā externam ppendit.*Symb.*Dicuntur præſtantiores quo ad cauſam, nō quò ad effectum: neque enim guſtare quis poſſet, neque olfacere, niſi anteà audiuiſſet vel vidiſſet. Itaque cùm viſus & auditus ſunt cauſa mouens: reliqui verò ſenſus ſunt cauſæ motæ:quantò efficiens cauſa excellit effectum:tātò excellit viſus & auditus reliquos ſenſus:ergo viſus & auditus quod ad efficientem & finalem cauſam attinet,potiſſimi & præſtantiſſimi ſunt:reliqui concauſarum potiùs quàm cauſarum nomē retinēt.* Drymus.*corruptibile & incorruptibile non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto:ergo anima in corpore eſſe non poteſt:& per conſequens nullam habet cum corpore cōmunionē. Quia duo corpora nō poſſunt eſſe in vno ſubiecto.*Symb. *Anima eſt ſpiritus & nō corpus.* OLIST.*Platonicorū & præſertim Pſelli de dæmonibus ea eſt ſententia,vt ſpiritus quoque corporei ſint:incorporeos aūt ob id dici, quod infinita quadā pportione rariora & ſubtiliora corpora habeant,quàm ſint corpora ſenſibilia:ideoq́ue à craſſis corporibus neque videri,neque ſentiri poſſunt, propter diſpar & obiectū & mediū.Id licet videre in aëre,quē neq; videre neq; tangere poſſumus:quantūuis etiā elemētatus ſit.Licet per eū videamus & quodāmodò ſentiam⁹ in motu:neq; id quia aer*

ſed

ſed quia elementatus eſt:multò minùs ignem verũ elementum aut videre aut tangere poßumus, Cumq́ ſpiritus infinita proportione ſit rarior ac ſubtilior igne:longè min⁹ à craßis corporibus aut videri aut tangi poſſunt. Huic ſententiæ nec ego quidē repugno:etiamſi adferri poßit illud domini poſt reſurrectionem, vbi inquit:Videtis me habere carnem & oßa:ſpiritum nō habere. Ad hoc enim reſpōderi poteſt quod anima nō ſit heterogeneum ſed homogeneũ corpus: ideoq́ animæ vita, ſenſus, & intellectus vnius ſpeciei, & eadē ſunt: quemadmodum id vulgata ſententia oſtendit cũ inquit. Eiuſdē naturæ eſt tota aqua cuius eſt vna gutta aquæ. Atq; hìc quidē obijci poßit:homogenea nulla reperiri, q̃ ſenſui ſunt obnoxia. Quicquid enim vitam habet, corpore heterogeneo veſtitur. Quòd ſi herbam cōſideres & ſimilia creſcentia, radicem, folia &c. diuerſa habebis:ſi ſentientia, vt animalia:pari ratione oſſa carnem & ſimilia. Idem in homine videre licet:non poterit ergo eſſe aliquod corpus in ſublimioribus ſubſtātijs homogeneæ naturæ vitæ capax. Reſpondetur quòd hæc ratio diuerſitatis proueniat ex diuerſitate elementorum, quorum commiſtionem elementata admittunt:ex quibus etiam & non aliunde conſtat. Quod ſi in elemētatis tale quid datur quod perfectionē vergit:multo magis in ſimplicib. corporibus. Quēadmodũ enim animalia vtũtur hisq̃ in terris ſunt, & ex terris ꝓdeũt:ita ſubtiliſſima illa corpora ſubtilioribus proportione quadã vtuntur. Quò fit vt quemadmodum in elementatis diſtinguuntur animata ab inanimatis:ita quoq́ in homogeneis corporibus, alia ſunt, vt vita ſimpliciter:alia ſunt à vita prorſus aliena. Ita fit vt corpora hæc ſubtilia puri intellectus dicātur:illa verò pura corpora, Non qđ intellectus nō ſit corpus:ſed quod infinita quadã ratiōe ſubtilior ſit:vt meritò reſpectu horũ corporum quaſi nō corpus dicatur. Quod ergò ad q̃ſtionē attinet duo corpora nō poſſe eſſe in eodē ſubiecto:reſpōdetur id intelligendũ de corporib. eiuſdem naturæ. Diuerſæ verò naturæ

corpora

corpora quorum alterum ſubtilius altero eſt poßunt eſſe in eodẽ ſubiecto coniunctim: non tamen confuſim. Id iam fieret contra συμμετρίαν *partiũ.* Drym. *Sine tactu animal nec viuere nec eſſe: reliquis verò ſenſibus vtique viuens carere poteſt: ergò viſus & Auditus principatum non obtinent, neque præcipui ſunt ſenſus.* Symbulus. *Tactus eſt quò ad ſubiectam materiam præſtantißimus ſed non quò ad cauſas.* Drymus. *Anima poteſt tangi: ergo obnoxia ſenſui: Dæmonica enim corpora ſunt ſenſui tactus obnoxia: ergo etiam anima.* OLISTVS. *Spiritus ipſos pati nõ eſt dubium, et ſacræ enim literæ id docent: et ratio ſimile quid haud obſcurè dictat. Hinc eſt vt affectus, triſtitia, dolor animi, lætitia et ſimiles paßiones animæ dicantur. Ad eundem modum ſpiritus ſentire nõ eſt abſurdum: et quòd dæmones aliquando videantur ad tactum lubricũ quid eſſe. Dæmones enim et ſpiritus quoniã referri poßunt vt anteà dictum eſt, ad corpora proportiotione quadam homogenea: vtiqne homogenea quadam ratione ſenſibus erunt prædita. Atque lubricitas illa quæ craßis corporibus obuenire ſolet, penetrabilis eſt: & afficit craßiora corpora, inſtar alicuius venti. Inficit aerem & pellit, atque ſuæ naturæ, dum inficit, participem reddit aerem, qui dum adhæret corporibus craßis penetrando: lubricum quid percipiunt, inſtar Mercurij vini. Id enim ſi quiſpiam bibat cõfeſtim penetrat neque terminis contineri poteſt: niſi fortè coactis. Sed venia ſit proportioni, cùm inter hæc & illa aut nulla aut perdifficilis dari poßit. Itaq; differunt in eo quòd vnitus ſit ſpirituum ſenſus: corporum verò diſperſus, atque illi reſpectu horum inſenſibiles eſſe dicuntur, cùm tamen abſolutè quemadmodum intelligunt: ſic etiam ſentiunt & viuunt. Plura apud Dionyſium Areopagitam, Pſellum, Thomam, et ſimiles.*

De

De viſu & eius obiecto,

CAP. XIIII.

DRymus. *Perge igitur mi Oliſte & quid viſus, quodq́ eius obiectum ediſſere.* OLISTVS. *Senſus viſus nihil aliud eſt viris reuera doctis, quàm anima, ea ratione qua ab ea fluit viſus, non autem forma aliqua oculi, vt quidam putant. Neq; hic Peripateticos, neq; Opticos, neq; Platonicos reprehendimus ſicut ſuperiùs fuſiùs patet. Amplectimur autem Platonis ſententiam quòd naturali quadam & conſona ratione magis conueniat propoſito. Anima enim verè eſt agens cauſa ipſius viſus. Certum autem eſt, actionem ſiue paſſionem eſſe non poſſe. Quapropter neq; anima ſine corpore. Porrò cùm à nobiliori fiat denominatio, ipſaq́ efficiens cauſa, item actio nobilior ſit ac dignior paſſione: definitionem viſus ab animæ differentia potiùs quam corpore deſumpſimus. Cæterùm quòd alij aliam definitionem addant, potiùs deſcriptionis officio, quàm definitionis eas fungi voluerunt, dum & ὄργανον & medium, & obiectum & operationem ſimul mixta eidem includant. Quapropter vt ordine quæq́ fiant viſus tractationem iuuandorum ingeniorum gratia in quatuor partes ſecare placuit. Primò de obiecto. Secundò de medio. Tertiò de organo. Quartò de operatione diſſeremus: vel propter dignitatem viſus · qui vt primus eſt ferè in apprehendendo: ità vltimus in intelligẽdo. Hinc eſt vt Thomas rectè viſum ſe extendere tam ad cognitionem ſenſuum: quàm intellectus docet: Vel imprimis quòd certiſſimus ſit, & ad eius normam certitudo intellectus dirigi debeat. Obiectum viſus nihil aliud eſt, quàm id, circa quòd animæ influxus verſatur, mediante inſtrumento viſus, et neruis opticis ad apprehendendam exterioris corporis imaginem: quæ inſtrumento ipſiq́ viſus organo obuerſatur. Eiuſmodi obiectum triplex eſt, aut eſt quidam actus*

lucidi: aut eſt, quædam qualitas quaſi imago lucis: aut eſt quædam terminatio lucis in opaco corpore. Ideò viſus triplex obiectum aſsignatur: lux, lumen, & color. Drymus. *Anima poſt mortem ſentit dolorem pro ignorantia: delectionem pro ſapientia, vt Encyclop. habet fol.* 135. *ergo non eſt communio.* Symbulus. *Tum habet ſenſum vnitum & non diſperſum, de quo nos hic loquimur.* Drymus. *Viſus eſt iudicium animæ: ergò non anima.* Symbulus. *Ab exteriore, non ab interiore. Quò ad internam rationem eſt anima: quò ad externam eſt iudicium.* Drymus. *Anima rationalis eſt ſpiritus: Viſus autem ſpiritus non eſt: ergo viſus non eſt anima.* Symbulus. *Quò ad externas actiones eſt corpus: quò ad internas eſt ſpiritus.* Drymus. *Anima eſt ſubſtantia incorporea intellectualis, illuminationis capax, vltima reuelatione perceptiua: ergo viſus non eſt anima.* Symbulus. *Reſpondeo vt anteà. Viſus quo ad animam eſt incorporeus: quo ad exteriora eſt corporeus.* Drymus. *In priuatis oculis anima defectum non patitur: ergo viſus non poteſt eſſe anima.* Symbulus. *externa actione patitur defectum: non interna.* Drymus *Inuiſibilia non ſunt obiectum viſus: ergo malè poſitum obiectum viſus eſſe circa quod animæ influxus verſatur.* Symbulus. *Habere obiectum rerum ſeu formarũ, intelligibilium: non autem ſenſibilium dicimus.* Drymus. *Anima eſt impaſsibilis: viſus verò paſsibilis: ergo viſus nõ eſt anima.* Symbulus. *Viſus externus eſt paſsibilis: internus verò impaſsibilis.* Drymus. *Viſus internus patitur ab anima: ergo non eſt impaſsibilis.* Symbulus. *Anima paſsibilis eſt, quo ad contactum: impaſsibilis verò quo ad effectum.* Drymus. *Nihil eſt ſimul mortale & immortale: ergo viſus anima eſſe non poteſt. Viſus enim eſt non ſimul mortalis & immortalis.* Symbulus. *Quo ad corpus viſus eſt mortalis: quo ad animã verò eſt immortalis.* Drymus. *Quicquid agit, per ſuam formam agit: ergo viſus eſt oculi forma. Oculus enim*

per viſum agit. Symbulus. *Ipſe viſus non eſt forma oculi: cùm dicimus non eſſe formam oculi: viſum iuxta figuram appellationis, externam illam ſpeciẽ intelligimus. Porrò cùm dicimus viſum formam oculi, non iam externã ſpeciem: ſed internã potiùs, quæ nihil aliud eſt, quàm ipſamet anima intelligimus.* Drymus. *Viſus obiectis addit & detrahit, & aliter format, quàm reuera ſunt aut eſſe poſſunt: ergo non eſt certus.* Symbulus. *Hoc fit per accidens cũ nerui optici impediuntur: ſed nõ impediti, certiſsimi ſunt.* Drymus. *Anima perfecta eſt ſine corpore: ergo viſus etiam perfectus ſine corpore.* Symbulus. *Viſus perfect⁹ eſt inſeparata anima, quò ad ſenſus vnitos: quò ad ſenſus verò diſperſos, nullus ibi eſt: nec tamen ideo imperfectus.* Drymus. *Viſus eſt vis animæ: ergo nõ ipſa anima.* Symbulus. *In corpore vis: ſed ſubſtantia in ſe.* Drymus. *Anima non eſt res naturalis: ergo non poteſt mouere viſum. Anima enim non eſt ſubſtantia corporea.* Symbulus. *Infirmum eſt antecedens quo ad ſenſitiuam & vegetatiuã: quò ad intellectualẽ animam conſequentia non valet.*

De triplici corpore, tum quid lux, & quàm latè pateat. CAP. XV.

OLISTVS. *Propter commodiorem intellectũ obiectorum, triplex corpus conſiderandum venit: lucens quod quoq; modo habet actũ lucidi, quo lucet. Talia ſunt quæ ab alijs corpora non opaca, & non tegentia nuncupantur. Eiuſmodi imprimis eſt Sol, qui vel ſolus lucidus dicitur, propter excellẽtiã lucis, qua ſuperat reliqua aſtra. Dicuntur & reliquæ ſtellæ lucidæ, quò ad naturalem lucẽ, reſpectu tamẽ ſolis quodammodo nõ lucidæ dici poſſunt. Nõ lucentia verò corpora ꝓpriè et tegentia dicuntur: vt terra ſeu lapides ſeu ſaxa et ſimilia. Eò dicta nõ lucentia, quod et lux à lucido ꝓcedens: & qualitas lucis quæ lumen eſt, in eo terminetur: et veluti colorẽ efficiat. Tranſparẽtia ſeu diaphana dicũtur*

omnes ſphæræ cæleſtes: Item elementa, præter ignem, quòd lucens eſt quoque non modò tranſparens: terra neq; lucens nec tranſparens eſt. Hæc diuiſio corporum ideò præmiſſa eſt, vt non modò obiecta verùm etiam media viſus rectiùs percipiantur. Siquidem igitur triplex eſt obiectum viſus, ſuperiùs dictum: primùm quid lux ſit, ob præcedentem rationem & ea quæ huc referuntur, dicenda erunt. Lux ergò nihil aliud eſt, quàm actus lucidi ea ratione qua lucet, hoc eſt, lux eſt forma non quidem corporis, cuius lux eſt: ſed ipſius lucidi quod lucet, ea ratione qua lucere cōſpicitur. Lucis proinde conſideratio alia eſt propria: alia impropria & tranſlatitia: illa definitione dicta conſtat: hæc pro varietate obiectorum varia eſt, & variam recipit ſignificationem, partim ratione prædicati: partim ratione ſubiecti: Illa, modò dicitur lux ipſa, pietas, iuſtitia, & integritas fidei, gaudium & fælicitas. Ita ſolet dici, non videbis amplius lucem, hoc eſt, nulla amplius fælicitatis participatione frui poteris: Similiter dici ſolet, parum lucis ante tribunal habuit. Item lux pro tribunali ſedet, id eſt, iuſtitia: Deinde lux mihi affulſit hodiè, hoc eſt, pietas, miſericordia & clementia. Hoc verò modo hoc eſt quò ad ſubiectū aliquando conſolationem ſignificat, nonnunquam ſaluatorem, ſæpè pios viros, non raro Eccleſiam, ſicut ſacræ literæ habent, vbi Chriſtus inquit: Ego ſum lux: Item vos eſtis lux mundi. Hæc & ſimilia ſunt metaphorica, quorum origo perpendenda eſt propter commodiorē rationem aſſignandi. Quicquid enim transfertur, vnde transfertur potiſſimam rationem haurire debet: Per lucem ergò intelligere debemus non tàm lucem elementorum, quàm lucem eam quæ ante Solem & Lunam et omnes ſtellas creata & condita eſt. Atq; ea lux ſe extendit non tantùm ad res ſenſibiles: verùm etiam ad intelligibiles. Proindè in angelo & cæteris intelligentijs lux nihil eſt, quàm actus formarum intelligibilium. Differt autem hæc lux ratione obiecti à luce ſenſibili, quòd

hæc

hæc conuertatur cum ſuo ſubiecto. Nam idem eſt lux angeli quod angelus: Quemadmodum lux intellectus, quod ipſemet intellectus. Senſibilis verò lux illa non conuertitur cum ſuo ſubiecto & obiecto, ſicut intelligibilis: ſed interſtitio quodam diſtinguitur & differt ob proprietatem pluralitatis. Peculiare enim eſt ſenſibilibus vt ſe diffundant & diffundantur, ſicut intelligibilibus vt ſe vniãt & vniantur. Hinc eſt, vt lux in diuinis non præcedat lumen ſicut in mundanis: quin potiùs generatio lucis ex lumine eſt. Qua vel ſola ex his viſibilibus exemplis, licet res æternas capere cogitando. Sola enim propemodũ quadrat generatio lucis ex lumine ad æternam illam intelligentiam. Ideo factum eſt, vt Apoſtolus ſapientiã lucem illam diuinam, hoc eſt, filium Dei ἀπαύγασμα αἰωνίου φωτὸς, *id eſt, candorem ſiue radium lucis æternæ appellauerit. Cæterũ quòd ratione huius lucidi partes cœli quò ad primam lucis creationem in idem veniant: non eſt mirum: quandoquidem in ſubſtantia orbium mundanorum non abſurdè dici poſſit. Id tamen diſcriminis datur, quòd Deus poſt lucem luminare maius & minus diſtinxerit. Quapropter lucidum ipſum diſtinguitur quoq; ſecundum maius & minus: ſiquidem Solem dominus maius luminare: ſicut & Lunam minus appellauit. Ideò lux, ea ratione qua lux eſt, continet virtutem quandã conſummatricem: atq; vitale nonnihil poſſidet. Quamobrem lucem & colorem eſſentialiter non differre in ſequentibus patebit. Lux enim virtute ſua, quia ante ſtellas omnes creata eſt: omnia corpora cœleſtia dirigit, continet, & ſingula ſuo curſu ornat, gubernat atq; regit. Et ea ſola ac vnica ratio eſt, cur Planetæ & reliquæ ſtellæ ſe mutuò pulcherrimo illo ordine conſequantur. Hæc eadem lux quoq; cauſa eſt vitæ. Nam calorem ipſum continet generalem & primæ creationis, qua hæc inferiora vegetat, & ſuis terminis vt ſuperiora complectitur. Eam ob cauſam Lux ipſa quæ antecedit omnia aſtra in creatione, nõ ſecus eſt ac aqua ipſa, in qua*

reliqua ſydera natant. Ideò tota illa portio ſeptem ſyderum ſub cœlo, aquæ dicuntur ſub firmamento, arcanarum rerum inquiſitoribus. Inde nō difficulter interpretabitur quis illum locum Geneſ. de aquis ſub firmamento, ſed ea de re ſuo loco. Drymus. *Dicebatis Sphæras cœleſtes omnes tranſparentes. At Diaphanon non habet ex ſe aliquod lumē actu ſed ſolùm potentia. Quomodo id corporibus cœlorum conueniat nō video. Sphæræ enim cœleſtes ex ſe lumē habent. Nam diaphanon viſibile eſt non per propriam naturam: ſed alicuius in eo exiſtentis. Ideò diaphanon dicitur corpus ſuſceptiuū luminis, & ſine lumine, tenebræ.* Symbulus. *Propoſitū eſt de ſphæris cœleſtibus non de elementis. Sed neq; id in elementis ſequitur. Nam à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter non valet conſequētia. Deinde tenebræ noſtro diaphano propter miſtionem, quod fit per accidens, inſunt: aliâs diaphanum elementale ſemper per ſe tranſparens eſt. Quod patet in ſereno cœlo & lympida aqua. Hæc licet elementata ſint: in puris tamen elementis longè maior lux: tenebræ enim pelluntur.* Drymus. *Aiebatis lucem vitæ cauſam: Solis eſt, qui vitam animantibus præbet, non lux illa ante ſtellas creata.* Symbulus. *Eſt argumentum à cōtrario vt contrario, ſeu oppoſitis vt oppoſitis: ſequitúrne Sol viuificat, ergo non lumen?* Drymus. *Sol non propterea lucet quòd per ſe lucida materia ſit. ſed à forma illud habet: Quia forma dat eſſe rei: lúxne forma, & actus erit Solis?* Symbulus. *Lux per ſe nunquam poteſt eſſe forma corporis: ſed Lucidi.* Drymus. *Lux nec eſt corpus, nec euidentia coloris: ergo neq; forma lucidi.* Symbulus. *Non dicimus formam, ſed actum lucidi ea ratione qua lucet.* Drymus. *Exiſtimarem id Lunæ potiùs attribuendum eſſe: quòd ſit anima mundi propter excellentiā lucis.* Symbulus. *Luna dicitur anima mundi, non quia luceat: ſed quòd media ſit inter corpora cœleſtia & elementaria.* Drymus. *Dixiſtis etiam ex ſenſibili imagine æternam*

nam

nam conijcere poſſe. Neque id verum, quod ſit credam. Nulla enim proportio eſt æternorum & caducorum. Symbulus. *Nulla proportio eſt rei, ſed modi. Quare hîc de apprehenſione loquimur: non de collatione rei.* Drymus. *Præterea aſſerebatis lucem eſſe formam angelorum: qui cùm materiam non habeant, eam formam quomodo recipiant, non ſatis aſſequor.* Symbulus. *Non habent formam: ſed ſunt ipſimet formæ.* Drymus. *Item lucem recipere magis & minus, ſi bene recolo, innuiſtis: Id haud parum impediet, quod ſubſtantiæ ſint.* Symbulus. *Non propter lucidum conceſſimus magis & minus: ſed ratione ſplendoris qui & ipſe lux dicitur.* Drymus. *Lucem deinde intelligibilem cum hypoſtaſi conuerti non video quomodo dixeritis. Nam filius Dei qui eſt lux patris veriſſima, non conuertitur cum patre.* Symbulus. *Filius lux patris, non hypoſtaſis: ſed naturæ dicitur. Quare hoc modo conuertitur cum patre: illo nequaquam.*

De lumine æterno, æuiterno & temporis: & quomodo à luce differat,

CAP. XVI.

OLISTVS. *Lumen ſiquidē variè etiam ab ipſo Ariſtotele definitur, inprimis quid verè lumen ſit, et quā latè pateat, inquirendum eſt: tum demum quæ ad lumen attinent faciliora erunt. Itaq; apud Ariſtot. duplex ratio luminis depræhenditur. Alia per ſe, alia per accidens. Illam in libris de anima ponit, cū inquit: lumē eſt qualitas inhærens diaphano, ſecundum q̃ diaphanō eſt actus tranſparens, hoc eſt, lumē eſt pfecta ratio tranſparentiæ. Eſt. n. talis qualitas, q̃ adempta adimitur actus diaphani, ſeu tranſparētiæ, et inducūtur tenebræ. Quapropter nominatim dicit actus, nō potentiæ. Etiamſi enim cōtingit priuatio luminis: ea*

priua

priuatio tamen actus eſt duntaxat, non potentiæ. Definitionẽ accidentalem in libro de ſenſu et ſenſato ponit: quam verè ſenſibilem reſpectu prioris dicere poteris. Senſus enim & ſenſata verſantur circa corpora opaca: quorum proprium obiectum color eſt. Ideò Ariſtoteles inquit: lumen eſſe coloris perſpicui ſecundum accidens, per aliud nimirum à corpore lucido, id eſt, lumen in ſenſatis eò datur vt color ſit perſpicuus qui propriè obiectum ſenſatorum nuncupatur. Quoniam verò lucidum non propriè & per ſe & verè ineſt colori, ſed à lucido eſt: ideò annectitur per accidens. Lucidũ enim coloris accidens eſt: ea ratione qua lucidi ſplẽdor & radius in corpore opaco terminatur atque deſcribitur. Hinc eſt quod à noſtris rectè lumen dicatur qualitas viſibilis à luce deriuata tanquã imago. Quemadmodum enim lux per lumen: ita lumen vmbram per colorem apprehendit. Lumen enim imago lucis, ſicut color imago luminis eſt. Id quod ex ſequentibus patebit. Hinc fit vt Lumẽ à Luce rectè Thomas radijs et ſplendore differre aſſerat. Lumen enim ſplendore lucis & radijs formatur: ac imaginem lucis recipit, dum à luce extramittendo vtrunq; ſibi imprimere patitur. Quare illuminare nihil aliud eſt quàm lucem & radios emittere. Atque hæc quò ad nos & propriè de lumine quod cernitur dicta ſint. Quod vero ad naturam attinet & lumen increatum: hoc iam erit fælicitas ipſa, regula hominis qua ipſius mens, intellectus, voluntas, & memoria illuſtratur: vnde & illuminatio fidei dependet & dona ſpiritus ſancti dicuntur. Atq; hæc fælicitas eſt lumen vultus Dei iuxta Paulum: Nunc videmus eum per ſpeculum in ænigmate, tunc vero videbimus ipſum de facie ad faciem vt eſt. Ad hanc fælicitatem iſtasq; nuptias inuitati & vocati ſumus à filio Dei ſaluatore noſtro. Quæ quidem nuptiæ nihil aliud ſunt, quàm æterna huius luminis fruitio, cuius altiſsimum myſterium, & profundiſsimum ſacramentum meritò contemplandũ & ſuſpiciendum eſt: quo omnia

de

de æterna generatione declarantur. Id ipſamet cæleſtis ſapientia prædicat: quomodo nimirum ab æterno filius generetur, inquiens: lumen de lumine: item Deus de Deo vero genitus non factus, cõſubſtantialis patri, per quem omnia facta ſunt &c. Quod porrò Triſmegiſtus patrem eò quia lumen eſt, filium genuiſſe & peperiſſe aſſerat: non propterea eundem filium lumen negat: quin potiùs cùm propriè pater ſit cauſa, vita, & fons diuinitatis, vitam & lumen ei tribuit: mentem verò filio vtpotè ſapientiæ: Quandoquidẽ & filius ſit vita & lumen. Id diſcriminis non ratione diuinitatis, ſed ratione noſtræ infirmitatis ponitur: vt hac differentia nobis rectiùs pateat & faciliùs fons diuinitatis: quanquam à nobis nequaquam perſcrutari poſſit, & niſi fide apprehendi: idq́ ex mera eius gratia & clementia. Propter hunc ordinem opificis nomine totum myſterium complectitur. Quare quo ad æternam generationem filius & proles nuncupatur. Quod verò attinet ad authoritatem & principium creandi, quod accepit à patre: rectè dicitur verbum & opifex. Qua de re vide Gradationem noſtram. Hic opifex ſuam ſimilitudinem expreſſit quum ante omnia aſtra diceret: fiat lux, & facta eſt lux. Hæc lux etiam repoſita nuncupatur in ſeptuplo plùs relucens quã lumen relictum. Eam ob cauſam planetæ vltro relicto lumine ſuo, etiã repoſito lumine fruuntur, & magis lucere dicuntur. Sol enim eam vim lucis non ex ſe: ſed ex hoc repoſito lumine habet. Quapropter à propheta nõ lux ſed luminare dicitur, cũ inquit: faciamus duo luminaria, maius & minus. Luminare ſanè velut inſtrumentũ lucis eſt, per quod ſplendor lucis & radij emittũtur. Quòd verò radij viſiui ſeu radiꝰ à nõnullis definiatur, eſſe lumẽ pyramidale ab obiecto viſibili multiplicatum, præſertim lucido, continuata quadã generatione luminis ad viſum oculorum: non refert. Hic enim radius quãuis in obiecto pyramidis baſin: in oculo verò verticem ſeu conum habeat, idq́ per medium diaphanon: tamen inſpecta proportione obie-

cti, & ſubiecti: illa ſe habebit ad modũ ſenſibiliũ, hæc verò ad modũ inſenſibiliũ. Quapropter opticis quoq; radius alius rectus: alius obliquus: alius refractus: alius reflexus dicitur. Vnde propter diuerſam proportionem interioris & exterioris oculi, ſiquidem radiorum ratio promanarit, pari ratione & optica ſcientia originem traxit. Itaque id quod dicitur in theſibus cap. 4. can. 6: Qui intelligit ſubſtantiam orbium mundanorum intelligit ſupra lunam purum lumen: facilè cognoſcet, ſi quid lumen qua ratione à lucido deſcendat vt hactenus dictum eſt, quis intellexerit. Et, quantumuis res arcana ſit & occulta, ex cuius cognitione totius antipathiæ, & Sympathiæ ratio dependet: neque vnius ſed omnium rerum: tamẽ ſine omni controuerſia ſolius luminis ratione habita, ſe inde diligens indagator explicare poterit. Subſtantia enim orbium mundanorum ſiquidem eſt ſimplex imò ſimpliciſſima, quæque omni compoſitione careat: vtique & lumen circa ſe ſimplex quodque nullam commiſtionem admittat ſit oportet. Atque ea & potiſſima ratio eſt, vtpotè compoſitionis & miſtionis, quòd lumen ſub luna impurum cenſeatur. Et quoniam ſub luna elementa & elementata comprehenduntur, ipſaque elementa qualitatibus ornata, quæ & potiſſima cauſa exiſtunt generationis & corruptionis: ob hoc & impura appellantur. Hæc in extremo iudicio vt D. Petrus teſtatur, omnia purificabuntur. Hinc eſt vt ex mixtione qualitatum cum lucido diuerſi colores oriantur, ſicut inferiùs patebit. Diuerſi autem colores, diuerſos pariunt radios, diuerſi radij diuerſum quoque ab obiecto lumen pyramidale, quod recipiunt oculi. Quapropter cùm & album & nigrum & rubeum, & ſimilia, ſola mixtione & impuritate luminis cauſentur: facilè coniectura aſſequi poterimus, lumen ſub concauo lunæ impurum eſſe. Cæterùm quod lumen ſupra lunam purum ſit, non difficulter patet, cùm ſupra lunam qualitates nullum locum habeant. Quod

verò

verò ſuperiora qualitates non recipiant & id in promptu eſt: quia perpetuò vnus color cœlo ſereno exiſtente apparet, vtpotè cæruleus, hoc eſt cùm radij viſus noſtri non impediuntur impuritate aërea: tũ perpetuò nobis cæruleus color apparet & obuerſatur. Quare cùm id ſic habeat velut ex effectu facilè cauſam indagare poſsumus: nempe vnam eſſe cauſam illius coloris & non plures: videlicet puritatem luminis. Si enim ſupra lunam eſſent qualitates, tum accedente nimio calore ad lucidum, album colorem: ſimiliter frigiditate ipſa appropinquante efficeret colorem nigrum. Et ſic conſequenter, prout aut remiſſa, aut intenſa fuerit qualitas: ita quoque generat diuerſitatem colorum. Quò fit vt cum color cœleſtis ſemper vnus appareat, vna quoque ſit cauſa neceſſarium eſt, hoc eſt lumen abſque omni qualitate, lumen illud creatum ante omnia aſtra. Sed an reuera & iſte color cæruleus ſit, & quomodo ſit, ſuo loco patebit. Iam manifeſtum eſt, propter ſimpliciſſimam naturam orbium mundanorum, ſupra lunam eſſe puriſſimum lumen. Lumen hoc ſupra lunam purum & quicquid habetur luminis viſiturque in corporibus, ab Empyreo cœlo quaſi à primo fonte in cæteros deriuatur. Hoc cœlum ſiquidem verè corporeum non eſt, & cæteris cœlis ſibi ſuccedentibus, recta ac determinata ſerie, veluti quidam dux exercitui præeſt: & quaſi forma materiæ ac non ſecus, ac monados typum gerens, denarium implet. Eam ob cauſam totum illud lumen purum ab Empyreo cœlo vtpotè lumine puriſſimo dependet. Empyreum enim cœlum ſiquidem eſt, ipſa puriſſima lux, ipſemet archetypus creaturarum: non modò puri luminis, & ſimpliciſſimarũ ſubſtantiarum: verumetiam reſidui luminis & cæterarum fons & origo exiſtit. Sequitur ex præcedentibus cœlum calefacere inferiora per lumen ſuum, ſupra ea cadens. Non quòd lumen cœleſte

aliquam qualitatem recipiat: ſed eò quod cieri videatur, ſeu in gyrũ agitari. Atque eiuſmodi lumen ratione motus primi mobilis, cadẽs ſupra hæc inferiora: calorem adfert. Non quidem calorem corrumpentem nempe elementarẽ & vrentem: ſed viuificum. Eo lumine vegetabilia creſcunt, ſenſitiua ſentiunt, & rationabilia intelligũt. Quòd verò ſol vrat, idq́; magis et intenſiùs, cũ nos accedit: id nõ ſoli adſcribendũ ſed reflexioni radiorũ: idq́; propter eundẽ motũ quem habẽt. Quapropter manifeſtũ vel huic eſt quicq̃d à luna ſupra, purũ eſt lumẽ. Et illud eſt ſubſtantia orbiũ mundanorũ: quo mediante nihil eſt in mundo expers vitæ. Atq; hoc ipſum lumen præter lumen fidei eſt veluti igniculus mentibus noſtris inſitus, quo mentes noſtræ illuſtrantur. Quapropter præter cõmunem motus & luminis influentiam: nulla vis cœleſtibus peculiaris eſt. Nam quemadmodũ motu: ita lumine lucis calorificæ ſufficientiſsimè totum mundum replet. Omnia in omnibus conſeruat, & vel ſolum lumen cauſa eſt cur in rebus proprietas ipſa detur. Quod hactenus à paucis aut nullis expreſſe dictum eſt, Hinc deſumenda eſt ratio & cauſa, cur hominis proprium, dicatur ridere, diſciplinæ eſſe capacem: leonis, rugire, equi, hinnire: canis, latrare: &c. vtpotè ſolum lumen à puritate deflectens: quod in ijs rebus quæ ſub concauo lunæ cõſiſtunt ſuæ puritatis ſignum per proprietatem rerum exprimit. Vt autem conſeruetur proprietas rerũ: potiſſimam cauſam, lumen eſſe diximus. Id ex plenilunio manifeſtiùs apparet. Tum enim noctes calidiores ſunt, quã in nouilunio: eò quod lumen directè agens vberiùs & plùs calefaciat: hoc eſt virtutem quandam adminiſtrat, qua excitari calor poſsit magis, eamq́; ob cauſam plus calefacit. Neque impedit lunam ſuapte natura & calefacere & frigefacere. Nam quòd calefaciat per accidens fit, eo modo quo lumen ſolis in eam intenditur & luminis repoſiti δύναμιν excitat. Ideò lumen lunæ non minùs ac ſolis vitale eſt. Atque frigidum & humidum licet efficiat natura:

non

non tamen ei ineſt natura. Qualitates ergò quæ attribuuntur lunæ p accidēs accedūt, vel contingūt. Cū ergo dicimus à ſole aut calorē edacē aut cōtrariā vitæ ſiccitatē profluere: itē à luna ſuffocantē aut fluxam: nimio plus humiditatem frigiditatemque prouenire: id quidem verum eſt, quò ad effectum, non quò ad eius effectus cauſam, quam aiunt ſolem aut lunam exiſtere. Luna hunc aut illum ſitum ingrediente nonnihil eorum ſequitur: lunæ tamen nequaquam attribuitur: etiamſi conducat ad perfectiones & omnium generationes. Eò fit vt lunæ lumē adoleſcens dicatur, vimq; genitalē reb. inſitā adiuuet, quo corpora vegetantur. Ita creſcēte & decreſcēte luna fluunt partim bonæ: partim malæ humiditates. His corruptio: illis generatio conſtat, qua de re ſuo loco plura. Iſtis ita pertractatis facilè intelligere poſſumus, quamnam ob cauſam lumen non habeat in medio niſi eſſe διαθέτως. *Lumē enim neq; cauſa neq; effectꝰ rei in medio eſt conſiſtens: ſed cauſam & effectū aut intendit, aut remittit, pro ratione Subiecti & obiecti: quod non de puro lumine, ſed de elementari iam dicitur. Sic facilis eſt ratio cur ſol, luna & reliqui planetæ, nunc hunc: iam illum effectum ſortiantur. Ita vt opinor ſatis dictum eſt, de obiecto viſus quod eſt lumen, quid illud ſit & quàm latè pateat. Nunc ſequitur tertiū obiectū vtpotè color.* Drymus. *Lumē Dicebatis actum: ſed cùm non ſit, continuata motio: quomodo id inuertis?* Symbulus. *Lumen ſemper continuatur per ſe: per accidens verò vtpotè ratione ſitus admittit priuationem.* Drymus. *Præterea Chriſtum cum patre æqualis potentiæ aſſeruiſtis: Neque id cerno: quoniam Chriſtus eſt lumen de lumine.* OLISTVS. *Lumen quò ad notiones hoc eſt quò ad proprietates perſonales patri: quo ad diuinitatem verò & eſſentiam perſonarum omnibus tribuitur. Potiſſimùm autem filius Dei lumen de lumine generatur. Quemadmodum enim per hunc filium à Deo patre, & lumen & omnia condita ſunt: ſic hoc lumine vtpotè filio ſuo, illu*

xit nobis redẽptio ſola lucens. Hic vel ſolus dies eſt nos inſtituens ſine offendiculo incedere, & potẽs ſolo ſuo lumine, ad verũ illud lumen vnde hoc ipſum lumẽ genitũ eſt, perducere, ipſiq́ patri æterno reconciliare. Drym. *Empyreũ cœlũ ſplendorem habet à Chriſto: ergò ipſum nõ eſt fons luminis. Inquit enim Ioan.* 21. *ca. Apocalypſeos. Ciuitas Dei nõ eget ſole, neq; luna, vt luceat in ea. Nã claritas Dei illuminauit eã & lucerna eſt in ea agnus.* OLIST. *Empyreũ cœlum ſupra firmamentũ ſolum natura lucet, & excellit omnẽ lucem creatã: ciuitas autẽ ſancta eſt Deus omnia in omnibus. Ibi neq; ſol neq; luna dominabuntur. Nã creaturis vt p̄eſſent cõdita ſunt. Porrò cũ cælum & terra renouabitur: Deus omnia in nobis erit.* Drymus. *Lux cœli Empyrei ſi lucidiſsimum eſſet, vtique remiſsiores luces ſuperaret, & nobis appareret quemadmodum ſol, quia lucidiſsimus eſt, omnium reliquarum ſtellarum lucem offuſcat, & ſolũ illud lumen ſolis, illaq́ lux die apparet, Sed non apparet Empyrei cœli lux. Hoc ergo non eſt lucidiſsimum.* Symbulus. *Diuerſa proportio diuerſitatem habituum parit. Quare cùm diuerſa proportio ſit ſolis ad ſtellas & Empyrei cœli ad reliquos: fit vt etiam diuerſi ſint vtrinque habitus. Quemadmodum ergo ſol inter omnes ſtellas maximè lucet, idq́ue ſenſibiliter: ita quoque Empyreum cœlum, ſed inſenſibiliter: Illa lux illuminat ſenſus noſtros: hæc verò intellectum. Et quantò intellectus excedit ſenſus: tantò Empyrei cœli lux & lumen omnes reliquas luces & lumina.*
Drymus. *Supra lunam eſt quoddam lumen quod eſt pernitioſiſsimum: ergò ſupra lunam non eſt tantum purum lumen. Patet ex lumine Saturni, vt conſtat ex concluſ.* 16. *Encyclo.* 577. *fol. vbi dicitur Saturnũ eſſe ſenẽ dãnatæ frigiditatis.* Symb. *Id fit p accidens, non per ſe. Id enim neque lumini, neq; luci, neque Saturno ipſi attribuendum eſt: ſed ſubiectæ materiæ & oppoſitionibus ſignorum atque aſtrorum. Ita quoque Sol lutum indurat,*
ceram

cæram liquefacit : nec tamen Sol propterea aut liquidus , aut durus eſt. Pari ratione etiamſi Saturnus quid pernicioſi efficiat: id non Saturno, ſed pernitioſo obiecto aſſcribendum eſt. Drymus. *purum lumen non recipit aliquid impuri: ergo ſupra lunam non ſolum purum lumen eſt. Nam ſacris literis conſtat Eliam viuum raptum eſſe in cælum : Item Paulus vſque in tertium cœlum.* OLISTVS. *Etiamſi viui homines rapti ſint in cœlum : iuxta illud tamen ad Hebræ. in ictu , in momento oculi,quemadmodum mortui reſurgunt: ita hi viui homines immutantur. Quo fit vt iam non impuri ſed puri rapiantur. Quod verò Paulus etiam poſtquam raptus erat, nihilominus perſeuerarit in hoc fragili corpore & incorruptibili: ille tamen purificatus per ſpiritum ſanctum, ſicut reliqui Apoſtoli omnem impuritatem ſuperauit: quem ideò & vas electionis domini appellauit.* Drymus. *In diuinitate nihil prius nihil poſterius, teſte Athanaſio: ergò pater non erit, cauſa neque vita, nec fons.* Symbulus. *Non dicimus fontem vt cauſam eſſe patrem quæ neceſſario præcedit effectum, ſed numero duntaxat idque ratione noſtri. Nam in diuinis tam numeri quàm naturæ ſumma (vt Scholaſtici aiunt) identitas eſt, conſiderata quò ad naturam. Quò ad nos verò licet naturæ idẽtitas appareat: numeri tamen ordo propter imbecillitatem datur. Dico autem propter imbecillitatem noſtram quò ad fontem: nõ propter perſonas. Nam eas diuerſas eſſe imprimis fides noſtra: deinde variæ proportiones docẽt.* Drym. *Aiebatis etiã colorem cæruleum vnam habere cauſam: arbitrabar aũt & plures ad vnum effectum concurrere cauſas.* Symb. *Non dantur plures cauſæ vnius effectus in ſimplicibus, ſed in compoſitis.* Drym. *Quomodo differt lumen quod eſt regula hominis ab eo quod eſt increatum.* Symbulus. *Lumen hominis eſt connatum, eique inditum à lumine increato.* Drymus.

P lane

Planetarum quoque lumen nullam admiſtionem admittere dicebatis. Huius contrarium in coniunctione & oppoſitione datur. Symbulus. *Alteratio planetarum non fit propter diuerſos effectus: ſed pro diuerſitate obiecti eſt diuerſitas virtutis.* Drymus. *Eadem eſt materia in cœlo cum inferioribus: inferiorum aũt eſt impura: ergo & ſuperiorum vt Encyclop.* 578. *dicitur.* Symbulus. *Non eſt eadem, ſed rationis eiuſdem.*

De Tertio viſus obiecto vtpotè de colore.

CAP. XVII.

OLISTVS. *Reſtat tertium viſus obiectum videlicet color, qui nihil aliud eſt, iuxta Ariſtotelem in lib: de Senſu & ſenſato, quàm extremitas corporis perſpicui in terminato hoc eſt viſibilis quædam qualitas terminata in corpore opaco, quæ dum perſpicuum ipſum tangit, beneficio luminis videtur. Quẽadmodum enim lux corpora non lucentia perſpicua reddit: ita lumen ipſum in corpore opaco & mixto, cum perſpicuo colorẽ ipſum generat. Quamobrem coloris cauſæ ſunt lux, perſpicuum, commiſtio primarum qualitatum (dico autem primas qualitates reſpectu elementati) in corpore opaco & miſto terminata tantùm. Hæc definitio Ariſtotelis eſt ab obiecto quatenus obiectum. Ab obiecto verò ſecundum quid datur definitio ſecundo lib. de anima, vbi inquit: Color eſt motiuus diaphani ſecundum actum. Hoc eſt color ſuis radijs, quemadmodum pyramis, mouet diaphanum & in modum coni oculo offertur. Cumque conus coloris in oculo fuerit, motiuus: dicitur ſecundum actum: ſiue eius coloris potentia ducta eſt in actum. Quapropter rectè etiam paſſio opaci corporis alteratiua, viſus de potentia ad actum dicitur: Quemadmodum & prioris definitionis (quod color in cõpoſitis duntaxat locum habeat) quali-*

qualitas ſecunda derelicta ex commiſtione, nominatim primarum qualitatum ſecundum accidens nuncupatur. Quod iſtæ qualitates elementorum, non ſubſtantiæ elementi: ſed quædam proprietas ratione generationis & corruptionis dicantur. Hinc eſt vt colorem nihil aliud efficiat, quàm in corpore miſto: vtpotè opaco, lux, perſpicuum & commiſtio primarum qualitatum, vt paulò ante dictum eſt. Ideoq́; color ab elementis vtpotè igne luminoſo, aëre, aqua perſpicua, & terra opaca dependet. Nam aut ex intentione: aut ex remiſsione, aut ex temperatura qualitatum color naſcitur. Sic albus color ex acceſſu caloris ad lucem: niger verò ex acceſſu frigidi ad lucem, fit. Ex commiſtione horum duorum colorum qui & immediati dicuntur, ideoq́; principales, prouenit rubrum. Ex pluri albo, quàm rubro color flauus: ſicut ex pluri rubro quàm albo croceus oritur. Non minus quoq; ex pluri nigro, quàm rubro viridis: quemadmodum ex pluri rubro quàm nigro purpureus deriuatur. Ad ſeptem colores iſtos quicquid, Gell. 12. cap. 17. & reliqui de coloribus tractant referri poteſt. Porrò quòd Thomas & reliqui 1. ſententiarum diſtinctione 17. quæſt. 1. artic. 1. colorem videatur ſecus definire, cùm inquit: Color eſt lux incorporea in extremitate diaphani terminati: non multum diſcrepat ab Ariſtotele. Nam per lucem incorpoream qualitatem intelligit, non incorpoream ali quam ſubſtantiam. Abſurdum enim eſſet ſubſtantias incorporeas in extremitate diaphani terminari, quod propriè ſenſibilium & non inſenſibilium eſt, niſi proportione agere libuerit: tum lucem incorpoream dicere poterimus, radios lucis diuinæ in extremitate diaphani intellectualis, terminatos. Extra proportionem verò color nihil aliud eſt, quàm corporis apparentia: hoc eſt intelligendum in rebus miſtis, vbi data priuatione lucis, priuatur etiam apparentia. Quapropter ſolus actus lucis huic definitioni Pythagoricæ conuenit. Verùm enimuerò ſi iuxta ſublimitatem Pythagoræ, hæc co-

loris apparentia expendatur: altius quidquid eũ moliri depræhendemus. Quemadmodum enim apparentia corporis reuera perſpicuum tangit in elementatis: ita in ſimplicib. apparentia corporis reuera totum diaphanum penetrat. Ideò colorem etiam in cœlo ſtatuere poſſumus: ſed diuerſum ab eo colore qui ex commiſtione gignitur. Ita patet breuem quidem definitionem Pythagoræ, ſed tam ſimplicibus, quàm compoſitis conuenire. Inde manifeſtum quoq; Peripatheticos etſi in compoſitis benè: in ſimplicibus tamen nihil deſerere potuiſſe. Hinc etiam & quod primas qualitates ſub Luna collocauerint, in quatuor elementis cùm tamen vt ſecunda principia, ſic etiam ſecundæ qualitates dici deberent: fortè veriti ne ſtatuerent accidens in ſimplicibus, ibi qualitates collocare noluerint. Quemadmodum enim qualitates in compoſitis extrinſecus, ideoq; accidentia: ita in ſimplicibus ſunt intrinſecus. Quapropter meritò puræ formæ atque eſſentiæ Orbium mundanorum dicuntur. Hinc eſt vt lux & color ſicut in compoſitis differt: ita in ſimplicibus eſſentialiter conuenit. Ideò id quod tacitè obijci poterat, facilè diluitur, vtpotè nõ ideò ſequi, vnius orbis mundani, plures eſſe formas. Tempus enim non forma ſed circulus extimus mundi eſt. Quare rectè illud lumen ſubſtantiam orbium mundanorum diximus. Definitio ergo Pythagoræ ſicut pulcherrima & communis ita admodum vtilis eſt: & quæ plurimum arcani ſecum adfert: qua de re ſuo loco plura. Hæc de colore & de obiectis viſus dixiſſe ſufficiat.
Drymus. *Color etiam in partibus interioribus ipſius corporis opaci æquè ac in extrema eſt: ergò non eſt extremitas corporis perſpicui.* Symbulus. *Potentia non actu.* Drymus. *Corpora perſpicua non videntur colorata: ergò color non eſt in corpore perſpicuo.* Symbulus. *Perſpicuum non recipit colorem vt in terminato: ſed vt in diſperſo, quo mediante, eiuſmodi color ad viſum defertur.* Drymus. *Albedo fit ex actione caloris in ſiccum: nigredo*

do verò ex actione caloris in humidum terreſtre: ergò non iuxta rationem à vobis hîc aſsignatam. Id experientia docet, à lignis & oſsibus deſumpta: quæ primum donec humidum admiſtum conſumatur, nigreſcunt: deinde conſumpto humido, albeſcunt. Symbulus. *Illud non per compoſitionem ſed per reſolutionem fit. Atque ita nihilominus humor ille à frigido eſt, calido admiſtus: quemadmodum & ſiccitas calidi: ideóque corruptionis & reſolutionis cauſa exiſtit. Duratio tamen reſolutæ nigredinis frigidum admiſtum luci efficit: quemadmodum & calidum admiſtum luci album. Atque hoc eſt intelligendum in permanente reſolutione, ſiue ea ad albedinem: ſiue ad nigredinem vergat. Sed influente reſolutione, pro diuerſitate fluxus & priuationis, nunc hæc nunc illa forma ſeu color ſubiectæ materiæ imprimitur.* Drymus. *Cœlum producit qualitates: ergo ei inerunt qualitates: cauſa enim non produnt ſibi diſsimilem effectum.* Symbulus. *De internis cauſis non de externis intelligenda illa maxima. Lux producit ratione internæ virtutis lucem ſibi ſimilem in hominibus quæ eſt vita ipſa: & intellectus producit ſibi diſsimilem, quò ad lucem externam: quæ quantò craſsior, tantò magis diuerſa & diſsimilior ratione effectus eſt à prima illa luce ante omnia aſtra creata.* Drymus. *in cœlo ſunt elementa: ergò etiam elementati colores.* Symbulus. *Sunt elementa proportione, hoc eſt, ratione habitudinum, quia inuicem conferuntur: non autem ratione elementi.* Drymus. *Cœlum eſt in medio aquarum: ergo in cœlo ſunt elementati colores.* Symbulus. *Sacra ſcriptura intelligit per aquas lucem. Quare cœlum eſt, in medio aquarum, hoc eſt, inter lucem creatam & increatam, hoc eſt, inter creatorem & creaturas.* Drymus. *Color ex quatuor elementis conſtat: ergo non poteſt dici lux incorporea.* Symbulus. *Incorpoream appellat, quò ad accidens: nō quò ad ſubſtantiam.* Drymus. *Quædam animalia*

vt feles abſq; beneficio lucis noctu muribus inſidiantur: ergo malè dicitur beneficio luminis videri. Symbulus. *Habent internam lucem præſtantiorem externa: qua perſpicuum reddunt diaphanum.*

De medio quid & quàm multiplex: tum quid principium, CAP. XVIII.

OLISTVS. *De Medio diſſerturi viſus, oportet, vt de medio extra viſum nonnihil dicamus, partim, vt ratione oppoſitorum res magis luceſcat: partim cùm de informando intellectu agatur, & totius negotij ſtatus circa intellectum verſetur, vt hinc veluti in termino & claſſe memoratiua, reliquorum quoque mediorum copiam habeamus. Vt cùm nobis de medio dicendum ſit, huc velut ad propriam claſſem recurramus: vnde facilè intelligere poterimus, de quo medio, quid, & qua ratione dicatur. Itaq; medium nihil aliud eſt in genere quàm ſubiectum in quo finis influit principio, & principium refluit fini, atq; ſapit naturã vtriuſq;, hoc eſt, Medium eſt tale ſubiectum, per quod ea res, propter quam primò aliquid inchoauimus, initium fit: & per quod hoc initium perficitur, ſeu ad finem deducitur: quod ideò ſapit vtriuſq; naturam. Nam quemadmodum finis principio annectitur per medium: ita principium hoc ipſo medio ad ſuum finem deducitur. Exemplo eſt domus quæ propter finem primùm omnium expenſum et meditatum extruitur: qui eſt arcere à nobis tempeſtates & belluas. Hic finis mediantibus inſtrumentis inchoatur: & rurſus poſito principio, mediantibus ijſdem inſtrumentis, hoc ipſum principium ad finem deducitur. Medium aliud eſt nominis, aliud rei. Nominis medium nunc conſideratur ratione partium, vt ſæpius in ſacris literis legitur, apud Zachariam, Eſaiam & reliquos. Sic parte calemus, parte laboramus, parte vrimur, id eſt, in medio. Nunc verò con-*

conſideratur ratione totius, & id aut principaliter & ſimpliciter, aut ſecundum quid & minùs principaliter. Hoc modo aliquando Parapliromaticω̃s, id eſt, impletiuè: aliquando Emphaticω̃s: Vt ego Dominus Deus noſter in medio veſtri. Aliquando etiam poſſeſſiuè: Vt ſciatis ego ſum dominus in medio terræ. Aliquando Synechdochicω̃s: Vt Roma pro vniuerſo mundo: Hieruſalem pro vniuerſo Iſraël. Hinc eſt vt Hieruſalem cœleſtis, ſit terra promiſsionis Chriſtianorum. Et Romanum imperium etiamnum viget à Romanis deriuatum, ſicut & Romani à Roma. Simpliciter verò & abſolutè medium nominis eſt, aut per conſiſtentiã, vt Scholaſtici habent: vt cùm dicimus, coram te eſt: in conſpectu tuo eſt: Aut per comitantiam: Vt cùm dicimus, cum alijs eſt vel inter alios. Sic ſcriptura dicit Geneſ. 24. & paſsim alijs in locis: Venerunt Iſrael ad emendum in medio venientium. Atq; ita manifeſtum eſt medium nominis partis aliud, aliud totius: Aliud ſimpliciter, aliud ſecundũ quid dici. Medium verò rei triplex eſt: coniunctionis, menſurationis ac extremitatum includens & modum eſſendi, & non eſſendi. Medium enim conſiſtit in differentijs, concordantijs, æqualitatibus & magnitudinibus. Non conſiſtit verò in contrarietate, & vt aiunt minoritate. Medium ergo exiſtens dicitur cuius finis et principium eſt in ſubſtantia. Medium verò non exiſtit rei, cuius finis et principium in accidente conſideratur. Hic incumbit dicere quid principium, quid item finis ſit: quatenus huius loci tractatio permittit. Principium nihil aliud eſt, quàm cauſa ſecundum prius omniũ quæ ſunt, hoc eſt, principium eſt ratio cur ipſum prius ſeu vt vulgò dicitur prioritas in rebus ponatur. Eiuſmodi principium, aliud eſt vniuerſale, aliud ἀϊδιότης*, aliud perſonarum, Actionum, & Negotiorum: Aliud item particulare, poſitiuum, priuatiuum naturæ, temporis, definitionis, & cognitionis. De omnibus iſtis ſingulariter tractandum eſt: ſi principij naturã intelligere cupimus.* Drymus.

mus. *Contraria dicuntur ea quæ nulla ſimilitudine iuncta ſunt: quorum etiam finis contrarius eſt: ergo mutuò ſe explicare nõ poſſunt.* Symbulus. *Simili ratione ſe declarare non poſſunt: ſed diſsimili.* Drymus. *Principiũ eſt terminus vnde motus incipit. Deinde quod in aliquo primum generatur: ergo principium non eſt ratio cur ipſum prius in rebus ponatur.* Symbulus. *Principium non eſt prius, vt prioritas, hoc eſt, vt relatio: quin cũ ſuis correlatiuis ſurgit ſimul. At principiũ eſt prius abſoluta ratione: quatenus eſſe ipſum eſt, quod præcedit ſuam eſſentiam.* Drymus. *Contrariorum eadem eſt diſciplina, & ratio: ergo & magnitudinis & minoritatis: & per conſequens medium etiam conſiſtit in minoritate. Nam quod in vno prædicamento & relatiuè eſt alterum abſq; altero intelligi non poteſt: ergo vbi magnitudo eſt: minoritas etiam ſit oportet.* Symbulus. *Aequalitas & inæqualitas ſunt ſubſtãtiæ: quando conſequuntur Ens vniuerſaliter & abſolutè conſiderata: Sed quatenus antecedunt, Ens, ea ratione accidentia ſunt.* Drymus. *In viſione animæ virtus non refluit fini, id eſt, rei obiectæ: ergo definitio eſt mala.* Symbulus. *antecedens negatur: Quoniã illa virtus animæ reciproca eſt: ideò maximè in ipſa dynami viſionis, actus et potentia ex mutua reciprocatione ſe mutuò excipiunt: vt neceſſariò illa virtus refluat ſuo fini.* Drymus *Extrema ſunt vitioſa: ergo medium non ſapit naturam vtriusq;.* Symbulus. *Virtus quidem conſiſtit in medio, & ſapit naturam ſuorum extremorũ negatiuè, etiamſi non affirmatiuè. Quapropter etiã in definitionẽ virtutum vitia cadunt: cùm dicimus virtus nihil aliud eſt q̃ vitiũ fugere.*

De principio quid & quotuplex, CAP. XIX.

PRincipium ergò vniuerſale nihil aliud eſt ſecundum Ariſtotelem 1. poſteriore quàm quod de omni per ſe & ſecundum

cundum quod ipſum eſt dici poteſt, hoc eſt, Vniuerſale principium eſt quod omni rei adeſt, nullius adminiculo egens: dum non per accidens, ſed per ſe: non mediatè, ſed ſecundum quod ipſum eſt, hoc eſt abſolutè & ſimpliciter. Principium verò Intentionis eſt, quod de pluribus eſt aptum natum prædicari: Vt ſunt voces prædicabilium & prædicamentorum, & vt vno verbo dicam quicquid nominibus artis ſignificatur, Vniuerſale perſonarum eſt ipſa identitas (liceat barbarè loqui: ſi latina non habeamus) naturæ & numeri. Naturæ qua diuinæ perſonæ eadem ſunt: numero qua relatione conueniunt. Atque hoc principium æternum eſt & omnium principiorum principium, quodq́ definiri non poteſt, & meritò omnium vniuerſalium vniuerſale. Vniuerſale Actionum, eſt eorum quæ quoquo modo paſsionem excitare poſſunt: quamobrem etiam actio inter prædicamenta numeratur. Ideò actiones ſunt motus actiuus, qui à facultate partim animali: partim vitali: partim naturali procedunt. Prima, ex cerebro: ſecunda, ex corde: tertia, ex iecinore originem trahens. Quartum quidem actionum ſola facultas cauſa eſt, qua pereunte: actio perimitur. Sed præter iſtam cauſam actionum, eſt adhuc occulta quædam vis naturæ: quæ potiſſima tam animatarum quàm inanimatarum actionum dicitur: quaſi nondum effectarum. Illarum enim cauſæ Materia, forma, & priuatio dicuntur: Sicut huius ſolus Deus. Ideò actio eſt, ſecundum quam id quod ſubijcitur, agere dicitur, vt ſecare, verberare: Sicut paßio nihil aliud eſt, quàm illatio effectusq́ue actionis, vt ſecari, verberari. Hinc eſt vt eiuſmodi actionis læſio, non niſi accidente, morbo nimirum interueniente naſcitur. Vniuerſale negotiorum eſt nihil aliud, quàm vnum quippiam per inductionem concluſum, quod quidem & collectiuum dici poteſt. Hactenus de principijs vniuerſalibus. Cæterùm principia ſunt, quæ per ſe quidem, & quatenus ipſum eſt, non tamen

omnibus, neq; ſolum, rebus inſunt: Qualia ſunt ſingulorum elementorum. Item Sol quò ad ſimplicia & quò ad compoſita, atq; relatiuum ſui correlatiui: Sicut pater filij eſt. Eiuſmodi principium aliud poſitiuum vtpotè generationis: aliud priuatiuum vtpotè corruptionis appellatur. Illud ex non eſſe in eſſe: hoc ex eſſe in non eſſe mutatur, hoc eſt, Generatio eas res quæ non erant efficit, vt ſint: corruptio verò eas res quæ erant, efficit vt non ſint. Principium deinde particulare naturæ conſiſtit in elemẽtis, quæ nihil aliud ſunt, quàm minimæ rei portiones, quam conſtituunt: iuxta Galenum lib. 2. de elementis. Deinde in ipſa temperantia. Temperatura autem nihil aliud eſt quàm commixtio quatuor elementorum. Item in humoribus quorum alij calidi, alij frigidi, humidi, ſicciuè non niſi poteſtate exiſtunt. Præterea in partibus tam ſimilaribus quàm diſsimilaribus: quæ Græcis nunc homogenea nunc heterogenea dicuntur, hoc eſt, eiuſdem aut diuerſorum generum partes. Pari ratione principium particulare in facultatibus conſtat. Illud idem & ſub actionibus compræhenditur: Cuius natura paulò ante expreſſa eſt. Poſtremò in ſpiritibus: Spiritus autem eſt ſubſtantia aërea, lucida & tenuiſsima quoq; ſanguinis parte producta: vt differatur virtus à partibus principatum obtinentibus, ad reliquas: & quo proprias edere actiones poſsint. Eius membra ſunt alia animalia, quæ ex cerebro per neruos ſeu fiſtulas quaſdam ſenſum & motum in totum corpus tranſmittunt ac intellectũ fouẽt: Alia vitalia, quæ ex corde per arterias ſeu canales quaſdam vitam vniuerſo corpori impertiũt: alia deniq; naturalia, quæ ex iecinore per venas omnibus corporis partibus alimoniam præbent. Hæc quadruplex exiſtit. Diuiditur enim in attractricem, retentricem, concoctricem, et expultricem. Principium temporis prioris et poſterioris ratio exiſtit. Ideò circulus mundi extimus vacatur. Quamobrẽ Simplicius mundum æternum putauit, Sed ea ratione tempus cùm non particulare, ſed

re, ſed vniuerſale principium ſit: non inſulsè id aſſerere potuit. Porrò cùm particulare exiſtat, meritò ab æternitate ſicut & reliquæ creaturæ diſtingui debebat. Principium definitionis conſiſtit in ſimplicib. vocib. qua primò quid res ſit indagatur. Cognitionis principium conſiſtit in cauſis. Scire enim nihil aliud eſt quàm rem per cauſas cognoſcere. Atque iſta cognitione primò omnium res quàm latè pateat indagamus. Quamobrem & quatuor limitibus omne ſcibile compræhenditur, quos pythagorici Tetractỳ: Hebræorum ſapientes Tetragrammato complectuntur. Prima eſt puncti, ſeminis, & eſſentiæ. Secunda eſt lineæ, pullulationis, & ipſius eſſe. Tertia eſt planiciei, formæ, & virtutis. Vltima eſt corporis, compoſiti & actionis. Hæc principia partim ex mathematicis ratione puncti lineæ, plani, & corporis deſumũtur: partim ex phyſicis, quod ad ſemen attinet, pullulationem, adoleſcentem, formam, & compoſitũ: partim ex metaphyſicis, quò ad eſſentiam, eſſe, virtutem & actionem. Non eſt enim obſcurũ Mathematicos ordiri à puncto, ex punctis conficere lineas, ex lineis ſuperficies, ex ſuperficiebus corpus. Ita natura ex Semine pullulationem, ex pullulatione adoleſcentem formam, quam tum demum, compoſitum ipſum, ſequitur. Similiter Methaphyſicus primò conſiderat Eſſe, deinde Eſſentiam, tum demum virtutem, poſtremò actiones omnium perpendit. Ideò nobis potiſſimum ſubſtantiarum formæ, ipſaq́ tota ſubſtantia innoteſcit tam corporea, quam incorporea. Ita principium eſſentiale in corporibus: vt cauſa formalis & materialis. Coeſſentiale verò principium in forma & materia prout componuntur ex ſimplicibus conſiſtit. Elementa ipſa medium principij effectiui dantur proprietas materiæ. Quamobrem forma corporea eſt ſimplex eſſe creatũ, virtutis dimenſiones habens: ordinatum naturaliter ratione mediati ad finem mediatum: in quo principia communicatiua conſiſtũt: & ſunt velut attributa inſeparabilia. Ad eundem modum incorpo

reæ ſubſtãtiæ:quemadmodum & corporeæ ad primum chaos referuntur:quæ eiuſdem contractionis forma,ſimplex eſt,cuius aptitudinem gerit.Ideò ſpiritus datur in quo ſubſtantia recipit eſſe ſpirituale:tanquam adueniens quippiam quod anteà tale non erat.Quãobrem etiam in ſubſtantijs incorporeis,nec vnum numero:nec chaos aſsignari poteſt:nec aliquod genus,niſi veritati conueniens.Quilibet enim ſpiritus eſt ſua ſpecies,in quo cõſiderantur principium, mediũ,& conſiſtentia:proprietas,& ſtatus.Hinc vt breuiter principiorum naturæ nobis innoteſcant, aliud principium eſt effectiuũ: ipſe nimirum Deus à quo omnia perficiuntur, & per quem omnia conſtant & condita ſunt. Aliud deinde eſt principium eſſentiale vt eſſet abſolutum quid conſiſtentiæ vniuerſalis, qualis eſt ſimpliciter ſubſtantia. Principium deinde coëſſentiale & forma & materia,quæ vtramque illarum eſſentiarum repræſentant: nimirum tam aptitudinem intrinſecam: quàm obiectum inſeparabile, cum actu proprio hoc coniungente:vt intelligens, & intelligibile, per actum intelligendi,quod eſt intelligere,copulatur. Hinc velut ex fonte quodam primò omnium fluit authoritas ipſa, tanquã principium quo omnes familias agnoſcimus & omnes ſectas excutimus,ipſamq́ue veritatem firmamus, & velut motu quaſsatam flammam excitamus, non extinguimus. Hinc naſcitur abſolutum quid,vt non iam velut cornua tauri,alligati,ex alijs dependeamus:ſed potius à ſua quiſque conſcientia. Huius rei antecedens eſt ἀναγνώστης magiſter id eſt lector qui omnia probat: quodq́ue bonum eſt retinet.Fluit quoque ex principio cauſa velut origine: non quidem fontis, ſed riuuli: dum ſola principij ratione habita,actiones cauſarum indagamus. Quarum primum eſt fatum id eſt ſeries cauſarum connexarum. Deinde fortuna ex rarò contingentibus. Pari ratione caſus tempus, locus & finitum. Quamobrem quoque cauſa ipſa ex ſuperioribus non incommodè principium re-

rum dari poteſt. Ad principium & impulſio velut ad fontem refertur: quæ nihil aliud eſt, quàm cauſa quædam impulſiua in affectibus conſiſtens ad rem aliquam aut complectendam: aut reijciendam. Quo fit vt principij maximè proprium ſit effluxus: quod ab eo omnia procedant, quo nomine reuera & origo dicitur: Quod ſua quadam ſerie hinc omnia promanant. Dicitur quoque influxus. Vt enim omnia à principio procedunt: ſic in principium redeūt vltimò. Quapropter primus gradus nobilitatis principium eſt, ipſaque principij ratio, qua omnibus prius eſt, & cuius paſſio eius productionis cauſa exiſtat: vt rectè dicatur principiū eſſe ſui finis principium. Vt ergò abſolutè principij natura & vis intelligatur, & de fine nonnihil dicendum erit: tum demum ad medij explicationem redibimus: Hic vnum adhuc animaduertendum eſt, vtpotè inter hæc principia magnam eſſe cognationem. Si enim vniuerſalia particularibus attribuantur, particularia fiunt: Si verò particularia, Vniuerſalia redduntur. Drymus. *Quicquid eſt præter Ens, non eſt Ens: quod autem non Ens eſt, nihil eſt. At Ens & vnum conuertuntur. Si autem eſt tantum vnum non habet locum: igitur ipſum eſt immobile, & per conſequens nullum eſt principium.* Symbulus. *Vnum non eſt præter Ens ſed conſequitur Ens: ideòq; cum Ente conuertitur: At non continuò ſequitur, quod nullū ſit principium.* Drymus. *Aſſeruiſtis & fatum inter principia. Id prout falſum eſt, ita impium. Deus enim ſolus omnium rerū cauſa quomodo fatum?* Symb. *Deus eſt cauſa prima & abſoluta cui cedit phyſica neceſſitas, ſub qua fatum compræhenditur quæ ita neceſſitate datur, quatenus inclinat, atque illa inclinatio diuina voluntate aut auferri, aut permitti poteſt. Adiungitur his tertia neceſſitas quæ nuncupatur conſequentiæ. Secundum hanc quod factum eſt infectum fieri nequit. Ordine naturæ fieri infectum non poteſt, quod factum eſt: ordine autem*

*diuino vtique.*Drymus.*Quæ eſt differentia inter vniuerſalia & particularia?*Symbulus. *Non eſt alia quàm communicationis: cuicunque enim aliquod attributum fuerit nomen: ratione eius cui attribuitur aut vniuerſale aut particulare eſt.Ita Caios, Pompeios,Antonios,Salomones,dicimus pro ſapientibus. Ratione enim attributi migrauit ſignificatio ſingularis in vniuerſale:Atque iam nomen proprium non datur:ſed appellatiuum.*

De fine & quàm multiplex.

CAP. XX.

OLISTVS.*Finis eſt id in quo principiũ quieſcit hoc eſt finis nihil aliud datur quàm terminus cauſarum actionũ & ſimilium propter quem datur.Vt vitæ actiuæ finis eſt contemplatio. Illa enim vita propter contemplatiuum inſtituitur. Ita curſus in ſtadio eſt propter brauium.Ita certamẽ propter victoriam,& ſic de ſimilibus.Res propter quam aliquid dicitur finis eius eſt.Alius eſt perfectionis qui omnibus modis perfectus & abſolutus eſt.Græci enim* τέλον *appellant,quod ſuis partibus omnibus perfectè conſtat, nec quicquam deeſt ab eius perfectione. Sic finis legis datur Chriſtus.Finiendi enim verbo perficiendi, abſoluendi, conſumandi plerunque etiam in ſacris literis vtimur,Vt finitus eſt puluis,vel populus conſumatus eſt: miſer defecit qui cõculcauit terram.Alius item eſt imperfectionis: vt finis hominis,actio virtutis. Hic finis quoniam non eſt vltimus hominis: imperfectus dicitur. Eiuſmodi ſunt fines terminationis,quales ſunt anguli, plagæ. Vt 6o.Pſal.à finibus terræ:Item remotio & diſtantia vt.5. Eſaiæ in longinquam terram.Non eſt diſſimilis & finis priuationis,cùm altera forma aduenıente,altera finitur,& propriè interitum ſignificat:ſed non interitum materiæ.Quare quò ad formam hoc eſt, quò ad al-*

ad alteram partem compoſiti, poteſt quidem dici perfectionis finis: ſed quò ad compoſitum imperfectionis eſt. Etiamſi enim homo moriatur, fit quidem ſeparatio animæ à corpore: corpus tamen in id redit vnde profectum eſt: & per reſolutionem rurſus fructum ſuũ fert, herbam & ſimilia: idq́ iam per occaſionem dicitur finiri, cùm intra vltimum finem aliquid ſubijcitur diuerſis formis: ab omnibus enim finiri dicitur Exempli gratia. Εμβρύωμ παρὰ τὸ ἔσω βρύεμ *ſuſcepta anima homo eſt, & quidem finitus eadem materia ab anima ſeparata: cadauer datur, & finitum eſt. Illa eadem materia reſoluitur in terram & finita eſt. Reuera enim terra eſt. Eadem materia producit herbam & ſimilia atque id quoque finitum eſt, Omnes iſti fines imperfecti ſunt. Nam in reſurrectione quantumuis reſoluta ſint corpora: ſingula tamen ſingulis adſunt, & in æternũ perdurabunt. Atque tum demum perfecti fines dicuntur, cùm eis alij fines obſtrepere nulla occaſione poſſunt. Et propriè eiuſmodi fines barbaris conſiſtentiæ ſunt: Dum per occaſionem materia à diuerſis formis finitur. Tam diu quoque ille finis perdurat quàm diu ea forma conſiſtit in ſua materia. Ita fides à mente ipſa dependet hoc eſt cum mens ſit intellectualis & diuina quædam forma: merito fides noſtra in ea terminari debet, & non in ratione. Licet & mens & ratio per ſe imperfecti fines ſint fidei. Ratio quidem quod errare poſſit ratiocinando: Mens verò quod proportione duntaxat finis fidei dicatur, hoc eſt, ſiquidem mens humana in imagine Dei condita & ad ſimilitudinem eius ſit: iam mens noſtra non verus & proprius finis: ſed imago duntaxat Dei finis dicitur. Ideò mens noſtra cum non ſit perfecta extra proportionem diuina potius mens finis perfectus noſtræ fidei erit. Pari ratione intelligẽdum eſt illud Themiſtij vbi appellat mentem noſtram principium, terminos verò ex quibus componũtur dignitates: maximè ſubiectum & prædicatum iuxta appoſitorum tamen naturam. Ibi enim mens aſcendendo*

terminus eſt:hic verò deſcēdēdo:quatenus à mēte ad dignitates deuoluimur, & non vt à fide, ad mentem diuinam procedimus. Quapropter mentem diuinam & principium & finem rectè dicimus identificum(liceat barbaris morem gerere) hoc eſt, eiuſdem ſubſtantiæ cum ſuo fine principium. In Deo enim nulla diuerſitas niſi relationis datur: ſed omnia eadem ſunt. Mens verò humana eſt in qua principium diuerſum eſt à ſuo fine: vtpote qui ex diuerſis & pluribus partibus conſtat,& qui ſingulis momentis diuerſus ſit tempori, motui, & ſimilibus ſubiectus. Ideò homo mentem ad diuerſa ſparſam & extenſam ac propriè accommodatam habet,propterea vbi Philoponus mentem diuinam principium primum aſſerit:rectè finem illius intelligibiles formas ſignificat. Non quod ab eo & ſenſibiles formæ non finiantur:ſed quod omnia ſenſibilia propter inſenſibilia fecerit:quorum imagines in mente diuina ab æterno inſenſibiles fuerunt. Neq; hic intelligimus bruta animalia quæ propter homines ſunt:ſed homines potius propter inſenſibilia eſſe, vt aliquando inſenſibilium naturam conſequantur. Ideò huius propria demonſtratio,illius verò opinio dicitur. Demonſtratio ſiquidem diſtinctè cuilibet quod ſuum eſt tribuit:opinio verò confuſe. Hæc ideò in conſiſtentia extrema ad inuicem dicuntur: quod inter ea mutua quædam coniunctio detur : quemadmodum Spiritus & ſubſtantia, ſiue animæ, ſiue corporis. Hæc enim tria ab Apoſtolo numerantur. Finalis tamen conſiſtentia ſpiritus eſt.Qua enim ratione ex iſtis ſpiritus reſultat, finis eorum eſt,hoc eſt ex coniunctione animæ & corporis naſcitur ſpiritus. Ideò autē iungitur anima corpori:vt viuat,ſpiret,atque ſentiat.Spiritus ergo eorum potiſsimus erit finis,vnde naſcitur affluxus,hoc eſt cumulatio interſtitij ratione finis. Vt quanto propior linea fini eſt:tanto maior affluxus punctorum datur. Ad eundem modū euentus conſideratur.Quo fit vt illud tritum natum ſit,ex effectu cognoſcitur

cauſa.

cauſa.Item euentus docebit:omnia fert ætas & ſimilia : quæ ſic nũcupãtur:ſunt ratione ſolius finis.Eò fit quod in fine rei vera determinatio detur duntaxat. Item definitiua ſententia non antea datur quàm cauſa ad finem deducta ſit.Hunc finem conſequuntur demõſtrationes earum potiſſimum rerum quarum antea opiniones erant.Ideo etiam conſumatio ſolius finis propria eſt:quod tum demũ aliquid conſumatũ dicatur cũ finem ſortitum fuerit,eſt:qui quidem finis reuera & obiectum nuncupatur: Vnde natũ eſt illud vulgatũ Catonis:Quicquid agis prudẽter agas, & reſpice finem.Finis enim cum mater ſit veritatis:meritò parens retributionis dicitur:iuxta illud Apoſtoli 2.Timoth.4.bonum certamen certaui,curſum conſumaui,fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iuſtus iudex:non ſolũ autem mihi,ſed & ijs qui diligunt aduentum eius.Cuius equidem finis paſſio nihil aliud eſt,quàm extremitas iuxta Apoſtolum. Non habemus hic manentem ciuitatem. Quare hortatur nos vt ſuperna quæramus,vbi Chriſtus eſt ſalus & redemptio noſtra.Ideò & nati ſumus vt moriamur : ad labores & dolores conditi ſumus. Quam diu in hoc mũdo viuimus peripſema facti ſumus,hominibus ludibrio expoſiti, & vt vno verbo dicam, in tribulationibus conſtituti: quod per multas tribulationes oporteat nos ingredi in Regnum Dei. Rectè igitur hæc vita eſt paſſio & extremitas noſtri finis.Atque hæc quò ad finem dicta ſint. Nunc quid medium ſit commodius declarare poterimus. Vbi imprimis hoc animaduertendum : quòd finis perfectus ſit cui nihil addi vel detrahi: imperfectus verò cui & addi & detrahi poteſt. Drymus. *dicebatis ſenſibilia propter inſenſibilia condita. Sacra autem ſcriptura. Ius item naturæ diuinum & humanum, docent omnia in hoc mundo propter hominem eſſe facta. Nam Deus ſuum filium noſtri cauſa miſit, vt redimeret nos & cætera.*

Deinde

Deinde natura docet Omnia animalia & fructus in hominis vſum creata: etiam Iure ciuili idem prouiſum eſt vt patet § in pecudum, Inſtit: de ver. diuiſ. & in l. in pecudum ff de vſuris. OLISTVS. *Deus miſit ſuum filium non modò vt redimeret, vt Paulus ad Hebræ. teſtatur, ſed etiam vt ex mortalibus immortales faceret, ex corruptibilibus incorruptibiles redderet, quin vtique inſenſibilis eſt & ratione ignoti: Deinde quòd omnia faceret propter inſenſibile etiam in hac vita, vel inde manifeſtum eſt, quòd quælibet res occultam quandam & inſenſibilem virtutem contineat: propter quã facta & condita eſt, Vnde illud tritum, in herbis, verbis, & lapidibus latet omnis virtus. Ita medici Simplicibus & alijs animalibus vtuntur, non vt duntaxat repleant ſtomachum: quin potius ægrotanti interiori quadam vi & natura conſulant: quæ huiuſmodi animalibus & ſimplicibus inſita eſt. Et ſiquidem omnia compoſita ipſáque ſimplicia ad vtilitatem hominis condita ſunt: Certè ſi illa vtilitas eſt in eſu & potu ſaltem collocata: neſcio cur cicuta ſit creata: cur ſerpentes & reliqua cum animalia, tum herbæ: aquæ item venenoſiſſimæ cuiuſmodi paſſim circa æquinoctialem ſunt. Opinor autem hæc & aliam vtilitatem homini præter cibũ & potum adferre. Quare Medici veneno in pharmacis vti ſolent. Sic tubercula Oleo Draconis quamuis maxima, non excitantur: ſed extinguuntur potius. Ita patet omnes res particulariter & ſingulatim occultis quibuſdam virtutibus eſſe præditas, propter quas potiſſimum ſunt conditæ. Quæ cum ſenſibiles ſint, propter inſenſibiles vtique creatæ: vt nimirum illas inſenſibiles virtutes gerant, quibus homo vtatur. Nemo enim poteſt inſenſibilem illam vim equi vel bouis, vſui quotidie accommodatis, ſenſibiliter appræhendere: multò minus aliorũ animaliũ q̃ raró à nobis conſpiciuntur: quarũ virtus non niſi ſapientiæ eſt ſubdita. Sed de his hactenus. Sat enim manifeſtũ eſt quomodo homo & reliqua animalia propter inſenſibilia ſint.*

De

De medio principij effectiui, & eſſentialis, CAP. XXI.

OLISTVS. *Medium, tot modis dicitur quot & ipſum principium. Aliud enim medium eſt principij effectiui, quod nihil aliud eſt quàm abſtracta ratio corporis cum ſubſtantia, ſicut ſunt principia eſſentialia in actu ipſo, hoc eſt, medium per quod principium agit, eſt interuallum quoddam planè diuerſum, tam à principio quàm à principiato, hoc eſt tam à cauſa quàm ab effectu, quæ ideò dicitur abſtracta ratio corporis cũ ſubſtantia, quòd eiuſmodi medium veluti abſtractum aliquid intra ſuos limites contineatur, qualia ſunt principia alicuius rei eſſentialia in ipſomet actu rei exiſtentis. Id tali exemplo manifeſtũ eſſe poteſt: Corporis Phyſici principiũ eſt materia & forma, coniunctio vtriuſq; efficit corpus: horum medium eſt abſtracta ratio corporis cum ſubſtantia: ipſa nimirum potentia, qua mediante materia recipit formam: ac tum demum ſimul corpus & ſubſtantia, eſt cùm antea materia non erat: nec exiſtere dicebatur. Sed quoniam annexam habebat potentiam quæ propriè abſtracta ratio corporis cum ſubſtantia dicitur, hoc eſt planè ſeiuncta: mediante illa forma actum conſequitur. Atq; illud medium dicitur effectiui principij in materia, quæ & aptitudo ad ſuſcipiendam quamuis formam nuncupatur: & propriè eius formæ inſtrumentum dici quoq; poteſt. Res vt clarior ſit, vulgari exemplo demonſtrabo. Figulus eſt principium effectiuum ollæ. Medium effectiuum habet duplex: quæ abſtracta ratio corporis cum ſubſtantia dicitur. Primum eſt ſcientia, quòd neq; corpus nec ſubſtantia eſt. Secundùm eſt agilitas: quæ nec ipſa aut ſubſtantia, aut corpus eſt: ſiue hoc medio tamen, ex materia argillæ nihil fabricari poterit: neq; aliqua forma ei induci: Quæ tamen principia eſſentialia, veluti concauſæ argilla & forma eius in tali opere & actu concurrere de-*

 bent.

bent. Rectè igitur hoc mediũ abſtracta ratio corporis & ſubſtantiæ eſt: & quo mediante eſſentialia principia, hoc eſt concauſæ in ipſo actu ſunt. Cæterum medium principij eſſentialis, eſt mutua informatio actiui & paſſiui & è conuerſo, hoc eſt, medium eſſentiale eſt medium, quod rectè & directè tendit, ad ſuum finẽ, vt punctus fluens in lineam, vt calor in ignem, vt intellectus in rem intelligibilem. Atq; in eo differt ab actiuo medio, quòd illud à re abeſſe poteſt, illud verò cum ea re cuius mediũ eſt manet, vt eſt actiuum & paſſiuum, Vtrumq; enim homo eſſe poteſt, qui ſimul & ſemel dum agit patitur. Ibi homo eſt medium inter actionem & paſſionem. Sic intellectus intelligitur & intelligit: & pari ratione medium eſt inter hoc quod intelligitur, et intelligit. Nam vna & eadem ſubſtantia eſt, nõ niſi proprietatibus differens relationis, quæ eſt vnius ſubſtantiæ ad diuerſas actiones, & paſſiones. Ita vnus & idem homo dum flet, & agit & patitur. Patitur dum mærore afficitur: agit dum mærorem efficit. Et vt manifeſtius ſit quod velim: homo dum edit & bibit agit quia conficit cibum dentibus, patitur dum dentes ab illa confectione afficiuntur. Ita patet dentes & ſimul agere & pati: ipſosq́ dentes medium eſſe eſſentiale. Tale ergò medium cùm idem ſit cum ſuis extremis, quare & eſſentiale dicitur. Quod licet differt: tamen ſolo reſpectu. Rectè hoc medium à ſuperiori per oppoſitam rationem diſtinguitur. Vt enim hoc idem: ita illud diuerſum eſt, Atque hoc ſe habet velut inſtrumentum quoddam eſſentiale.

De medio principij eſſentialis & conſiſtentiæ, CAP. XXII.

MEdium verò principij coëſſentialis, eſt actus actiuus formæ in materia, et materiæ ſub forma. Hoc eſt in quauis re mediũ eſſentiale, eſt ratio concauſarũ, vtpotè materia

riæ et formæ, per quam in ſuo compoſito vniuntur, ſiue actus innatus qui propriè angelis conuenit: & connatum mediū qui à Scholaſticis nuncupatur. Hoc medium ideò coëſſentiale dicitur: quoniam etſi ſint cauſæ cur res ſit: nihilominus tamen in re ipſa permanent: neque abeſſe poſſunt. Ideò rectius à Politiano concauſæ dicuntur. Exempli gratia, Hominis concauſæ ſunt corpus & anima: quibus ſublatis & ademptis, homo conſiſtere nequit: & quibus poſitis neceſſario quoque res exiſtat oportet: vtpotè homo. Cur autem hæ concauſæ hominis homini neceſſariò adſint, eiusque effectum conſeruent: medium in cauſa eſt, id eſt, vnio corporis & animæ. Atque hoc medium coëſſentiale dicitur. Quàm diu enim vnio permanet: tam diu etiam homo. Vnione ſublata, & in eius loco ſubrogato, quod vnionem ipſam diſpeſcat: (qualis eſt mors ipſa: quæ hominem per ſeparationem animæ à corpore deſtruit) homo ipſe exiſtere ceſſat. Ita manifeſtum eſt, quomodo medium coëſſentiale dicatur actus formæ in materia & materiæ ſub forma. Anima enim eſt in corpore tanquam actio, corpus ſub anima tanquam paſſio. Ideò etiam anima dicitur actus actiuus, hoc eſt, actus, qui aptus natus eſt in corpore humano diuerſas exercere actiones. Sic anima, ipſe nempe actus, ſua aptitudine efficit, implendo corpus humanum: vt videat, audiat, loquatur, intelligat: ac vt vno verbo dicam, tam interiores, quàm exteriores ſenſus dirigit: ideò rectè actus actiuus nuncupatur. Ita breuiter declaratum eſt, quid medium principij effectiui: quid item principij eſſentialis: quid denique principij coeſſentialis medium ſit: ratione cuius & aliquid mediatum & immediatum dicitur, & hæc differentia in ſolo medio propriè locum habet. Nunc redeundum eſt, ad triplex illud propoſitum medium: vtpotè coniunctionis, Menſurationis, atque extremitatum: vnde plerunq; loci intrinſeci deriuantur. Medium coniunctionis & penes medium

veritatis conſiſtentiæ, hoc eſt, vnio ſiue coniunctio duorum extremorum: ſicut eſt ſpiritus & corporis in tertio, vtpotè homine. Sed reuera hoc medium cõiunctionis propriè ſyllogiſticum eſt: vbi medium maiorem & minorem extremitatem coniungit, ad inferendam concluſionem. Vt cùm dico hominem eſſe animal: vtranq; huius propoſitionis extremitatem, vtpotè & hominem & animal vno medio coniungo: videlicet ſenſitiuo in hunc modum: Quod ſentit eſt animal: Homo ſentit: ergo homo eſt animal. Eiuſmodi medium conſideratur primò quò ad operationem. Ita aurifaber in operatione torquis, torquem efficit mediante annulorum colligatione. Et dicitur hoc mediũ coniunctionis, fundari in medio principij effectiui. Medium coniunctionis verò eſſentiale quoad operationem conſideratur, eſt ipſa imago concepta quàm in imaginato exprimit: vt concepta forma torquis talem re ipſa efficit. Hoc idẽ medium coëſſentiale quo ad operationem, eſt commoditas auri & artificis agilitas. Quo quidem vel ſolo medio artifices ab inuicem differunt: quod hîc melius altero operetur. Medium coniunctionis quo ad comprehenſionem eſt vnio qua quid conſequimur, ſiue per habitus infuſos: ſiue acquiſitos, per ſæpè iteratos actus: ſiue per diſpoſitionem: Vt ſcientia eſt medium vnitum per comprehenſionem ipſi intellectui: quo rerum cauſas perquirimus & cognoſcimus. Ita naturalis diſpoſitio ſeu inclinatio eſt mediũ comprehenſionis, quo ad finem propoſitum alter altero citius peruenire poteſt. Medium coniunctionis quò ad ſuppoſitionem eſt, duorum ſuppoſitorũ, quorum alterum altero ſubtilis eſt coniunctio, vt aêr & aqua, aër et ignis. Medium quo ad naturam coniunctionis nihil aliud eſt, quàm vltima alicuius rei conſiſtentia: Vt, hominis glorificatio & felicitas, eſt vltimus terminus cum quo homo cõiunctus immortalis eſt. Medium quo ad ſitum cõiunctionis dicitur, à quo quicquid eſt virtutis extremitatum dependet: vt cor in homine, cerebrum in capite.

pite, Sol in cœlo, humor chriſtalinus in oculo. Medium loci quo ad coniunctionem à ſitu parum aut nihil differt: differt tamen ſi rectius conſideretur: quemadmodum prædicamentum. Vbi à prædicamento Situs. Medium ergo loci eſt cuiuſuis rei locus, vbicunq; res ipſa conſiſtit: Vt Petrus eſt in hypocauſto, in cella vinaria, vinum in Cyatho, & ſic conſequenter. Reſtat medium quoq; conſiſtentiæ finalis, quod ferè idem eſt cum medio quo ad naturam: ſed in eo differunt, quòd medium quo ad naturam naſcitur ex copulatione, ex qua veluti reſpectus conſtat. Medium verò finalis conſiſtentiæ vel perſeuerantiæ, refertur ad copulationem duntaxat: et quæ inde non quidem conſiſtit, quanquam reſultare videtur. Vt felicitas æterna etiamſi citra omne meritum hominis ſola gratia mediante diuina ad nos referatur: reſultare tamē videtur ex merito, ea ratione qua dominus inquit, cuilibet ſecundum opera eorum retribuam. Hinc eſt vt plurimi errores de iuſtificatione ſuboriantur, quod nō diſtinguant medium finalis conſiſtentiæ, & quo ad naturam. Quo ad naturam enim iuſtificatio in ſolo Chriſto conſiſtit. Iuxta illud 1. ad Epheſ. Ante iacta mundi fundamenta electi ſumus in ipſo, &c. Facilè intelligimus iuſtificationem quo ad naturam præceßiſſe non modo noſtra merita verumetiam mundi conſtitutionem. Sed quod attinet ad finalis conſiſtentiæ medium: ſunt præcepta domini, ipſa nempe mandata eius, vt eum ex toto corde & omnibus virib. & ex tota mente diligamus & complectamur, & proximum ſicut noſmetipſos: vnde bona opera fluunt, quibus mediantibus noſtram dilectionem erga proximum exprimimus. Huius rei finalis conſiſtentia iuxta illud qui perſeuerauerit vſq; in finem ſaluus erit, eſt mediū felicitatis vltimæ. Ita ſapiens facilè concordare poteſt, & conciliare diſſenſionem articuli iuſtificationis, & ad eundem modum in cæteris facultatibus ſimiles caſus. Drymus. *Quæro quomodo corpora ſenſibilia reſur-*

gere poſſint: quandoquidem ſenſibile corruptioni ſit obnoxium: ac econtrà fides doceat carnis reſurrectionem. Sequi videtur illam reſurrectionem inſenſibilem fore non ſenſibilem. OLISTVS. *Carnis reſurrectionem fide appræhendimus, eamq́ ſenſibilem fore affirmamus, non tamen inde ſequi corruptibilem: quæ homini contigit propter præuaricationem primi parentis. Quamobrem & imperfectæ naturæ dictus eſt. Quæ quidem imperfectio in poſteros migrauit, mortales quoque & corruptibiles effecit. In reſurrectione autem ipſum mortale, mutabitur in immortale: & corruptibile in incorruptibile, ſicut Epiſtola ad Hebræos teſtatur: quod eò futurum eſt: ſiquidem imperfectio naturæ ad perfectionem rediȷt. Quare & perfecti dicentur. Siue fruantur æterno gaudio: ſiue perpetuis tormentis ſubȷciantur: perfecti vtrinque ſunt. Neq; inſenſibiles ſed ſenſibiles.* Senſibile *enim non eſt cauſa corruptionis: ſicut in cœlo quod ſenſibile eſt, & in orbibus cœleſtibus corpora ſimplicia ſunt: ita & in homine futura ſunt ſimpliciſſima: ſenſibilia tamen: nec ideò corruptibilia.*

De medio diſiunctionis, continentis, participantis, comitantis, &c.

CAP. XXIII.

OLISTVS. *Medium diſiunctionis eſt omnis diuerſitas, inæqualitas & diſsimilitudo: vt inter hominem & aſinum medium diſiunctionis eſt intellectus ſeu ratio et brutum. Inter cœlum & hominem medium eſt ſimplex & compoſitum. Medium menſurationis eſt quo quicquid in rebus eſt metimur. Ita in circulo punctus eſt medium menſurationis. Ita meridionalis circulus eſt medium menſurationis. Ipſo enim mediante, partes tēporis aſsignamus: ita æquinoctialis metitur gradus Eclipticæ aſcenſiones & deſcenſiones ſtellarum et ſignorum, earumq́ recti-*

rectitudinem & obliquitatem. Tempus quoque ipſum, horas, minuta & ſecunda. Similiter eleuationes poli, axis. Pari ratione latitudines, nunc æquinoctialis, nunc Poli, Zodiaci & ſimilia. Medium extremitatum ſunt omnes morales virtutes, quæ inter duo extrema, hoc eſt, vitia cõtinentur. Similiter linea eſt medium inter duo extrema puncta. Ita clauus eſt mediũ inter duos aſſeres: eſt etiam mediũ coniunctionis cùm coniungit. Ita bitumen dũ coniungit duo extrema, eſt mediũ coniunctionis: cùm verò cõtinet extrema eſt mediũ extremitatum. Ideò nunc ratione contenti: nunc ratione continentis dicitur. Medium continentis eſt id quod continet: vt liquor in vaſe, Diogenes in dolio, Marcus in naui. Medium verò cõtenti, ſunt termini ipſius intra quos manet, vt aqua quæ ab alueo cõtinetur, ea ratione qua contentũ eſt mediũ ſuos terminos, quibus terminatur. Ita menſura vini in vaſe mediũ habet, ſuos terminos vtpote menſurã Medium participantes et participati nihil aliud eſt quàm mediũ actionis & paſsionis: ex parte quidẽ participantis, vt pars: ratione participati, vt totũ. Vt bibens vinũ, partẽ vini bibit: is tamen qui bibit, totus bibit. Neq; enim poteſt ſecundũ partem bibere. Ita ſi quis vulnus alicui infligit, ex parte quidẽ id facit ratione participantis: participatum tamen totum dolet. Ille quidem partem tetigit: ſed qui tactus eſt totum poſsidet. Hinc naſcitur ipſum comitans, velut riuulus medij. Talis eſſe poteſt fortuna, quæ dũ alicui adeſt eumq́ comitatur: ad ſumma rerũ faſtigia peruenire poteſt. Meritò igitur fortuna mediante velut comite id acquiſiſſe dicitur. Idem de caſu dici poteſt, Infortunio & ſimilibus. Dum enim aliquem fortuna inſectatur: dicitur eũ comitari infortunium. Riuus medij coniungens eſt connexio debita duorum aut pluriũ in vno ſubiecto, proùt ſuperiùs dictum eſt. Ita coniungit honeſta actio vtilitatem, honeſtatem & probitatem. Sic rectè dicit Cicero. Nihil honeſtũ, niſi quod vtile: neq; vtile quod non honeſtũ.

Cen-

Centrum eſt riuus menſurationis, quo mediante circumferentiæ qualitas diſcernitur. Sic dicimus terram æqualiter vndiq; à cœlo diſtare. Fortuna eſt riuus medij qua ipſa materia eſt, aut ſimplex actus formarũ: Vt quod carbunculus ſit mediante forma carbunculi eſt. Sic quod homo ſit: ipſa ὁμοιότης *in cauſa eſt, hoc eſt, ſimilitudo morum & animorum. Eam ob cauſam Ariſtot. hominem definiuit eſſe animal politicũ, hoc eſt, ciuile. Dignitas eſt riuus medij qua res ſubiecto conuenientes dignitate differunt: Vt Saturnus et Sol ſunt quidem ſtellæ: alter tamẽ ab altero dignitate differt. Ita Rex & cliens conueniunt quidem ſubiecto, vtpotè in homine: ſed differunt dignitatis medio. Inſtrumentum eſt riuus medij: quo naturæ ſiue artis potentia ad actum deducitur. Ita faber mediante ſecuri, ſerra & ſimilibus opus ſuum perficit. Ita anima per neruos opticos pelliculã oculi, humores & ſimilia viſionem parit. Mediũ fluens eſt riuus medij quo aliquid ex eſſe in non eſſe labitur, atque huius generis eſt corruptio. Medium verò refluens nihil aliud eſt quàm ex ipſo non eſſe ad eſſe reductio: qualis eſt ſimpliciter ipſa generatio. Inde patet quid propriè mediũ ſit: quomodo ad hoc medium principium & finis requiratur quod nimirum ſe mediante, principiũ cum fine connectat. Ita mediũ viſus propriè eſt, per quod organũ & ſubiectũ ipſum copulantur & coniunguntur. Talia media ſunt criſtallũ, aër, aqua & quicquid perſpicuũ eſt. Huius medij integra & perſpecta cognitio ex collatione differentiarũ inter reliqua media pendet. Reſtat vt de organo dicamus: ſed tempus me auocat, vbi autem rediero reliqua abſoluam.*

PAV-

PAVLI PRINCIPIS DE LA SCALA ET HVN. MARCHIONIS VERONAE, &C. DOMINI CREVTZBVRGI IN PRVSſia. Miſcellaneorum de rerum cauſis & ſucceſsibus, Liber tertius.

DE MODO AVTHORES INCHOANDI, ET DEfinitione Sphæræ.

CAPVT I.

DRrymus. *Ambulationis antemeridianæ tempus iam præterijt:imò & pomeridianæ ſeßionis. Quare non parum vereor tibi,ne ſeriùs hinc ſoluens incidas grauiores in vndas. Expertus ego ſum, difficultatem peregrinandi, & hoſpitum inhumanitatem,ſcorpionumq́ue caudam ferientem. Antequam verò cras, mane clarum feneſtras intret:omine bono,iter diei arripies,& len to gradu primum abſolues.Interea nobiſcum manebis nam & adueſperaſcit. Hoc ſi placet conſilium, & flecti pateris:paucula quædam in Mathematicis vt diſcutias vnà cum Symbulo etiam atque etiam rogo.* OLISTVS.*fiat vt placet.* Drymus. *Hactenus facilè potui aduertere,ad ſtudium Encyclopædiæ Mathematicam diſciplinam plurimum conducere:ſed in ea labore proprio vix peruenire ad frugem me poſſe exiſtimo.Quidam enim in veſtibulo, auditores plus æquo detinent: quidam gradientes ima vertunt veſtigia cauda:quidam quaſi fulmine deiecti, fundo voluuntur in imo. Hic ergò tuo vterq́; & conſilio,& auxilio egemus.* OLISTVS. *In enarratione authorum artes docentium vti intempeſtiuũ ſic inutile eſt auditorem multis parergis in veſtibulo detinere. Siquidẽ ars longa,vita verò breuis:deinde ad comparandam perfectam ar*

tis alicuius cognitionem bona artis definitio nō parum valet. Hæc ex genere proximo & ſua differentia conſtat. Ad inueſtigandū genus proximum eiuſque differentiam, prodeſt à communiori retrogredi, omnia rimari, quò ad proximum ſe obtulerit. Exemplum in Mathematicis dabo, vt ſenſim vobis ad hoc ſtudium aditus pateat. Sphæræ Genus proximum eſt ſcientia naturalis. Differentia eſt proportione cauſæ contineri. Inde bona & dilucida extruitur Sphæræ Definitio. Sphæra eſt ſcientia naturalis quæ proportione cauſæ continetur. Seu Sphæra eſt ſcientia naturalis quæ diſſerit de proportione Geometrica appropriata: ſiue vendicata: quæ ſe tanquam cauſa ad effectum, habet, reſpectu eiuſdem. Symbulus. *Rectiſsimè docet Oliſtus, πάρεργα ſiquidem nihil ad rem faciunt, eſſe vitanda.* Drymus. *Illuſtratio multum prodeſt ad rem recte intelligendam: ergo etiam πάρεργα, ſiquidem ſunt ſimilitudines quædam, quæ etſi ſunt extra propoſitum: alliciunt tamen hominem, & ita neutiquam πάρεργα inutilia ſunt* OLISTVS. *Illuſtratio & inuitandi illa facultas ornat: adfert etiam vtilitatē: ſed ſui ipſius, non propoſitæ rei. Quo fit vt ad propoſitum negotium ea quæ extra propoſitum ſunt, vitari debent.* Drymus. *Multorum ac diuerſorum hominum iudicia in auſpicandis authoribus ſunt conferenda: ergo malè faciunt qui negant πάρεργα.* OLISTVS. *Diuerſitates opinionum requiruntur ad cognitionem veram alicuius rei: eò vt veluti ex colliſis ſilicibus veritas emicare queat. Quæ collatio cū longè aliena ſit à parergis, πάρεργα reijcienda ab eo propoſito ſunt.* Drym *Variæ opiniones iuuant: ergo pro ſunt* Symb. *Verū eſt in parergis ſæpius tractātur opiniones: ſed nō ad rē. Nā ſi ad propoſitū ſunt, iā non ſunt, dicēda parerga.* Drym. *Initiū eſt obſcurius & difficilius: ergo exquiſitiori explicatione opus eſt in veſtibulo. Nam crebra & diligens inculcatio iuuat diſcētem. Et maximè* ταυτολογία *opus eſt: videlicet eiuſdē ſentētiæ, per*

alia

alia atq; alia verba repetitio:rectè vtiq; auditor in veſtibulo detinendus eſt. OLIST. In veſtibulo operæpretiũ eſt res neceſſarias & elemẽta artis ꝑtractare, vt ex abũdanti inculcatione progreſſus eiuſdẽ artis formari poſſit. Sed ea q̃ non pertinent ad rẽ, velut inutilia & q̃ impediunt diſcentẽ, vitanda ſunt. Drym. Parerga cẽſes vitanda? ergo & crebrã repetitionẽ lectionis. OLIST. Malè inferſ. crebra enim lectionis repetitio cõducit ad memoriã ad iudiciũ, & genuinũ ipſius rei intellectũ: Quo fit vt maximè ad propoſitũ ſit & diſcentib. non modo vtilis: verumetiã neceſſaria. πάρεργα verò ſunt extra propoſitũ id eſt ad rẽ non ꝑtinentia: vitãda ideò & fugiẽda. Drym. Dixiſti artẽ longã, vitam breuẽ. Hæc quid? cũ finiti ad infinitũ nulla ſit proportio. OLIST. Etſi vita admodũ breuis ſit, ars verò lõga, ita vt quiſpiã perperã ſe torqueri in artib. exiſtimet: Id tamẽ expedit & neceſſariũ eſt vt nos in hac vita actiua exerceamus, in bonis actionib. & conuerſationib. artibus & ſcientijs: propter maiorẽ aptitudinẽ vitæ contẽplatiuæ. Drym. ceſſante cauſa ceſſat & effectus: ergo ceſſante homine, ceſſat & ars. Quid hæc ad contẽplationẽ? OLIST. Efficiens cauſa bifariã conſideratur ſimpliciter & ſecundũ quid. Illo modo intellectus eſt cauſa & nõ moritur: viuit perpetuò vna cũ arte: hoc modo cauſa efficiẽs eſt collectio multorũ hominũ in hac vita actiua exiſtentiũ: q̃ cum ſit momẽtanea, reſpectu huius vitæ ars lõgior q̃ vita hominũ erit. Drym. Nemo hominũ perfectã alicuiꝰ rei cognitionẽ habet, & cõſequi poteſt: ergo Oliſte qđ ſuperius dixiſti nõ conſtat. OLIST. Perfectio bifariã conſideratur, abſoluta & vltima: q̃ nemo niſi poſt hæc funera cõſequitur. Alia dicitur reſpectiua & actiua qua eruditio ipſa & p̄mia in hac vita actiua diſcernũtur: ratione cuiꝰ & gradꝰ cõparationis ortũ ſuũ habent. Drym. Aiebas eſſẽtiales definitiões nos habere: obſecro quomodo? ſiquidẽ veras differẽtias nõ habemꝰ. OLIST differentiarũ verarũ nõ niſi nomina nobis deſunt. At ne hæc quidẽ

prædicabilia cuilibet prædicamento ineſſe cognouerimus, & inquirendi methodum: de qua ſuperius in Encyclopædia plura. Drymus *Sphæræ genus eſt primũ mobile: Sed primũ mobile cõprahenditur ſub Aſtronomia: ergo Aſtronomia eſt genus Sphæræ. Ea enim q̃ in ſphæra tractãtur ratiõe primi mobilis tractãtur: ergo primũ mobile eſt ſubiectum.* OLISTVS. *Subiectum multifariam conſideratur. Nam aliud participatiuum: aliud collectiuum: aliud integrũ: aliud ſolidum: aliud concauum & connexum: aliud vltimum: aliud remotum: aliud verò proprium & proximum eſt. Ideò Ens mobile Sphærices ſubiectum participatiuum erit: quod & cum alijs ſcientijs naturalis philoſophiæ aliquid commune habeat. Proprium autem finem & proprium genus Sphæræ dicimus quantitatem continuam proportione cauſæ contineri.* Drymus. *Anguſtiora ſunt declaranda per communiora: ergo non debemus retrogredi à communiori ad anguſtius.* OLISTVS. *In æquiuocis multiuocis, & ſynonimis & homonimis & difficilioribus locis, certitudinis cauſam oportet à communiſſimis petere.* Drymus. *Hæc definitio veſtra parit obſcuritatem: ergo eſt vitanda.* OLISTVS. *Definitiones veræ quæ ſuo genere & propria ac proxima differentia conſtant, rem ipſam ſolæ aperiunt: quarum deſcriptiones à longinquo velut per tenebras cognitionem adferunt. Ideò illæ totum negotiũ complectuntur: hæ verò negotij ſaltem extrema pertractant.* Drymus. *Sphæricam diſciplinam, ad quam partẽ philoſophiæ refers?* OLISTVS. *Cùm partes aliæ ſint eſſentiales, aliæ integrales, Sphærica diſciplina erit pars philoſophiæ integralis: ſine qua naturalis philoſophia conſtare nequit. Nam hinc dimenſiones corporũ petuntur, quæ vel ſolæ cauſæ corporis exiſtunt: quod quidem ſubiectum eſt potiſſimum naturalis philoſophiæ.* Drymus. *Scientia eſt æternorum: Sphærica corruptibilium: ſiquidem oritur ex cauſis phyſicis: ergò non eſt ſcientia.* OLISTVS. *Ars Sphærica quẽadmodum*

admodum & reliquæ habet adæquatas cauſas primis cauſis & ſimplices. Quare vtræque perpetuæ ſint oportet. Corruptio verò & generatio: argumentatio & diminutio ſecundis cauſis adſcribitur, quæ locum habent in elementatis. Drymus. *Sphærica non operatur aliquid naturale: ergo non eſt ſciētia naturalis.* OLISTVS. *Naturalia trifariam conſiderantur, quò ad ſe ipſa & propriū curſum, vt eſt ſimile producit ſibi ſimile. Deinde ſecundum naturam quæ naturæ non aduerſantur: ſed ad ſimilitudinem earum quæ inſunt, ſtatui poſſunt. Tertiò præter naturam quæ præter curſum naturæ (vt ſunt monſtra) aliquando contingunt. Et hæc omnia naturalia dicuntur, quæcunque non ſunt contra naturam, aut ſupra naturam. Hinc eſt vt circuli Sphærices naturales omnınò ſint.* Drymus. *Quantitas eſt accidens: ergo Sphærica ſcientia eſſe non poteſt.* OLISTVS. *Subſtantia bifariam conſideratur: primò dū ſubſtantia prædicatur de ſubſtantijs: ſubiecta tamen accidentibus vt homo eſt albus. Secundò quotieſcunque prædicatio fit in ſuò genere: ſiue id in Quantitate: ſiue in Qualitate retinet vim ſubſtātiæ. Atque Qualitas & Quantitas accidentia ſunt in commixtione elementorum. Quantitas tamen & reliqua prædicamenta ſubſtantiæ ſunt ratione primorum corporum, & proportionis: quam magnitudo virtutis, reſpectu magnitudinis molis habet.* Drymus. *Res naturales non ſunt perpetuæ ſed caducæ: ergo Sphæricæ non poteſt dici ſcientia. Infiniti enim nulla ſcientia.* OLISTVS. *Infinitum bifariam conſideratur, actu & potētia. Actu infinitum in rebus naturalibus non datur: potentia tamen & id quidem reſpectu noſtri: non reſpectu naturæ conceditur. Finitum actu eſt duplex Finitum intelligentiarum: hoc eſt definitiuum: & finitum Dei hoc eſt repletiuum.*

De præſtantia vſus & præceptorum: Item de genere Sphærices. CAP. II.

OLIST. *Sicut linguæ ex vſu probatorumq́; authorũ lectione certius diſcũtur, q̃ grammaticorũ præceptis: ita qui ſemper animũ ad demõſtratiua refert: verius iudicat q̃ qui in probabilibus tantũ hæret. Quod enim vſus in linguis addiſcendis: id penitior rerũ inſpectio in reb. dijudicandis præſtat. Quãdo itaq́; rem de qua tractamus rectè introſpicimus: non tantũ quid ſit: ſed quid ab alijs differt manifeſtè videmus. Differt aũt Aſtronomia, Aſtrologia, & ſphærica, quòd aſtronomia ſit lex quædã de ſyderũ motibus: Aſtrologia nimirum eorũ interpretatio: Sphærica verò aditus ad illas. Licet quidã Aſtrologiã de motu aſtrorum diſſerentem: Aſtronomiã verò de iudicijs ad vitam fortunamq́; pertinentibus arbitrentur.. Inde apparet vanã eſſe ſententiam eorum, qui dicunt Sphærã eſſe Aſtronomiam vel Aſtrologiã. Quod autem quidam Euclydis & Theodoſij definitionem eſſentialẽ probant: errare nobis videntur. Genuina enim definitio non eſt: ſed potius deſcriptio. Indicat nanq́; circa quid Sphæra verſetur nẽpe circa orbiũ cæleſtiũ diſtinctionẽ.* Symb. *Rectè dicis Oliſte. Vſus enim citius rẽ in actũ transfert q̃ præcepta: ergo p̃ſtantior. Immutabiliter etiã vera certiꝰ probãt contingentib. Vſus quoq́; & demonſtratio ſimilẽ ſuis actib. effectũ habent: Quare ex reſpectu. Demonſtratio idẽ p̃ſtat quod vera definitio. Aſtrologia, Aſtronomia & Sphærica diſſimilia habent obiecta: ideò differũt. Qui res nõ declarant proprio genere & differẽtia: deſcribunt nõ definiũt. Sphærica reuera principaliter & propriè orbiũ cœleſtiũ diſtinctionẽ tractat & docet.* Drym. *Naturáne an arte certiores ſumꝰ* OLIST. *Inſtitutio naturæ ſimul ſurgit cũ vſu: & vſu ipſo excitatur vis & igniculus naturæ ad ap̃p̃hendendum & cõprobandum id qđ quoquo modo ſe offert. Quo fit vt p̃cepta artis tã diu neceſſaria ſint & iuuẽt quouſq́; inſtitutio natu-*

naturæ expolita fuerit. Tum demũ omnia pcepta naturæ ſuperat, & ſuapte natura, regit & gubernat & pro neceſſitate noua præcepta & principia inſtituit. Id quod licet in principibus leges condentibus videre: qui pro commoditate & temporis reſpectu, aut legem ſtabilire: aut legibus contradicere, easque abrogare, & nouas condere poſſunt. Drymus. *Probabiliáne an demõſtratiua clariùs docent?* Symb. *demonſtratio certius iudicat, etiamſi obſcurius: licet probabilia clarius & manifeſtius.* OLIST. *Manifeſtũ eſt, accidẽtia ipſa rẽ illuſtrare, & eſſentiam alicuius rei conijcere, & quandã viam ad intelligendas rerũ eſſentias ſtruere, atq; probare id quod mente concepit aut coniecit. Ideoq́ & clarius docere & manifeſtius intelligere quæ circa rem ſunt poteſt: veluti cuius proprium eſt rei circumſtãtias perſcrutari. Porrò rei certitudinẽ inueſtigare: nõ aliundè fieri poſſe, q̃ per Demonſtrationẽ manifeſtũ eſt. Scire enim eſt aliq̃d per cauſas cognoſcere: neq; dubiũ eſt quin aliquid difficultatis hic modus includat: plurimũ tamẽ certitudinis adfert, & ipſius rei eſſentiã q̃ circumſtãtiæ cõijciebãt, penetrat & eruit.* Drym. ὁμοιότης *eſt q̃ diſſimilitudinẽ non habet Vſus verò ſiquidẽ fit ſecundum coſuetudinẽ cõmunem: demoſtratio autẽ ex cauſis certis: malè eundẽ horum reſpectum poſuiſtis.* Symb. *Similitudinẽ dico inter vſum bonorum authorum & animi relationẽ ad demonſtrationem.* Drym. *Proportionem habes cõfuſam. Etſi enim obſeruatio fallat plerunq́. Certum tamẽ eſt id vnde ſumitur obſeruatio.* OLIST. *Ratio loquendi & formulæ ex pbatis authorib. deprõptæ certæ ornatæ, & elegantes ſunt: neq; ea ratione ad grãmaticum ſpectant, ſed ad hiſtoricum. Lex deinde terminationis & flexionis q̃ inde ſumitur, aliquo modo vera eſt: nõ tamen in vniuerſum. Nam etiamſi feneſtra aut regula q𝔡 in a deſinãt fœminina eſſe dicamus: eò quod à pbatis authorib. ſic in vſu reperiãtur: nõ tamẽ omnia nomina in a fœminina ſunt q̃ pari ratione ex probatis autorib. cõſtant, vt poëta.*

Hinc

Hinc eſt, vt grammatica præcepta quæ leges ſunt & non formulæ dicēdi ſicuti in quibuſdam certæ: ita in pluribus incertæ ſint. Drymus. *Antè conceſſum eſt obſeruationē fallere: ergo linguæ exquiſitius ex grammaticorum præceptis diſcuntur. Siquidem Grammatica eſt certa ratio loquendi: vſus verò obſeruatio. Deinde ars eſt præſtantior vſu, quòd hic longo, illa exiguo tempore acquiritur.* Symbulus. *Obſeruatio artis fallit: non naturæ.* Drymus. *Definitiones pleræque ſunt probabiles: ergo Demonſtratio & definitio differūt.* Symbulus. *Loquimur de eſſentiali definitione non accidentali.* OLISTVS. *Eſſentialis Definitio propriè conuertitur cum propoſitione demonſtratiua: Imò hæc ex illa naſcitur. Quod autem & reliquum Genus Definitionum eo nomine vocitetur: videlicet Definitionis: id fit ob appellationis figuram: hominibus perſpicuis valdè communem. Definitionis enim nomen non niſi conſtructioni ex vera ac propria Differentia atq; genere tribuitur. Quicquid extra hoc eſt: deſcriptionis potius quàm definitionis nomē ſortitur.* Drymus. *Occurrit & illud Quintiliani quod antea dicere debebam, Grammaticam eſſe neceſſariam pueris, & ſenibus iucundam: ergo in Grammaticis potius per omnem ætatem hærendum, quàm, vt aiebatis, deſiſtendum ab eius ſtudio erit.* Symbulus. *Quintilianus non modò Methodicē: ſed hiſtoricem quoq; & Poëſin nomine Grammatices complectitur.* Drymus. *Grammatica eſt fons: ergo ſemper in ea hærendum.* Symbulus. *Fons bifariam cōſideratur: primo vt exordium. Deinde vt ſubiectum alicuius rei.* OLISTVS. *Grammatica fons intelligitur velut veſtibulum initium & exordinm tyronum Sicut in tyrocinio non ſemper deliteſcēdum: ſic in Grammaticis præceptis nequaquā perpetuo hærendum: quin potius ad fontem properandum Subiecti & finis: quem vt exhaurire per omnem vitam nemo poteſt: ita in eo ſemper & diligentiſſimè verſandum eſt.* Drymus. *Rurſus ad incertitudinem vſus*

venio

venio.*Multorum autorum lectio diuerſa eſt:ergo & vſus in diſcendis linguis eſt incertus.*Symbulus.*Quòd ſit diuerſitas autorum, nō tempori eſt aſcribendū,ſed hominum iniquitati.*OLISTVS. *Vſus per ſe certiſſimus iudex eſt:etiamſi interdum quædam particularia accidunt,quæ videntur officere vſui: non tamen officiunt. Quapropter idem vſus præſtat certitudinis in linguis:quod demonſtratio in rebus.Quanquam Grammatica præcedat vſum ſeu certitudinem naturæ : id tamen non ordine naturæ prius eſt intelligendum,ſed potiùs doctrinæ:propter adiumentum, quod ars præſtat naturæ.*Drymus.*Vi ingenij linguas ipſas rectiùs conſequimur,quàm vſu.Rectiùs ergo proportione ingenij ad iudicandas res quā proportione vſus incitamur.* Symbulus.*Vis illa ingenij nihil prodeſt abſq; exercitatione:quare rectius exercitationi aſcribitur.Exercitatio autem eadem:qui eſt vſus* OLISTVS.*Vis ingenij maximè accommodata eſt ad penitiorem conſiderationē, & rerum dijudicationem:ſed propter lapſum exercitatione eget.Quæ cùm vſu conſtet,veluti magiſtro:ad conſequendas linguas,vtique accōmodatior:proportio vſus ad meditationem & κριτήριον,quàm φύσεως eſſe debet.Sed in opponendo obſerua, quòd ratio ſumatur à ſubiecto:rationis ratio à prædicato.*Drymus.*Præterea Aſtrologiam ab Aſtronomia diſcreuiſtis: Cicero autem Aſtrologiam regulam aſtrorum cùm appellat: non video quid differant: niſi fortè quòd vos legem,Cicero regulam nominat.*Symbulus. *Vtraque verſatur circa motum ſyderum,ſed Aſtrologia abſolutè eorū vim: Aſtronomia verò reſpectiuè tractat,Vt rectè dicas Aſtrologiam de motu aſtrorum Simpliciter diſſerentem:Aſtronomiam verò ſecundum quid:videlicet præter motum,& de iudicijs ad vitam fortunamque pertinentibus.Ideò & legem ex Syderum motu elicitā ac extractam hominibus præſcribit.*OLISTVS. *Etſi à multis Aſtrologia & Aſtronomia indifferenter ſumatur:ea tamen con-*

fuſio admodum inepta eſt. Aſtrologia enim conſiderat ſimplicem motũ aſtrorum: neque expendit, quid hæc aut illa portendant: neq; iudicio humano ſubijcitur, vt ab eo aut flecti: aut impediri quoquomodo poßit, ſed propriè circa mot⁹ eiusq́; explicationẽ verſatur. Cæterũ Aſtronomia lege naturæ hominibus quæ immineant oſtendit ex circulorũ proportionibus, planetarũ receptionibus, virtutibus partiũ influentiarũ, luminis &c. quæ obeſſe, queue prodeſſe poßũt, ex temporum ſucceſſu, & diſtantia aſtrorum, prædicit. Drymus *Quod ſubiecto conuenit: reipſa vtiq;: ergo Aſtronomia, Aſtrol. & Sphæ. ſiquidem verſantur ſimul circa climata, plagas, Zonas &c. cõueniunt.* Symb. *Verſantur ſed diuerſo modo. Aſtronomia enim circa vires: Aſtrologia circa naturã: Sphærica circa diſtinctiones verſatur.* Drym. *Venio ad definitionem. Definitio tam Theodoſij quàm Euclydis indicat, circa quid Sphæra verſetur: quid igitur, quòd diſtare eas putas?* Symb *Bifariã circa quid verſari conſideratur: Simpliciter, per ſe ſiue eßentialiter: & ſecundum quid, accidentaliter, ſiue extrinſecus.* OLIST. *Omnis definitio verſatur circa aliquid, ſiue ea ſit ab affectibus : ſiue à circumſtantijs, ſiue à proprio, ſiue ab accidente: at ſuo modo, nempe accidentaliter. Porrò definitio, eſſentialis, intrinſeca & quæ rem ipſam declarat, circa ſuſtantiam rei eiuſq; eßentiam verſatur: quam cùm neque Euclydis neq; Theodoſij Definitio habeat: vtiq; potius deſcriptiones quã definitiones dicendæ ſunt.* Drym. *Euclydes vſus eſt Definitione formali: ergo non deſcriptione.* Symb. *Formalis & accidentalis definitio, nõ niſi in varijs circũſtantijs diſcernũtur. Hinc eſt vt formales & accidentales eædẽ ſint. Quãuis apud Thomã & Scotum, formalis ꝓ eßentiali ſumatur: id tamen impropriè* OLIST. *Multitudo errantiũ nõ parit patrociniũ errori.* Drym. *Quid ꝑ cauſam intelligebas?* Sym. *cauſam impoſitionis.* OLIST. *Triplex eſt cauſa à priori vnde ſciẽtia: à poſteriori vnde experiẽtia: Ab impoſitiõe vnde methodus.*

De ratione proceſſus ſeu ordinis quo vtimur in Sphærico inſtituto. CAP. IIII.

OLISTVS. *Id maximoperè requiritur in veſtibulo alicuius ſententiæ: vt breuiter Lector totius inſtituti complectatur rationem: & velut exemplar quoddã diſcentibus ob oculos ponat: quo paucis rẽ totã concipiant & quid inde ſpectandũ ſit intelligant. Idem in hoc opere Sphærices facere admodũ vtile eſt. Cùm igitur author ſecuerit totam tractationem in quatuor capitula: ratio inueſtiganda eſt eius partitionis. Aliam aũt & quidẽ cõmodiorem aſsignari vix poſſe arbitror: quã quòd primo ſubiectũ in rebus vel ſimilitudo diſpiciẽda ſit. Ideò ſiquidẽ Sphærica diſciplina de circulis diſputat, circulorum poſitionem in natura cum primis oſtendit, quid Sphæra ſit deſcribit: Polos polorumq́; axin annectit: Centrũ in terra ſtatuit: Numerũ Sphærarũ adducit: & formã mundi adſcribit. Atq; hæc omnia præter axin: quæ imaginaria eſt reuera exiſtũt. Hinc eſt vt rectè ſimilitudine circulorũ naturã & formã mundi exponit. Atq; id ſecũdo libro aptè cõplectitur: vbi & verũ initiũ & propoſitũ artis poſitũ eſt. Et quandoquidẽ ob diuerſitatẽ circulorũ, diuerſæ ſint poſitiones & motus orbiũ cœleſtiũ: ratione item primi mobilis diuerſi cũ ortus tũ occaſus ſe offerant: diuerſitas vtiq; dierũ & noctium, tã naturalium, quã artificialiũ inde nõ obſcurè patebit. Non minùs ex hac diuerſitate poſitionũ & climata ipſa dependẽt. Eam ob cauſam tertius liber de effectibus, qui ex multiplici hac poſitione cauſatur, docet. Porrò quoniã circuli nihil aliud ſunt, quã orbes aut planetarũ aut firmamenti, de quorum natura haud tractare quiſpiam facilè poterit, ſine planetarum cognitione. Ideò neceſſario & de planetarũ virtute, motib. atq; Eclipſiũ natura diſſerit, parans aditũ ad penitiorẽ Theoricarũ Speculationũ intellectum.* Drym. *ſummã artis in veſtibulo omittere, ne diſcentib. nauſeã moueat, mea quidẽ ſentẽtia cõducit.* Symb. *argumentũ*

æquans artem vtile eſt: plus autem complectens, nocet. OLISTVS. *Argumenta cuiuſlibet operis cùm nihil aliud ſint, quàm breues & ſuccinctæ theſes & axiomata: vtique improbari non poſſunt. Nam ſine argumento, vt ſine narratione & propoſitione, oratio alicuius operis, muta ne dicam, inutilis eſt: Contrà, vbi ſuperabundauerit, ratio argumenti, & confundit partes tractandas: iã non argumentum, ſed commentum dicetur.* Drymus. *Res ante enarrationem & expoſitionem intelligi nequit: ergo diſcenti ſumma artis in veſtibulo minimè proponenda: quam nec intelligere, neque appræhendere poteſt.* Symbulus. *Summa alia inchoationis: alia executionis eſt.* OLISTVS. *Argumentum non aliam ob cauſam diſcenti proponitur, quàm vt habeat velut ob oculos poſitũ quid ſpectare debeat, & de quibus dicendum ſit. Atque hæc cognitio vocatur confuſa ſeu ex ſubiecta materia, vel vt alij volunt reſpectiua. Quod autem attinet ad cognitionem diſtinctam finalem & abſolutam: diſcẽs eam non niſi cõſummato opere intelligit.* Drymus. *Argumentum igitur quomodo ab initio tractandum?* Symbulus. *tanquam pugillum in ſe contractum: quando explicitum non niſi ſuo loco declarandum ſit. Siquidem argumenti ſenſus, eſt propoſitum rei: Operis verò, interpretatio propoſiti dicitur. Quòd autem cuilibet capitulo propoſitio præfigatur : fit ratione ordinis & memoriæ, ne rationes confundantur.* Drymus. *bona diſtinctio bimembris eſſe debet: quî fit quòd hæc librorum diuiſio numerum excedat?* OLISTVS. *Diuiſio bifariam cõſideratur, propriè & impropriè; ꝓpriè, cũ genus ꝑ differentiã diuiditur in ſpecies, atq; illa diuiſio ſemper eſt bimẽbris: Impropriè cũ aut ab enumeratione partiũ: aut ab enumeratiõe circũſtantiarũ: aut accidentiũ deſumitur, Atque hæc non opus eſt, vt ſit bimẽbris: etiamſi ad bimembrem reduci poſſit. Sicut hi quatuor libri ad duos, vtpotè ad mouens & mobile.* Drymus. *Dicebatis præter axin reliquã dari in natura.*

natura. Autor Sphærices neque principia, neque cauſas: nullos etiam effectus eorum ponit: Quomodo ergò in natura ſint non video. Symbulus. *Explicitam non facit mentionem: implicitam tamẽ continet.* OLISTVS: *Etiamſi expræſſè cauſam circulorum nõ aſſignat: id tamen cùm diſſerit de Sphæra mundi, de numero & natura Sphærarum molitur: vt intelligamus circulos Sphæricos, ad ſimilitudinem naturalium.* Drymus. *Circuli Sphærices phantaſtici ſunt: ergo in natura non ponuntur.* OLISTVS. *Siquidem natura ad ſuam ſimilitudinem producit artem: vtique ars non ſecus quippiam conſtituit, quàm vt aut ſimilitudinem naturæ explicet: aut naturæ adminiculis ipſi naturæ ſeruit. Deinde nulli ſunt circuli ſuperficiales, ſed lineales: Quoniam Sphæra ſuperficiei natura ſub ſe compræhendit & linearum circulos, ſenſui non niſi per reſolutionem ſubijciuntur. Vt enim ſuperficies reſolui in lineas poteſt: ita de ſimilitudine linearum ſeu circulorum cœleſtium diſſere.* Drymus *Finiti ad infinitum nulla proportio: ergo non poteſt ad ſimilitudinem Sphæræ materialis effingi naturalis.* Symbulus. *Antecedens eſt intelligendum de actu totius: nõ autem de potentia partis.* OLISTVS. *Finiti ad infinitum proportio, cùm ſecundum actum ac totum conſideratur, nulla in rerum natura datur: Sed quatenus ſcimus finitum ab infinito dependere* συνεκδοχικῶς, *participatiuè & communicatiuè proportionem dare poſſe, haud obſcurè patet: præſertim ſi animum humanum, & intellectum cum intellectu diuino conferas.* Drymus. *Cur hîc de Aſtrologia tractatur?* Symbulus. *Vt auditor ad profundius de Theoricis planetarum ſtudium inuitatus, promptior fiat.* Drymus. *Cur item à circulorum poſitione motum cauſari aſſeruiſtis: cùm à primo mouente oriatur?* Symbulus. *à primo mouente procedit motus: à circulis verò continuatur.* OLISTVS. *Omnes motus oriuntur à primò, vnde & rapiuntur cum eo ab ortu in occaſum: Cæterum natura in-*

diuidui permittitur, vnde proprij motus planetarum ſunt: qui contra primũ nituntur. Drymus. *terræ dimenſionẽ ad Geometriã retuliſtis: quare igitur in Sphæricis docetur.* Smyb. *Dependet quidẽ menſura terræ à Sphærica eaq; ratione hic tractatur, ſed eius operatio ſeu conſtitutio ad ſolã Geometriã pertinet.* OLIST. *Siquidẽ de circulis & Geometer & Sphæricus artifex tractare poteſt: ſciendũ eſt quod in Sphæra, circulorũ tractatio ꝑ orbibus eorumq; ſimilitudine: in Geometria autẽ pro figuris cæteriſq; lineamentis accipitur. Quare dimenſio diametri & ſi reuera ad Geometriam pertineat: ſuo tamen modo & ad Sphæram referri poteſt.*

De Sphæræ definitione.
CAPVT IIII.

OLISTVS. *Siquidem Sphæra multifariam conſideratur, operæprecium eſt, eas aliquo modo diſtinguere: quò ſtudijs melius cõſulere queamus. Sphæra itaq; alia naturæ, alia eſt artis. Hæc materialis: illa mundana nuncupatur. Naturæ, alia ſimplex eſt & incorruptibilis: alia corruptibilis. Incorruptibilis, ſenſibilis & inſenſibilis. Inſenſibilis, alia eſt ſupra firmamẽtũ: alia ſub firmamẽto. Supra firmamentũ alia immobilis, vt ſphæra Empyrea: alia mobilis. Idq; bifariã, aut ratione motus trepidationis: aut ratione primi mobilis, quò ad Sphærã Aethercam & Chriſtallinam. Sphæra inſenſibilis infra firmamentũ alia quæ verſatur ſub Ecliptica vt ſol: alia q̃ extra Eclipticã: Et id aut quò ad longitudines: aut quò ad latitudines: nõ quòd motus in longũ & latũ dicatur, ſed quod aliquãdo reliqui planetæ ab Ecliptica diſtẽt vt poſtea patebit. Senſibilis Sphæra firmamentũ & elementa cõplectitur. Hinc cõpoſita, & grauia, & leuia. Cæterũ materialis ſphæra bifariam ἁπλῶς καὶ μερικῶς cõſideratur. Atq; id propter maiores tũ minores circulos. Itaq; Sphæra alia naturalis eſt, cuius ſubiectum corpus*

pus mobile: alia mathemathica ſeu phantaſica cuius ſubiectum abſtracta mēs: Alia ſupernaturalis, cuius ſubiectū Ens in quantū Ens: de qua ſolus methaphyſicus tractat. Rotundum addit ad differentiam circuli. Quemadmodum enim eſt circulus circumferētia lineæ: ita rotunditas ſuperficiei. Solidum verò annectit ob id vt intelligamus Sphærā mundi tale eſſe corpus, qđ nullū vacuū admittat: idq́; ſoliditate exprimere voluit. Quaſi dicat vndiquaq́; plenū & cogitatū. Vnde Sphæra alia intelligitur ſolida: alia caua. Hæc cōcaua eſt ratione interioris partis: conuexa ratione exterioris, Atq; cōcaui ac cōuexi ratio additur potius per hypotheſin, q̄ quod ita reuera ſit. Quod aūt vacui nomine cōmuniter vtamur: id fit ob appellationis figurā. Symb. *Oliſte qđ imminuere voluiſti: ſi benè intellexi in hūc modū habet. Poſtq̄ res ſenſibiles clarius demōſtrari non poſſūt neq; facilius & cū maiori iudicio q̄ ex ipſarum apparētijs: rectè ad ſimilitudinē obiecti, cùm nō niſi dimidium cœli oculis noſtris appareat, ars ipſa inueſtigatur. Nā effectus eſt cauſæ iudex. Deinde quæ ſunt extra vel infra horizontē videri non poſſunt. Ideoq́; nil niſi dimidium cœlum nobis apparet. Et quoniā planum non habemus horizontē: dimidium cœli exactè videtur.* Drym. *Demonſtratio eſt cauſarum & nō effectuum. Cauſæ enim ſub ſenſum nullū cadunt.* Sym. *Demonſtratio alia eſt concluſionum: alia oſtēſionis.* OLIST. *Propriè Demonſtratio cùm ſit eius ſcientiæ, q̄ concluſiones ex cauſis rimatur, vtiq; vniuerſalium erit. At vniuerſalia cùm ſub ſenſum, nō cadant: (Sic enim ſingularia eſſent.) Demonſtratio ad ſingularia ſeu effectus referri non poteſt. Quamobrem aliud Genus Demōſtrationis erit nempe Oſtenſionis ſeu indiuidui: qualia ſunt omnia quæcunq; ꝓpria nomina demōſtratiua ſiue implicitè ſiue explicitè quoquomodo denotari poſſūt. Atq; hoc gen⁹ demōſtratiuū eſt cui⁹ in ꝓpoſito fit mētio.* Drym. *Cœlum omninò non apparet, quomodo ars ad ei⁹ ſimilitudinē erit? Cœlū nō eſt . loratū quādoquidē nō eſt elementatum*

tatum, & color cum adeſſe, tum abeſſe poteſt. Symbulus. *Aliud eſt apparere, aliud videre.* OLISTVS. *Etſi viſui veluti color cœlum ipſum non ſubijciatur, nihilominus cœli illa apparentia oculis noſtris obuerſatur. Quapropter & cœlum videre, impropriè dicimus: cùm ſuperiora nullum accidens ſuſcipiant: quin potius ſuſcipere accidens ſolius compoſiti ſit. In ſuperioribus porrò quod transparens lucidū & ſimile quid appareat, nō accidens, ſed forma ipſius dicetur.* Drymus. *Ars non perueſtigatur ſecundum ſenſum viſus. Nulla enim ars iuxta accidentia extruitur.* Symbulus. *Per ſenſus tanquā per inſtrumenta ſcientiæ acquiruntur.* OLISTVS. *Quoniam ars & ſcientia in hoc differunt, quòd ſcientia ſit habitus apodicticus concluſionum: Ars verò habitus actionum, videntur neutiquam cauſari à ſenſibus, aut eorum accidentibus. Vbi verò attenderimus ſenſus, non cauſas: quin inſtrumenta cauſarum: vtique ſemicirculum ſenſu obſeruatum conſtituere Sphæram, nil impediet,* Drymus. *Ars ex vera & eſſentiali definitione eſt perueſtiganda, & iuxta eius præſcriptum pertractanda: quare non ad ſimilitudinem obiecti: ſicut Sphæra.* Symbulus. *Ars non perueſtigatur quò ad eſſentiam: ſed quò ad cōpoſitionem.* OLISTVS. *Perueſtigari ſolet rei eſſentia ex definitionibus, cùm quid rei ſit inquirimus. Porrò quum cōſideramus nō partes eſſentiales, ſed potius integrales & compoſitionis, eas nō deducimus ex eſſentia rei, ſed ex potioribus rei partibus: ſine quibus ne eſſentia quidem cōſiſtere poterit.* Drymus. *nō videmus cœlum vltra 360. ſtadia: quo modo dimidia pars cœli nobis apparebit?* Symbulus. *Nouem graduum eſt interſtitium, quò minus cœlum dimidium videatur. Ortus enim & occcaſus radij ita terram æqualem & tumidam reddunt: vt videri vera cœli dimidietas nequeat: ſeu potius percipi.* OLISTVS. *Non eſt dubium quin aliquot gradibus ſiue. 9. ſiue tribus vt quidam volunt, ſemicirculus noſtri hemiſphærij deficiat: quòd*

partim

partim coluris:partim inæqualitati zodiaci aſſcribunt. Vtcunque res habeat, neutra pars rectè ſentit. Nam quòd dimidius circulus cœleſtis non integrè appareat, non aliundè commodiùs monſtrari poterit:neque certior & phyſica ratio adduci quàm reflexio radiorum ſolarium. ij quemadmodum in ortu:ita & in occaſu gybbū quendam pariunt, quò minus integrè apprꝏhendamus eam dimidietatem:etiamſi aliquo modo videamus. Secundò quòd radij ſolares impediant quò minus viſus noſter propter imbecillitatem reſpectu tantæ diſtantiæ eò pertingat. Tertio quod etiam à Septentrione ad meridiem inſtituatur cōputatio:tamen propter erraticas Sphæras & eorū diuerſos curſus, intercipitur oculus noſter:nec ad certā numeri conſtitutionem peruenire poteſt. Vltimo quamuis noctu cœlo exiſtente ſereno & ſolis impedimentum potiſſimum aufferatur: obliquitas tamen radiorum quibus illuminantur ſtellæ, (ſtellæ enim à ſole lumen recipiunt) impedit longè magis computationem & diſcrimen, quàm ſi die eorum computum aggrediaris: Luna enim tum dominatur atque mare tumidius reddit. Quam ob cauſam & aërē medium perſpectiuè inficiat, & craſſiorem reddat: quò minus radij viſus, ad terminum ad quem penetrare queant. Quapropter cùm cōputatio ſtadiorum & graduum admodum ambigua ſit: an medium cœli circuli deprꝏhēdamus integrè: dubium quoque erit. Sed quod parum diſtat, nihil diſtare videtur: & cùm à potiori fiat denominatio, conſentaneum eſt medium cœlum nobis apparere, quia potiſſima pars apparet. Symbulus. *Cæterùm quæ dixiſti in hunc modum ſonare videntur. Semicirculi circumductio integræ Sphæræ oſtendit naturam. Quæ licet multifariam conſideretur, nos tamen principaliter eam in naturalem & Mathematicam ſeu phantaſticam diuidimus. Quod vel ex ſemicirculo patet, Sphæræ formam rectè indicante.* Drymus. *Omnis diuiſio debet eſſe bimembris.*
OLISTVS. *Superiùs de hac re dictum eſt:tamen ſic repeto.*

Naturalis Mathematica, & ſupernaturalis, licet reducantur ad ſupernaturalē & naturalem: id aūt diligenter conſiderandū eſt, quòd res naturales reuera exiſtant: Mathematica verò nō itē. Mathematico ergo partim ſupernaturaliū: partim naturalium diſciplinarum cognitio adeſt. Naturalis quidē eſt ratione obiecti ad cuius ſimilitudinē confingitur. Supernaturaliū eſt ratione abſtracti & abſoluti. Ea ratione nimirū qua cōſideratur prorſus à re aut cui ineſt: aut ad cuius ſimilitudinē facta eſt. Abſtracta, vt ſphæra materialis in ſe ſimpliciter conſideratur. Atq; ita cū Mathematica partim naturaliū partim aūt ſupernaturaliū ſit: hæc tria facilè reducuntur ad bimembrē diuiſionē. DRYM. *Rei compoſitæ ad rē ſimplicem nulla eſt proportio, & id quod nō eſt non poteſt rẽpſentare id quod eſt: ergò Sphæra materialis nō poteſt referre ſimplicē.* Symb. *Nihil quidē eſt ſubſtantialiter: relatiuè tamē aliquid eſt.* OLIST. *Sphæra materialis ex meris cōceptibus vtiq; cōſtat, neq; cū eſſentia rei aliquid cōmune habet: tamē ita eſt qua cōceptus eſſe dicitur, nō quidē ſubiecto qđ in ſe nullū eſt ſed ex obiecto, Vnde ꝓportio, habitudo & ſimilitudo deducitur.*

De cauſa definitionis Theodoſij.
CAPVT V.

ADuertendum eſt, quamnā ob rem definitio Theodoſij annectatur. Non enim propter authoritatē: Nā Euclydis authoritas excellit: Non probationis gratià, quia diuerſa methodo definit: ergo priorē definitionē addit & ratione autoritatis, & ratione obiecti. Theodoſij aūt definitio adiūgitur propter partiū enumerationē, & explicationē vt ſatisfaciat argumēto breuiter in proœmio ꝓpoſito: vbi pollicitus eſt ſe dicturū, quid axis, quid poli, quid centrū &c. Idq; haud breuius pſtringere potuiſſet, q̄ definitione Theodoſij. Quare cū pulcherrimū ſit alienas etiā inuentiōes

nostris

noſtris appoſitè & cõmodè applicare: maluit ſenſum animi ſui hac definitiõe breui, etiãſi nõ ſua: nõ ſecus tamẽ ac ſua exponere. Quod aũt hæc definitio à partib. ſit patet. Cũ enim dicit ſolidũ, Vacui locũ adimit: Cũ ſuperficiem Sphæricã, non linealẽ, ſed ſuperficialẽ ſtatuit: per punctũ, Centrũ ponit: p lineas ad circumferentiã ductas, Diametrũ inueſtigat: per æqualitatẽ linearũ, circulum atq; rotunditatẽ conſtituit. Quod aũt inquit punctũ dicitur centrũ: id eſt, Quẽadmodũ punctũ cõſiſtit in medio circuli, & ad circũferentiã ſe æqualiter habet. (Id quod demonſtrari facilè poteſt, ſi vnũ pedẽ circini ponas & alterũ vſq; ad circumferentiã ptrahas, dephendes diſtantiã in tota reuolutiõe æqualẽ.) Ita quoq; centrũ reſpectu Sphæræ hoc eſt terra reſpectu firmamenti. Centrũ etiamſi vnũ reuera intelligatur: tamẽ propter orbes concauos & conuexos, Itẽ Eccentricos cõcentricosq́; diuerſi ſunt ſtatus punctorũ. Centrum enim non minùs ac Sphæra ſua ſuperficie conſtat: in cuius medio punctum eſt, à quo quidẽ puncto ductæ lineæ æquales ſunt. At ſi à puncto poſito in ſupficie centri eaſdẽ duxeris ad circumferentiã: non eſt dubiũ quin inæquales ſint futuræ. Quare dimenſio à puncto cẽtri nõ à ſuperficie obſeruanda eſt. Centrũ duplex, naturale, & mathematicũ. Naturale eſt ipſa terra. Mathematicũ bifariã conſideratur, re ipſa & per hypotheſin. Re ipſa eſt vt punctum ſtatutum: per hypotheſin tot ſunt puncta eorumq́; centra, quot planetæ & orbes planetarũ: Itẽ quot poſitiones circulorũ. Atq; hoc modo finita, & infinita puncta dabũtur. Finita quò ad certũ numerũ Sphærarum: Infinita quò ad innumerabiles circulorũ imaginationes. Atq; id finitum potẽtia: nõ actu eſt. Symb. *Hoc Oliſte intellexi, nempe Theodoſij Sphæræ definitionem eſſe explicationẽ Euclydeæ. Theodoſij enim definitio totius Sphæræ ſummam complectitur.* Drym. *Quid dicebas? deſcriptionem Theodoſij communiorem Euclydea? Hic profectò dilucidiùs compoſitionem Sphæræ tradit: quoniam in ijs verſatur*

q̃ ſub ſenſum cadunt: videlicet in ſemicirculo & ſimilib. OLIST. *Bifariam cõſiderantur dilucidiora: quò ad nos, & quò ad naturam. Hæc per ſe dilucidiora ſunt: illa per accidens: Quæ rurſus bifariam conſiderantur, aut abſolutè aut ſimpliciter. Abſoluta & ſi certiora ſunt: non tamen clariora. Quò fit vt cùm definitio Theodoſij partes totius Sphæræ pertractet, & paucis omnem reſpectum deſcribat: dilucidior & manifeſtior ſit Theodoſij Definitio: & ſi non certior.* Drymus. *Res in ſe nullam habentes ſimilitudinem, nil ad inuicem explicationis habent: ergo nec Theodoſij definitio & Euclydis. Nam Theodoſij definitio de abſoluta & perfecta Sphæra loquitur: Euclydes de conſtitutione tantúm.* OLISTVS. *Diſsimilitudo non aſsignatur inter ea quæ ſe habent in modum Ideæ & ideati: vel ad modum exemplaris & rei confectæ ad ſimilitudinem eius. Inter hæc enim maxima ſimilitudo eſſe debet. Imò ſine eiuſmodi reſpectu nulla ſimilitudo dari poteſt, aut proportio. Quapropter diſsimilitudinem non parit conceptus mentis, relatus ad rem: Sed pariunt diſsimilitudinem, inter quæ nulla prorſus poteſt dari habitudo & proportio: vt ſunt contradictoria.* Drymus. *Euclydis definitio intelligitur de opere ipſius Sphæræ: Theodoſij de Sphæra quatenus eſt Sphæra, & tanquam inſtrumentum: Euclydis tanquam id quod ab inſtrumento factum.* Symbulus. *Diuerſitas eſt in modo procedendi: non in ipſo opere.* OLISTVS. *Etiamſi diuerſa ſit ratio qua inquirimus formam Sphæræ & ipſius naturam: non tamen propterea ſequitur ſenſum ipſum diuerſum eſſe. Aequa enim ratione is benè dicit qui bis octo & quater quatuor aſſeruit. Vterque enim ſedecim concludit. Ita qui hemicycla conſtituit, non poteſt ſecus: niſi antea proceſſerit totus circulus. Ita etiam qui aſsignat puncta, lineas &c. id ſtatuere non poteſt: niſi præceſſerit Sphæra. Quocunque igitur modo ad tractandum quiſpiam ſe confert, dummodo circa idem propoſitũ & ſubiectum verſetur:*

reuera

reuera diuerſitatē nullam includit. Quapropter Alexāder Aphrodiſeus in I. moralium quæſtionum aſſerit, iudicium non à ſubiecta materia: ſed à fine potius petendum. Drymus. *Definitio Theodoſij diuerſa habet genera. Item trāſitus & ſolidi nulla eſt ſimilitudo: ergo Theodoſij definitio non explicat Euclydeam.* Symbulus. *Tranſitus non reſpicit ſolidum ſimpliciter: niſi ratione figuræ, quæ ex eiuſmodi circumductione oritur.* OLISTVS. *Videtur tranſitus Euclydeæ Definitionis conuenire cum ſoliditate Theodoſij: Sed quemadmodum ſoliditas Theodoſij ſuperficie continetur: ita σχῆμα Euclydis, ſemicirculi circumductione. Quapropter relatio eſt inter ſolidum & σχῆμα. Superficies quoque refertur ad tranſitum. Et vt ſuperficies ſoliditati: ita tranſitus figuræ deſeruit.* Drymus. *Theodoſij & Euclydis definitiones ſubiectis differunt: ergo altera alterius explicatio eſſe non poteſt.* Symbulus. *Non loquitur hîc de diuerſis ſubiectis, non ſubalternatim poſitis.* OLISTVS. *Diuerſa ſubiecta bifariam conſiderantur, Alia quæ ſub alterna ſunt & quæ ſe mutuò explicant, ac interpretātur: vt rationale interpretatur irrationale: vt bonum interpretatur malum: Virtus interpretatur vitium: proinde virtus idem eſt quod vitium fugere. Aliud & diuerſum ſubiectū non alternatim poſitum: Vt Bonum & animal. Bonum non declarat animal: nec animal bonū. Diſſident enim ſubiectis non ſubalternatim poſitis. Alterum enim in ſubſtantia: alterum in Qualitate locum habet.* Drymus. *Porrò dicebatis Quatuor partibus tantum: vtpotè centro, axi, polis, ſuperficieq́ Sphærā perfici: id q fit cū poli extra Sphæram ſint?* OLIST. *Bifariā cōſideratur aliquid extra Sphærā: primò qđ extra ſuperficiē concauā & conuexā eſt, atq; id reſpectiuè extra Sphærā. Abſolutè deinde in Sphæra eſt, & ſecundum hāc rationē poli in Sphæra & extra Sphærā eſſe dicuntur, Alterū genus eorum quæ extra Sphæram dicuntur, eſt id quod neutro modo ineſt, ſed pla-*

 nè con

nè contradicere videtur: Vt ſunt Eccentrici & concentrici. Itē eorum Sphæræ ex quarū colliſionibus & concentibus cōſtant: q̄ conſtitutionē falsò Pythagoræ aſſcribunt. Drym. Sphæra conſtat dūtaxat ex duabus partibus: videlicet axi & cētro: Axis enim nō eſt niſi ſit figura: qua poſita, Sphæra ſubintelligitur. Symb. Sermo eſt de partibus poſitiuis in re: nō in intellectu. OLIST. Licet poſito centro nō poteſt fieri quin ponatur circulus: & data axi neceſſariò dantur poli: ita vt ex poſitione centri & axis cæteræ partes nulla difficultate ponantur: tamē propter diuerſa officia harum partiū quatuor & non duæ debent numerari. Nā ratione circumferentiæ circuli tā maiores quàm minores Sphærici ponūtur. Ratione centri & circumferentiæ, æqualitas linearū indagatur: Ratione axis, dimenſio cētri perueſtigatur: Ratione polorū, motuum diuerſitas indagatur. Quare cū circuli, æqualitas linearū, Dimenſio centri, & diuerſitas motuū, diſtinctam tractationem requirant: diſtincta fiat mentio oportet. Drym. Quatuor illæ partes non conſtituunt integrā Sphærā: neq; enim fit ad ſimilitudinem cœleſtis Sphæræ. Siquidē materialis Sphæra nō poteſt, ſimul & ſemel repræſentare triplicē motum cœleſtē: præſertim motū trepidationis. Symb. Simplex Sphæræ materialis nō poteſt demonſtrare motus apertè: Includit tamen rationē motuū. OLIST. Hæ quatuor partes in ſeſe conſideratæ, circumferētia, linea, centrū, axis, poli, licet nō exponāt motū: neq; trepidationis, neq; planetarū: includunt tamen omnes motus ſub περιφερείᾳ, ea ratione qua nullus motus cœleſtis ſine circulo eſſe poſſit. Quotquot igitur circulos ſiue orbes recipit: omnes vno nomine ſub περιφερέᾳ comprehenduntur. Deinde aſcitis eiuſmodi particularibus circulis, & ſuo ordine diſpoſitis, nō difficulter repræſentare & referre eiuſmodi curſus poteſt. Id quod facilè patet vel in eo inſtrumēto, quod nuper extructum eſt, ab Empſero: Vbi omniū Sphærarum, motuū & curſuū rationes perſpicuè & manifeſtè cōſpiciun

ſpiciuntur. Vltimo etiā in materiali Sphæra non obſcurè id ſed materialiter demōſtratur. Signa enim quæ permeant planetæ & ſimiles reſpectus motuū docet. Drym. *Quid per ſuperficiē intelligitur?* Symb. *Plana rotunda, cōuexa, concaua, ſolida. Redeo aūt ad propoſitū centrum nimirum eſſe medium punctum Sphæræ, à quo omnes lineæ ductæ ad circumferentiā ſunt æquales. Vbicunq; à cētro lineæ rectæ ductæ fuerint ad circumferentiā ibi eſt medium. Quare centrū verè eſt mediū punctum: etiā ſecundum curſum naturæ etiamſi non ſit ſubiectum ſenſibus.* Drym. *Non omnes lineæ ſunt æquales vel propter circumferentiam terræ: ſi montes & ſimilia cōſpicias: Centrum igitur reuera non dabis.* Symbulus. *Loquimur de continua quantitate: non de diſcreta. Item de centro terræ vt puncto: non de ſuperficie.* OLISTVS. *Inæqualitas bifariam conſideratur: per ſe, & per accidens. Inæqualitas in ſe ducta, poteſt eſſe in montibus: ſed in diſcreta intelligendo Quantitate: vt altera alteram reſpiciat. Cæterum per accidens nequaquam ſi videlicet montes velut accidētia minima ad totā terram conferas. Quēadmodum nil impedit Ciceronē hominem eſſe: etiamſi ei applicitū ſit cicer, aut alia quæpiam macula. Idem eſt quantumuis altus mōs quod macula terræ. Huic appellationi adſtipulatur etiam Moyſis denominatio: qui terram à circulo hebraicè deducit:* ארץ *enim deducitur à* רץ *idem quod circulo. Quòd autem lineæ inæquales eſſe dicantur ductæ à centro ad circumferentiam: id fit ratione ſuperficiei, non ratione puncti, vt ſupra dictum eſt.* Drymus. *Cui non cōuenit definitio ei neque definitum: Centrum igitur nōn eſt punctū, quoniam punctus eſt cuius pars nulla eſt. Item non habet ſuperficiem.* Symbulus. *Centrum impropriè ſuperficiem habere dicitur.* OLISTVS. *Reuera centrum eſt indiuiſibilis ille punctus in meditullio terræ cōſtitutus, à quo fiunt deductiones linearū: & reſpectu cuius menſurantur diſtantiæ orbium cœleſtium inuicem.*

Quod

Quod autem & tota terra nomine centri appelletur : id ſit commu nicatiuè. Solet enim aliquando continens pro contento ſumi : id quòd & Grammaticis commune eſt. Itaque cùm centrum terram dicimus: propriè de puncto in eius medio conſtituto, non de tota ter ra intelligendum eſt: vt quæ & hoc nomine elementata dicitur. Ita de aëre, aqua, & igne & cæteris intelligendum: circulum non totam illam rotunditatem quæ mixta eſt, ſed ſuperficiei cõuexæ proximam: de quibus aliâs. Drymus. *Nullæ ſunt lineæ in Sphæra: quia ſuperficies conuexa non patitur lineas.* Symbulus. *Lineæ in cœlo ſimpliciter non ſunt: ſed hypoteticõs.* OLISTVS. *Hoc verum eſt quod neque in cœleſti: neq; in materiali Sphæra lineæ ſeparatæ ponantur vel reperiantur: id tamen ſi rectius expenderimus, in cœleſti facilè oſtendemus. Notum enim eſt omnibus cœleſtem Sphæram omni vacuo liberam eſſe, & ſolidum quid ab omnibus definiri. Quod cùm ſine ſuperficie plana neque eſſe neque oſtẽdi poſſit: non erit obſcurum machinam cœleſtem, ſeu globum vniuerſis refertiſſimum lineis: quodque nulla ſuperficies detur absq; lineis. Nam ſuperficies nihil aliud eſt quàm multiplicatio linearũ, quemadmodum linea multitudo punctorum. Quod autem id in materiali Sphæra non depræhendatur: id bifariam fit: primò propter diſtructionem circulorum, quos in cœleſtibus imaginamur: Secundò propter infinitam multiplicationem linearum, quæ impedit artis diſtinctam cognitionem. Nihilominus & huic mederi vel ipſo globo non difficulter poſſumus: ne quicq̃ ſit quod fortè obijciatur, idque inſolutum relinquatur. Globus enim materialis ſua ſoliditate eam multitudinem linearum & continet & demonſtrat.* Drymus. *An magnitudo tribuatur centro?* Symbulus. *Non: quandoquidem magnitudinis eſt expers: igitur ſuperficiem non recipit.* OLISTVS. *Siquidem punctum ſeu centrum reuera omnem magnitudinem excludat: imò quantitatem ipſam, cuius nihil eſt*

*aliud quàm initium:non erit dubium quin & ſuperficiem reſpuat. Quòd autem eiuſmodi ſuperficies centro attribuatur:id abſolute intelligi non debet. Sic enim minima pars omnium partium eſt: ſed reſpectiuè potius quatenus ab alijs continetur: & eſt veluti contentum quoddam.Continetur autem bifariam: propriè, & impropriè:propriè à firmamento,reſpectu cuius cẽtrum eſt:Impropriè à terra,cuius elementatuu & ex diuerſis conflatum quid. Centrum eſt propter firmamentum & habet naturam firmamenti. Quemadmodum firmamentum perpetuum eſt: ita & centrũ. Quemadmodum illud etiam nec corruptibile,nec diuiſibile: in quo nec finis,nec principium aſsignari poteſt:Ita in centro nuſquam diuiſio vel ſectio:nam & indiuiſibile & inſecabile eſt, demõſtratur. Quòd autem terra vicinior & propior ſit ſecundum quid:& per accidens dicatur ſuperficies centri,id fit propter animantia quæ inde habent ſua alimenta,ſingulari Dei nutu & prouidentia ordinata,ad conſeruationẽ ſpeciei viuentis & ſentientis. Hinc eſt quòd non purum elementum ſed elementatum dicatur, quaſi mixtum, aqua,aëre,igne: Aliâs terra ſi purum elementum eſſet, nil producere poſſet propter nimiam ſiccitatem & frigiditatem. Simili ratione aër neque homines neque reliqua animantia aleret,niſi & ipſa eſſet mixta propter nimiam humiditatem & caliditatem, Similiter aqua,propter nimiam frigiditatem & humiditatem. Eadem ratione & ignis,propter caliditatem & ſiccitatem. Atque hæc omnia miſta & temperata ſunt,propter ſalutem animantium diuinitùs ſic condita.Nihilominus tamen elementa in ſuis orbibus ſalua & integra ſunt.*Drymus. *A centro terræ vſque ad ſuperficiem terræ conuexam,rectæ lineæ non ſunt omnes æquales.E centro enim lineæ ductæ ad montes & valles erunt breues & longæ.* Symbulus. *Bifariam reſpondetur:primò reſpectu totius ſunt inæquales:Secundò non dicit autor ad ſuperficiem terræ, ſed ad*

circumferentiã Sphæræ. Dicitur enim tota terra im ꝑpriè centrũ. OLIST. *Poſſet quidẽ dici: ſed impropriè ſuperficies terræ Sphæra reſpectu ſui puncti, à quo ductæ lineæ non minus æqualitatẽ ſortiũtur, non impediente ratione motuũ, qui reſpectu terræ totius, nulli ſunt: etiamſi terrã autor pro centro & inde deductionẽ linearũ in ipſa æqualitate cõcludat: Re tamẽ meliùs expenſa hanc dimenſionẽ nõ eſſe intelligendã in intermedijs Sphæris ſed in extremis: Cumq́ nõ ſint extrema corpora plura q̃ duo firmamentũ & punctũ terræ, inter hæc æqualitatem linearũ duntaxat dari poſſe patet. Nam ſi globũ ſeu circumferentiam aquæ circũſpicias: maximã inæqualitatem linearũ dabit: cũ aqua non totã terrã ambiat: etiamſi potentia ambire poſſit. Eadẽ ratione de aëre & igne. Quòd ſi Theoricas planetarũ conſpexerimus, ibi planetas aliquãdo altiores, ex aſcenſu: aliquando propinquiores ex deſcenſu facilè depræhendemus. Quapropter hãc æqualitatẽ linearũ in extremis corporibus dari certiꝰ aſſerere poſſumus: q̃ in intermedijs.* Drym. *Dixiſtis quoq;. Centrũ aliud naturale, aliud mathematicũ: & pro diuerſitate punctorũ, diuerſitatẽ eccẽtricorũ, concentricorumq́ eſſe. De reb. aũt nõ exiſtentib. quomodo diſputabis? neq; igitur de cẽtro mathematico.* OLIS. *Non exiſtere bifariã cõſideratur, reſpectiuè, et abſolutè: reſpectiuè quò ad accidẽtia, & quò ad ꝑportiones. Accidẽtia nõ exiſtũt: ſed inſunt ſuis ſubſtantijs. Quod attinet ad proportiones, ſic ſimilitudines nõ ſunt ſed dicũtur reſpectiuè ea ratiõe, qua à ſuo ſimili dependẽt. Sunt ergo ratione ſimilitudinis: dependent verò ratione ſimilis. Abſolutè porro ea non eſſe dicũtur, quorũ prorſus nullũ accidens, nulla ꝑportio, nullaq́ ſimilitudo vel habitudo dari poteſt: vt eſt hoc quod nihil eſt. Vt ſunt Chimæræ q̃ in toto nihil ſunt: etiãſi ex partib. exiſtẽtibus cõſtent. Reſpectu iſtiꝰ inexiſtẽtiæ & accidentia & proportiones & habitudines ſeu ſimilitudines exiſtunt. Atque hoc modo mathematicè centrum exiſtere dicimus: & ſi in Apocalypſi aliquid*

quid deſcribatur ad modum Chimærarum:id tamen cùm paraboli- cōs, & allegoricōs dicatur: maximè ſunt. Drymus. *Vnicum eſt tantùm centrum.* Symbulus. *Aliud vnum eſt re: aliud vnum nomine.* OLISTVS. *Vnum multifariam conſideratur. Vnum primo naturale, quòd eſt earum rerum, quæ ſunt eiuſdē ſubſtātiæ, hoc eſt eiuſdem generis, & differētiæ Species, quod & Dialecticū eſſe poteſt. Item vnum homogeneum cuius partes cum toto eædem ſunt. Vnū quoq; heterogeneū, cuius partes licet diuerſæ: in toto ta- men conueniunt. Vnum metaphyſicum, quod cum Ente conuerti- tur. Vnum Arithmeticū quod eſt principium numeri & multitudi- nis. Vnū ergo centrū dicere, quò ad certā ſpeciē & ordinariā cõce ditur: ſed cōfuſe de vno diſſerere, inſulſum eſt.* Drym. *Centrū dici tur ratiōe orbis, et nō orbis ratiōe cētri: ergo ex diuerſitate pūctorū nō metiūtur eccētrici: quia centrū nō eſt, niſi orbis ſui centrū* Sym. *Etſi circulus intelligi poſſit ſine puncto: non eſt tamen ſine puncto.* OLIST. *Contingere poteſt, vt quiſpiā pingat circulū ſine cētro: oſtendere tamen ſine centro nō poteſt. Quo fit, vt omnis circulus re latione ſecundum eſſe cētri circuli ſit: & centrū, ſui circuli centrū. Neque hîc contradicit Euclydea propoſitio de inueniēdo medio. Nō enim vult circulum non habere medium, aliâs non inquireret pun- ctum: ſed obliterato puncto & deleto, inuentionē eius docet.* Dry- mus. *Centrum conſtituitur propter orbem: ergo non orbis propter centrum.* Symbulus. *Et centrum ſecundum eſſe reſpicit orbes, & orbes ſuum centrum.* OLISTVS *Rectè quidem orbes cen- tri orbes dicuntur: Quòd verò eccētrici conſ ingantur, ad intelligen das ſpeculationes planetarum: id non fit vt quicquam adimat huic theſi vt indubitatæ & immobili. Eccētrij enim dicūtur eò, quod ex tra centrū mundi orbes figurētur, & non ſine cētris. Habent enim & ij ſua puncta: ſed ſine puncto mundi. Sic epicyclia in ſuperficie a- licuius orbis, non minus ſuum punctum habent: & non punctum*

ſui orbis, multò minus punctum mundi. Quo fit vt & Epicyclia & auges nominari mereantur: & deferentes augem cognominantur: & apogeon & hypogeon appellantur: & zenith punctum minimū capitis noſtri: quod in maxima diſtantia eſt à puncto terræ. Et ille tamen pūctus habet ſuū circulū: ſed pro diuerſitate orbiū diuerſum.

De linea quid ſit & quàm latè pateat.

CAPVT VI.

OLISTVS. *Linea, vt centrum diuerſimodè conſideratur. Nam vbicunque datur punctum circuli: intelligatur & axis neceſſarium eſt. Atque eiuſmodi lineæ plerūque imaginariæ ſunt, & eandem prorſus diuiſionem, quam centrū ſuſcipiunt. Porrò & aliam rationem diuidendi habemus. Aliæ enim lineæ ſunt ſimplices: aliæ compoſitæ. Simplices ſunt, quarum fluxus à puncto in punctum eſt: ſine interruptione punctorum. Atque hæc bifariam conſideratur: Recta & circularis. Recta linea eſt, quæ à puncto in punctū deſinit ꝑpendiculariter: Imò, & obliqua cōſiderata in ſe, recta dicitur. Circularis verò eſt q̄ à puncto in punctum deſinit, in modum peripheriæ hoc eſt circumferentiæ. Rectarum linearum alia eſt in circulis, quæ* ἡμικύκλια *gignit: alia eſt quadratorum quæ quadrata in duos triangulos diuidit: & propriè* διαγόνιος *appellatur. Rectarum linearum, aliæ ſunt extra figuras, & quædam harum abſolutæ ſunt: vtpotè lineæ ſimpliciter rectæ: aliæ reſpectiuæ, vt ſunt lineæ* εὐθεῖαι παράλληλοι *id eſt lineæ rectæ paralleli: quæ in infinitum eodem reſpectu procedunt: quibus vbi acceſſerit perpendicularis linea, angulos rectos parit iis, ſi ſuperueniat minor rectitudo, aut in infinitum diſtat, aut aliquando conuenit: extra parallelos tamen eſſe dicitur. Compoſitæ lineæ dicuntur, quarum puncta ſe quodam fluxu mutuò conſequuntur, & quidem con*

tinuo

tinuo:interceptis tamen punctis, & quodammodo ſenſibiliter diſcretis. Hæc bifariam conſiderantur. Aliæ enim ſunt ἕλικες*: aliæ verò non.* ἕλικες *duplices ſunt: Aut* ἕλιξ σπηρικὴ *vt in motu ſolis patebit aut* ἕλιξ κυλινδρικὴ *: vt in elaboratis lapidibus & gemmis apparet. Extra* ἕλικες *bifariam conſiderantur. Aliæ inſunt terreſtribus: aliæ aquatilibus. Terreſtribus bifariam, aut vt* κεραθώδης *aut vt* κισσοειδὴς *id eſt cornuta, & in modum hæderæ. In aquatilibus quoque bifariã, aut vt* κογχοειδὴς *cõchiæ: aut vt* στρομβοειδὴς *id eſt cochleæ Exemplo huius diuiſionis reliquæ lineæ vt ſunt pyramidales in Iride, in cometa: facilè deduci & intelligi poſſunt.* Symbulus. *Breuiter ſic colligo. Licet diuerſimodè conſiderentur lineæ, tamen (vt punctum) rectè diuidi in naturales & mathematicas poſſe: & illas rurſus in ſimplices & compoſitas, ratione ſitus & figuræ habita, affirmo. Nam ſicut punctum principium linearum: ita linea ſuperficiei eſt. Puncta item non aliter, quàm continuò & diſcretè vel interruptè fluunt,* Drymus. *Omnis diſputatio debet proficiſci à Definitione: ergo malè à diuiſione fit.* Symbulus. *Diſtinctio implicitè definitioni ineſt.* OLISTVS. *In hoc argumento duplex reſponſio eſt conſideranda. Ad poſtremum, quòd in hac diuiſione contineatur Definitio : & ad primum, quòd à definitione ſumant initium themata quæ ſunt ſimplicia & vniuoca: duplicia enim ſunt themata, ſimplicia & compoſita. Hæc habent inſtrumentum , argumentationis , quo pertractantur : Illa verò definitionis & diuiſionis. Idque propter duas cauſas primò propter voces vniuocas, in quibus à Definitione exordium eſt ſumendum. Secundo propter multiuocas & æquiuocas voces, in quibus à diuiſione initium eſt faciendum. Linea ergò cùm multiuoca ſit: à Diuiſione quæ definitionem includit, rectè incipit.* Drymus. *Quæritur num linea ex punctis conſtet?* Symbulus. *Vtique.* Drymus. *Indiuiſibile additum indiuiſibili non fa*

cit maius: ergo punctum additum puncto non facit maius. Symb. *Non facit Quantitatẽ continuã: ſed facit diſcretam. Itẽ dicimus ex fluxu punctorũ lineam fieri. Quare punctum puncto additũ non facit maius: ſed plus.* O L I S T. *Indiuiſibile indiuiſibili additũ, etiam ſi non faciat maius, ſeu magnitudinem: facit tamen multitudinem ex parte etiam magnitudinem ratione longitudinis. Atq; id nõ ex additione poſitiua ſeu diſcreta, ſed ex additione fluxibili & continua: & talis ratio eſt in linea obſeruanda.* Drym. *Linea nõ rectè diuiditur in naturalẽ & mathematicã: linea enim tantũ eſt mathematica: ergo mala diuiſio. Dicit enim Euclydes lineã eſſe longitudinẽ ſine latitudine.* Symb. *Euclydes tantũ de mathematica linea loquitur: non de naturali. Mathematicus de linea ſeparatim tractat: Naturalis philoſophus coniunctim: Metaphyſicus abſolutè.* O L I S T V S. *Quòd Euclydes definiat* γραμμὴν ἐστὶ μῆκος ἀπλατές. *Hæc definitio non modò mathematico verùm etiam phyſico & metaphyſico conuenit; ſed diuerſa ratione. Nam Metaphyſicus de linea tractat in ſeſe abſolutè conſiderata: quæ ſola apta nata eſt omnes recipere diuerſitates linearum: & cauſa exiſtit prima particularum linearum. Quæ in effectu ſunt. De hoc effectu phyſicus tractat: qua nimirum ratione linea ſuperficiei & ſuperficies corpori iuncta eſt ſeq; mutuò reſpiciunt. Quas ſi ſeparauerit & ſeiunxerit videlicet mente remeat ad ſimilitudinem primæ cauſæ. ſed quoniam pendet ab effectu ſiue obiecto à qua abſtrahitur & ſeiungitur: mathematici iam eius conſideratio erit. Quemadmodum ergo linearũ, ſic definitionis quoque ſenſus inueſtigandus erit.* Symb. *Nõ loquitur de linea vt linea eſt, ſed ex diuerſis vt motibus, vnà conflatur. Linea reuera qua fluxus eſt: tantum longitudinis linea eſt: neque ſecus linea propriè dici poteſt & abſolute. Quòd autem compoſitæ lineæ dicantur: id fit ſecundum quid & reſpectiuè, ea nimirum ratione qua ſe mutuò reſpiciunt: & nihilominus rectæ lineæ*

dicen-

dicẽtur, in ſe conſiderata. Id verò quod ex eiuſmodi cõplicatura pro manat, dicetur quidem compoſita linea ratione ſui principij & cau ſæ: ratione autem vnius effectus vna linea ſit neceſſariũ eſt. Drymus. Linea perpetuò linea eſt: ergo non diuerſimodè conſideratur. Symbulus. Diuerſitas conſideratur quò ad contemplationem: nõ figuram. OLIST. Res ipſa ea ratione qua eſt ſemper vna eſt. Quòd autem diuerſa dicatur: non ratione rei ſed ratione conceptus id fieri manifeſtum eſt. Domus enim vna & eadem tres poteſt habere cõceptus: prima in mente artificis: ſecũda in effectu: tertia in abſtracto: nihilominus vna & eadẽ eſt domus. Symb. Porrò harũ linearũ & naturã & ſitũ benè cognitũ habere, multũ tum ad reliquos circulos in Sphæra conſtitutos: tum rectè ad ſolis iter intelligendum conducit. Drym. An hæc definitio de obliqua linea intelligatur? Symb. Maximè. Drym. Sol mouetur cõtinuò: ergo nõ interruptè. Symbulus. Sol mouetur continuò ratione ſui ipſius: natura verò primi mobilis, interrupto motu. Drym. Sol mouetur ſecundum rectã lineã non obliquã Symb. Reſpectu ſui nõ datur interrupta linea: ſed reſpectu reliquorũ orbiũ. OLIST. In motu ſolis triplex mot⁹ cõſiderãdus eſt: ꝓprius quo mouetur à principio Tropici Cãcri, ad finẽ Tropici Capricorni, prout renititur primo mobili: Secundo ratione primi mobilis, quatenus nõ ex directo ſed ex obliquo cõtrà mouetur: Tertio ratiõe Meridiani circuli, quẽ ꝓpter trã ſitũ axis à polo in polũ minori rectitudine interſecat. Ex his tribus motib. vtpote primo qui et abſolut⁹ dicitur, et duplici reſpectiuo, quo rũ alter primũ mobile: alter ordinẽ Tropicorũ Cancri & Capricorni cõcernit: Idq́ bifariã, ea ratiõe qua maiorẽ rectitudinẽ axis polorũ mũdi facit. Secundo ea ratiõe qua minorẽ rectitudinẽ axis zodiaci id eſt Ecliptica efficit: quib. accedũt & axis meridiani, et Tropicorũ: veluti paralleli quoq; rectitudinẽ maiorẽ generãtes. Hinc eſt vt ex axium plicatura, miſtus motus Solis proueniat, cum orbibus et acci-

& accidentibus eiuſdem Theoricæ. Drymus. *Solis iter ex ſola zodiaci cognitione dependet: ergo non ex linearum ſitu.* Symb. *Iter Solis quò ad Eclipticā nō quò ad diſpoſitionē motus dependet.* OLIST. *Prima & potiſsima cognitio motus ſolaris ex ipſo zodiaco eſt. Nam Ecliptica ſemper ſub eo verſatur. Reliquorum verò motuum ſecundaria conſideratio eſt quæ reſpectu prioris fit.* Drymus. *Linea nulla eſt in itinere ſolis: ergo ad ſolis iter nulla linea opus eſt. Quippe omnis linea conſtat à termino à quo, & ad quem. Item circulus non habet principium neque finem. Item non terminum à quo & ad quem: ergo ſol habet lineam circularem & non rectam.* OLISTVS. *Sol præter ſuum orbem, licet aliam lineam non habeat: niſi ratione motus ecliptica ponatur: nihilominus tamen, & ea linea erit partim conceptu: partim natura, Neque opus eſt terminorum aſsignatione, cùm ea ad ſimplicem lineam rectam: non autem circularem pertineat.*

De vtilitate linearum.

CAP. VII.

Linearum multifaria explicatione facta: ſequitur earum vtilitas & operatio. Quæ & ſi maxima eſt, potiſsimum tamen in eo verſatur vt ἡμικύκλια *firmamēti intelligātur: & axis poſitio, ſeu Diametri nobis clarius innoteſcat, propter motuum dilucidiorem doctrinam. Axis ergo ſeu diameter eſt linea recta tranſiens punctum ſeu centrum, vſque ad concauitatē orbis: quæ ſe habet inſtar veru. Atque ea pars in quo figitur eiuſmodi, diameter vertex dicitur quem, Græci Polon* ἀπὸ τοῦ πολεῖν *id eſt à vertendo, dictum eſſe volunt. Ita, vt rectè dicas omnē poli ſeu verticis axē eſſe: quæ ſe etiam ad conuexam ſuperficiem extendit. Poli autem & axes etiamſi in omni circulo motum habeant: præ-*

cipuè

cipuè tamen in æquinoƈtiali zodiaco & horizonte conſiſtant oportet: propter triplicem motum primi mobilis: Solis & Epicycliorum excentricorumq́ue: ratione zenith punƈti capitis noſtri. E multiplicatione linearum naſcitur ſuperficies: cuius hoc propriũ eſt, vt lineis finiatur & terminetur: corpus verò ex multiplicatione ſuperficierũ, quod Græci ςεϱίον ſuperficiebus clauſum & circumſeptũ vocãt. Superficies ergo quemadmodum & corpora bifariam conſiderantur. Alia ſunt regularia: alia irregularia. Hæc nonnunq̃ in modũ lẽtis: nonnunquã in modum oui. Illa alia ſunt ſimplicia: alia ſunt cõpoſita. Simplicia alia plana: alia Sphærica. Plana ſunt quæ ſimul perpendicularis lineæ ordinem ſequuntur. Hæc locum habent in omnibus figuris ſuperficiem non habentibus vt in trigonis Tetragonis Rhombis Scalenis &c. Sed quam primùm à planitie deficiunt, & in aliquam partem gyri fleƈtuntur: mixta dicentur. Vt ſunt corpora multorum laterum, Triquetra, icohædra, duodecahædra & ſimilia, de quibus plus ſatis Geometer traƈtat. Huius autem rei breuis definitio maximoperè etiam ad Sphæricam attinet: eò vt perfeƈta corpora ab imperfeƈtis diſcernamus: perfeƈtas ſuperficies ab imperfeƈtis diſtinguamus: & cuilibet quod ſuum eſt tribuamus. Cœlum itaque cùm perfeƈtiſſimũ corpus ſit, ſolidum etiam ſit oportet, & vna ſuperficie contentum: vtpotè rotundum. Drymus. Soliditas ex materia conſtat: ergo cœlum non eſt ſolidum. Nam ante cœlùm nunquam fuit materia. Symbulus. Cœlum conſtat ex materia ſecundum partes: non ratione totius. OLISTVS. Theologicè loquendo cœlum ſiquidem eſt creatum: concreatam materiã habeat oportet: ex præexiſtente autem materia nullatenus eſt. Phyſicè verò reſpondere facilè. Quemadmodum enim cœlum eſt in loco ſecundum partes, non ſecundum totum: Ita etiam cœlum conſtat nõ ſecundum totum: ſed ſecundum partes. Neque hic exiſtimandum eſt cœlum ſecari poſſe, cùm indiuiſibile ſit: imaginatione tamen ſe-

iungi partes, vt partibus inſunt, poſſunt. Nec inde ſequitur cœli cor ruptio: nec ſecundum partes, nec ſecundũ totum: quia vnius formæ eſt: non plurium. Quodq́; elementa videlicet ſimplicia corpora ſecundũ partes corrumpantur: id fit ratione diuerſarum qualitatũ, quarum quodlibet elementũ particeps eſt: & nõ materiei. Drym. *Cœlum circulariter mouetur: itẽ in cœlo vnus & ſimplex motus eſt: ergo nulla contrarietas motuum.* Symb. *Vnus cœli motus per ſe, non verò per accidens.* OLIST. *Duplex ratio eſt huius accidentis, primò diuerſus terræ ſitus: ſecundò proportio ipſa. Ad ſitum pertinẽt omnes motus, excepto eo planetarũ motu, quo primo mobili contranituntur: is enim diuinitùs ita ordinatus eſt: vt ſit quædam tẽperatura motuum.* Drym. *Cœlum inæqualiter diſtat à terra: ergo non eſt rotundum Sol enim mane maior videtur, quã meridie.* Symb. *Sol in meridie minor & mane maior propter oculorũ imbecillitatẽ apparet: quia nimiũ ſplendorẽ ſolis in meridie intueri non poſſumus.* OLIST. *Non ſequitur inde quòd cœlũ non ſit rotundum, cùm ſit quartus orbis à firmamento. Etiamſi inæqualiter diſtaret ſol: ratio quidẽ inæqualitas apparẽs: reuera tamẽ nulla eſt. Porrò quòd ſol appareat mane & veſpere maior: in meridie verò minor, in cauſa eſt intenſiſſimus ſplendor & radiorũ ſolarium impreſſiones perpendiculares. Tum enim ſolẽ ne conſpicere quidẽ poſſumus: tantum abeſt vt quantæ magnitudinis ſit, videremus. Matutino verò & veſpertino tẽpore, cùm cõmodius conſpicere poſſumus, propter tranſitionẽ & exiguã obliquitatem. Tum enim polos zodiaci ratione horizontis ſeu hemiſphærij attingit: & ad nos velut per obliquũ ſe fundit: quemadmodũ, & ad Antipodas. Ideò Ariſtotelis ratio coloris quidẽ diuerſi aliqua eſſe poteſt: ſed magnitudinis nulla.* Drym. *Num per ſuperficiẽ intelligitis conuexã?* Symb. *conuexam ſolidã.* Drym. *Cœlum eſt incorruptibile: ergo nõ eſt vna ſuperficie contentũ: Accidentia enim nõ ſunt in incorruptibilibus.* Symb. *Superficies ratione di-*

ne dimenſionũ accidens eſt, & tale in cœlo nõ datur. OLIST. *Superficies in ſe conſiderata eſt ſubſtantia: alijs collata vtpotè dimẽſionibus eſt quantitas: formis collata, eſt qualitas. Ideò in cœlo ſuperficies conſideratur vt ſubſtantia & forma eſſentialis: non vt dimenſio Quòd enim cœlos metiri videamur, ea dimẽſio non eſt ratione cœli: ſed ratione noſtri: qui imaginamur eiuſmodi partes. Et id quod reuera diuidi non poteſt: conceptu diuidimus. Atque non officit cœlo quò minus ſimplex ſit: etiãſi ea ratione dimenſiones ſibi attribuãtur: ſine quibus non eſt: & ſi quomodo ſit ignoremus. Quantitas ergo bifariã conſideratur vna cũ cæteris prædicamentis, Quò ad primam compoſitionẽ, & tũc partim materiæ partim formæ virtutes ſignificat: Quod ad ſecundã compoſitionem attinet, accidẽtia ſunt. Ideò quoq; accidentia in ſimplicibus negamus, quod eis ſecunda cõpoſitio attribui non poſſit vt ſuprà dictum eſt. Hinc ad multas arduas quæſtiones reſponderi poteſt: & illud definiri, quomodo Deus ſubſtantia, Qualitas & Quantitas ſit.* Drym. *Nullum ſolidum admittit intrinſecus diſtinctionem: ergo neque corpus Sphæricum.* Symbulus. *Non admittit reales: ſed imaginarias.* OLIST. *Nõ dicimus poſſe reuera ſtatuere circulos eiuſmodi in globo: imaginari tamen poſſumus, & velut viam ſternere ad profundiorum inquiſitionem curſus cœleſtis.* Drymus. *Superficierum nulla eſt profunditas, neque craſſities: ergo non poſſunt conſtituere corpus Sphæricum.* OLISTVS. *Quemadmodum ex multiplicatione punctorũ linea, ex multiplicatione linearum ſuperficies: ita ex multiplicatione ſuperficierum corpus: atque ſic tribus ſuperficiebus conſtet, oportet. Maxima quæ in longum vergit: Media, quæ in latum: & Minima, quæ in profundum: idque in planis corporibus: In Sphæricis enim ratio harum trium dimenſionum æqualitas eſt.* Drymus. *Corpus Sphæricum ſiquidem eſt vna ſuperficie contentum, non naſcitur ex multiplicatione ſuperficierum.*

Vbi enim vna ſuperficies:ibi non plures. Symbulus. *Definitio de ſuperficie conuexa tantũ:non de concaua loquitur.* OLISTVS. *Globus vna ſuperficie continetur velut termino ſuæ craßitiei ſeu profunditatis. Atque vna ſuperficie contentum cùm dicimus: intelligimus de terminatione ſuperficiei hoc eſt de conuexo,non de ipſo terminato:quod non minus ſuperficiebus conſtat,& in ſolidum vertitur:cuius tandem ſolidi tum demum ſuperficies conuexa,vna eſt.* Drymus. *Cœlum eſt corpus ſimplex:ergò non conſtat ex multiplicatione ſuperficiei.* Symbulus. *Cœlum corpus ſimplex eſt reſpectu ſecundæ compoſitionis.* OLISTVS. *Siquidem phyſicè loquendo ea duntaxat ſunt compoſita quæ præter materiam & formam etiam ex elementis conſtant:Cœlum ea ratione vtique non erit cõpoſitum. Vt autem illa ſecunda compoſitio dicitur reſpectu cuius cœlum ſimplex eſt:ita cœlum conſtabit prima compoſitione:nihilominus tamen ſimplex dicetur:quia ſimplicis materiæ, & formæ à compoſitione elementorum prorſus aliena. Quòd autem ex eo ſequi videtur cœlum non habere multiplicationes ſuperficierum:id fieri non poteſt. Nam multiplicatio ſuperficierum tam primæ: quàm ſecundæ compoſitioni conuenit.* Drymus. *Sphæricus tamen verſatur circa circulos conſtituendos:ergo non circa corpora perfecta ab imperfectis diſtinguenda.* Symbulus. *Per ſe propria tractatio eſt de circulis:per accidens verſatur circa corpora.* OLISTVS. *Verũ eſt Sphæricũ verſari circa ſolos circulos:id eſt viã & ordinẽ,quibus motus & quæ circa motum attinẽt indagare poßit:ſuntque velut inſtrumenta ad naturam corporum indagandam:Verſatur tamen etiam circa ipſa corpora. Idq; per accidẽs, ea nimirum ratione, qua poſitionem circulorum non niſi in corporibus ſtatuere poteſt.* Drymus. *Partes ſequuntur naturam totius:ergo Sphærices partes ſequuntur ſuum totum:per conſequens ſuperficies cœlorum ſunt vnius naturæ.* Symbulus. *Intelligendum eſt de partibus ſimilaribus*

laribus : non de partibus diſsimilaribus. OLISTVS. *Partes homogeneæ per omnia ſui totius naturam imitantur, Quò ad quantitatem continuam:non diſcretam. Heterogeneæ verò neutro modo. Quapropter cœlum primi mobilis: & ſi rotunditate ſimile ſit ſecundo orbi:eam tamen ſimilitudinem, quò ad quantitatem continuam, non diſcretam concedimus. Sic vna gutta aquæ imitatur totius aquæ naturam: quò ad ſubſtantiam & continuam quantitatẽ: ſed non ratione magnitudinis & multitudinis. Ideò ſimilares partes in continuo quidem abſolutè: non tamen reſpectiuè: neque ſecus ac in diſcreto, imitari naturam totius concedimus.*

De mundo & quàm latè pateat.

CAP. VIII.

OLISTVS. *Poſtquam Sphæræ definitionem intelleximus, & eius membra ſingula diligentiùs expendimus, quæ in ſe contineat, & quibus conſtet partibus, atque id non ſecus quàm à limine & præforibus, dum de globo inſtitueretur tractatio: Iam porrò, cùm multa præclara ea definitio contineat, imo totum ornatum mundi complectatur: allecti eius pulchritudine, videre & intelligere hunc mũdi ornatũ, cupimus. Quamobrẽ pollicitatione in definitione facta, & delibatis definitionis initijs: nunc ingredimur in arcẽ mũdi: videlicet Sphærã ipſam conſpecturi mundum & ea quæ circa mundum verſantur. Qui nil aliud eſt quã* σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων: *ſeu* κόσμος ἡ τῶν ὅλων τάξις τε καὶ διακόσμησις ὑπό θεοῦ τε καὶ διὰ θεὸν φυλαττομένοι *id eſt compages cœli & terræ earumque rerum ſeu naturarum quæ in his continentur. Vel totius ordo atque diſtributio à Deo & propter Deum conſeruata. Hunc mundum vt ordine quodam perſcrutari videamur, in duas partes ſecare poſſumus. In ſubſtantiam*

hoc eſt in eam partem quæ reuera exiſtit: & accidens hoc eſt, in eã partem quæ excogitata eſt ab artifice: propter commodiorem modum, eam partem quæ ſecundum ſubſtantiã dicitur, diſcendi & intelligendi. Non enim quiſpiam poterit de motibus diſſerere, videlicet Planetarum, trepidationis aut primi mobilis: & cæteris cognitu neceſſarijs: niſi hypotheſibus quibuſdam veluti cauſis demonſtrationũ conceſſis & inuentis. Hãc ob cauſam primum membrũ vt ſcopus & materia, circa quam verſatur ſecuudum membrum, ſit oportet: primum expendendum erit, quam ob cauſam à Sphæra *initium ſumpſerit & non potius à rebus ſupercœleſtibus: idq́ eo factum eſſe quòd non de ſupernaturalibus: ſed de naturalibus inſtituta fuerit tractatio. Deinde quòd principes artifices Sphæricæ doctrinæ, exiguã aut nullam cognitionem rerum ſupernaturalium habuerint. Hanc ob cauſam alij octo duntaxat: alij nouem conſtituerunt orbes. Ideò hic Sphæra communior videtur quã mundus potiſſimum ob id, quòd in conuexa parte Sphærices, nullum prorſus, ornatum: ſed tantùm in concaua putarunt. Quam ob cauſam veluti præ foribus conſtituti, ingredi cupiuerunt: Secundò ingreſſi, mundum conſpexerunt: Tertiò mundi partes ſtatuerunt: Quartò quæ & quid ſint illæ partes: Quintò circa quid verſentur: Sexto quod mutuò ſe conſequantur, vtpotè quòd pars accidentalis ſit propter ſubſtantialẽ.* Symb. *Ad primi mobilis, trepidationis, & planetarũ motum intelligendum mundi diuiſio neceſſaria, & alterum diuiſionis membrum, alterius velut ſcopum eſſe docuiſti. Nam dicti motus ſine orbium diſtinctione neque doceri: neq; intelligi poſſunt.* Drym. *Nihil eſt in intellectu niſi prius fuerit in ſenſu: ergo primi mobilis trepidatio non intelligitur. Nam inter ſenſum & eius obiectum, debet eſſe aliqua proportio. Et ſiquidem finiti & infiniti nulla eſt proportio: inter ſenſus, & primi mobilis trepidationem, non datur proportio: ergo &c.* Symb. *Inter finitum & infinitum proportio eſt, intelligendo*

ligendo participatiuè. OLIST. *Huius argumenti vis conſiſtit in ea* κοινὴ ἔννοια ἢ πρόληψις *ex qua totum argumentum ductũ eſt vtpote nihil eſt in ſenſu, quin prius fuerit in intellectu. Quæ quidem Maxima nullũ locum habet niſi in abſtractis ſpeciebus, id eſt in ea cõſideratione, quæ eſt circa nos. Trifariam aliquid in intellectu conſideratur, primò per exemplar: atque ita Deus in noſtro intellectu eſſe dicitur. Secundo concreato modo: Atque ita intelligentiæ in intellectu eſſe dicuntur. Tertiò imagines à rebus abſtractæ. Primi igitur duo modi etiamſi in ſenſu non ſint: Sunt tamem in intellectu ſed participatiuè. Tertius verò modus eſt qui hanc* κοινὴν ἔννοιαν *comprobat. Ea enim ratione nihil poteſt intellectus appræhendere à notioribus nobis, niſi intentiones rerum: Et eas quidem non participatiuè, ſed integrè, & ſecundum totum. Motus ergo trepidationis in intellectu erit, neutro horũ modorum. Nam, neq; per exemplar: neque connato medio: neque per abſtractionem noſtro intellectui ineſt: ſed per coniecturas id eſt modo mathematico. Atque hic modus in intellectu adæquatus eſſe dicitur. Nam ex intentionibus intentiones eliciuntur: Poſſumus tamẽ hunc modũ ſub ſecũdo complecti.* Drym. *Mundus diuiditur ab Ariſt. ſecundũ ſitum & relationẽ: quid ad hæc?* OLIST. *Ariſtoteles ea diuiſione loci & locati naturã cõplectitur: nec tamen omniũ capax eſſe poteſt: quã autor vno mẽbro complexus eſt vtpote ſubſtãtiæ, accidentis mẽbra adiungẽs propter corpora mathematica, & eorũ ſitum. Quæ cũ ſub Ariſtotelis Diuiſione cõpræhendi non poſſint: hæc definitio qua mundus in ſubſtantiã & accidens ſecatur cõmunior & proxima ſit oportet.* Drym. *Vnicus eſt mundus ergo nõ plures.* Symb. *Nõ diuidimus mundũ in ſpeciẽ: ſed in partes. Ideò nõ impedit enumeratio partiũ, vnitatẽ mũdi.* Drym. *primũ membrũ cõdiuiſionis nõ eſt ꝑpter ſubſtantiã ergo ſubſtãtia nõ propter accidẽs neq; extra ſubſtantiã & accidẽs aliquid eſt: neq; à tertio derigitur.* OLIS. *Verſari circa ſubſtanti-*

ſtantiam bifariam conſideratur, *Aut* vt circa finẽ: aut vt circa materiã ſubiectã. Hoc modo accidentia p̃dicamentalia inſunt ſubſtãtiæ: illo modo accidẽtia mathematica. Drymus. *Sine diuiſione poſſunt motus cœleſtes conſiderari: ergo ad motus cognoſcendos, nõ eſt neceſſaria mundi diuiſio.* OLISTVS. *Diſtinctionem mundi non propterea aſsignat, quòd antea nõ ſit: ſed enumerat potius quæ natura ipſa conſiſtunt: & vt ea rectiùs & meliùs cognoſci poſsint, alterum membrum velut methodum quandam adiungit: per quã ad tantarum rerum cognitionem peruenire poſſumus.* Drymus. *Definitionem mundi ab Ariſtotele poſitam bonam & ad cognitionem vniuerſi neceſſariam poſuiſtis: ſiquidem proximo genere conſtat. Quæro quod ſit genus in ea definitione.* Symbulus. *Σύστημα: quod ſignificat conſiſtentiam.* Drymus. *Mundus eſt in ſubiecto: ergo mundus non eſt ſubſtantia.* Symbulus. *Non loquitur mundum eſſe ſubſtantiam ſed conſiſtentiam.* OLISTVS. *Cùm aliud ſit ineſſe ſubiecto, & exiſtere in ſubiecto, illud accidentibus: hoc formis conuenit. Mundo vtique Subiecto ineſſe non conueniet: ne ſubiectum quidem eſſe. Quo fit vt non ſubſtantiæ nomine, ſed conſiſtentiæ definitum ſit: quòd σύστημα nihil aliud quàm conſiſtentiam ſignificet. Definitio igitur mundi eſſentialis ex prima & ſecunda Ariſtotelis Definitione rectè elici poteſt. Genus enim eſt in ſecunda vbi dicit τῶν ὅλων. Differentia in prima vbi dicit σύστημα. Quaſi dicat κόσμος μέν ἐστι τῶν ὅλων σύστημα. Hic compræhenduntur omnes definitionis conditiones, Nam τῶν ὅλων σύστημα nemini conuenit, niſi mundo: & è conuerſo. Deinde σύστημα mundi eſſentiam declarat, quæ pari ratione nemini niſi ſoli mundo accommodari poteſt. Sic genus τῶν ὅλων ſoli mundo conuenit, eius eſſe reuera exprimens.* Drymus. *Quæ eſt cauſa huius definitionis.* Symbulus. *Ipſum σύστημα.* Drymus. *Definitio vera conſtat ex genere & differentia: ergo non ex partibus.* Symb.

Partes

Partes continet implicitè. OLISTVS. *Partes ſunt duplices eſſentiales & integrales. Poteſt aliquid conſiſtere eſſentiali definitione: nihilominus tamen partium eſſentialium mentionem facere: cùm ſine ipſis eſſentialis definitio eſſe non poſsit: id quod in integralibus non conſtat.* Drymus. *Definitio ab Ariſtotele poſita, non continet omnia: ergo non bona.* Symbulus. *Etiamſi angeli in iſta definitione non contineantur explicitè: implicitè tamen.* OLISTVS. *Vbi Ariſtoteles mundum definit præter compagẽ cœli et terræ, addit* καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων, *hoc eſt, & earum naturarum quæ in his continentur. Angeli ſiquidẽ ſunt naturæ, in cœlis conſiſtentes: et earum mentionem ſub nomine naturæ, complexus eſt. Quòd autem alij dicant mundũ ſubſtantiam corpoream eſſe: id fit ratione Sphæræ. Quæ ſiquidem vna ſuperficie contenta & ſolida globum efficiat: hic globus ſubſtantia ſit oportet. Et ſiquidem Ptolemæus, & qui eum ſecuti ſunt extra eam compagem nihil eſſe arbitrabantur: ideò mundũ in iſto globo contineri concludebant. Eam ob cauſam cùm mundum ſubſtantiam corpoream eſſe dicimus: ponimus hoc genus ratione continentis. Cùm verò* σύστημα *eſt differentia ſeu genus mundi: ratione contenti id fieri intelligendum eſt. Atque ita ij qui addunt corpoream ſubſtantiam facilè excuſari & defendi poſſunt. Nam definitio potius eſt ſenſibilis mundi, quàm intelligibilis: de quo Philoſophi parum nouerant.*

De numero Sphærarum, CAP. IX.

OLISTVS. *Diuiſio ſecundum ſubſtantiam, more Ptolemæi, etiamſi nouem contineat ſphæras: reuera tamen & ſenſibiliter decem ſunt. Nam intra ſphæram Saturni & Firmamenti motus trepidationis exiſtit: cuius manifeſtum*

ſignum eſt, acceſſus & receſſus Solis. Hic aũt motus fit ſuper paruis circulis, in Ariete & Libra: ratione cuius, diſtantia Solis conſiderari poteſt. Quòd autem ex omnibus iſtis ſphæris, Lunæ minima ſit: orbis teſtatur. Quod infima: ex gnomone, Lunæ & Solis (Nam Lunæ longior eſt) facilè deprehendi poteſt. Symbulus. *Si rectè intellexi, Dictum eſt, Decem eſſe ſphæras, inter poſteriores ſeptem maxima Saturni: minima Lunæ, Siquidem tota cœleſtis machina conſtat tribus iam ſæpius dictis motibus.* Drymus. *Habentné ſphæræ ordinem aut locũ?* Symbulus. *Vtiq; in parte, non in toto.* OLISTVS. *Totum, quemadmodum locus, trifariã conſideratur: Totum repletiuum, quod ſecari non poteſt: Indiuiſibile enim eſt. Nam totum eſt in ſe & in qualibet parte totius, totum. Talis eſt Deus benedictus ſuper omnia: Tale quid ſimilitudinariè & proportione quadã in natura ſimplici, Sol eſt. In compoſitis rebus, anima: quod totum etiã eſſentiale dici poteſt. Aliud totũ Definitiuum, neq; tale extra definitionẽ datur: niſi eo modo quo mouetur à termino, à quo & ad terminum ad quem: Quæ quidẽ partitio Relationis dici poteſt. Atq; hoc totum intelligentiarum eſt. Porrò, totum circumſcriptiuum bifariam conſideratur, aut quo ad formam & materiam, cuius totum propriè ſpecies eſt: Aut quo ad partes integrales, quarũ verè & propriè totum eſſe dicitur. Quod ad primum modum attinet, conſequentia huius maximæ: ablato toto auferuntur & partes, non valet: Quia non recipit ordinem totius aut partis. Quod ad ſecundum, non valet, quia ſolam relationẽ admittit. Quod ad priorem tertij modi partem attinet, non valet: Quia non meretur dici totum. Ergo in poſterioris modi poſtrema parte locum habebit. Ideò ordo datur in cœleſtibus, nõ ſubſtantiæ: ſed* σοσἡματος *ſeu turmæ & ſocietatis: atq; ita dicetur totum compactum: non generatum. Hoc totum ſcholaſtici creatũ appellant, vbi poſitio omnis, ex negotio aufertur: & natura totius cum na-*

tura

tura partis conuertitur. Drymus *Mirum eſt, quòd plures ſphæras quàm octo ponatis: cùm nec primus motus nec trepidationis, videántur.* Symbulus. *Etiamſi videri nõ poſſunt: tamen ſentiri poſſunt.* OLISTVS. *Præter quinq; ſenſus rectè à Lullio adiungitur ſextus, vtpotè affatus: qui in eo differt à tactu, quòd tactus ſit corporis tantum: affatus verò et corporis & animæ: Cuius reuera ſunt coniecturæ: quibus non minus ſentimus atque reliquis ſenſibus. Motus igitur trepidationis & primi mobilis etiamſi non viſui offeratur: tamen eum ſentimus, dum receſſu & acceſſu* So*lis mediante calore & frigore, nunc vtrinq; remiſſiore: nunc intenſiore afficimur: & certa eſt coniectura huius motus. Motus verò primi mobilis non minus certus eſt: Concauum enim & conuexum habet. Sicut igitur octauam ſphæram ratione concauitatis firmamentum appellamus: ita ratione ſui conuexi primum motum colligimus, & affatu ſentimus: ipſaq; obſeruatione. Quòd verò Ptolemæus octo duntaxat aſſerat, eò fit, quòd & eum motum ignorauerit, & coniectura aſſequi non potuerit: totque poſuit ſphæras, quot viſus admiſit. Quòd autem etiamnum ſint, qui vices vel partes Ptolemæi defendant fit eò, non quòd ipſi ignorent: ſed quòd autoritate moueantur tanti viri: tum quod impediantur ipſa pertinacia: quæ eſt mater omnium rixarum & contentionum.* Drymus. *Quæro quem locum attribuatis Mercurio & Veneri.* Symbulus. *Mercurio penultimum, & Veneri antepenultimum.* Drymus. *Mercurius & Venus ſunt ſupra Solem. Probatur autoritate Ciceronis: qui Platonem ſecutus eſt, in libro de Vniuerſitate: & ſecundò de Natura Deorum. Mercurius enim & Venus nullam patiuntur Eclipſin: ergo non ſunt infra Solem. Nam Planetæ infra Solem poſiti patiuntur in coniunctione Eclipſin, ſicut & Luna.* Symbulus. *Non fit Eclipſis inter Mercurium & Venerem, quia non fit coniunctio.*

OLISTVS. *Eſt quidem ſententia multorum, Mercurium & Venerem, quia ſunt minoris aſpectus, & nullam patiuntur Eclipſin ſupra Lunam collocari: Vtriusq́ tamē rationis ſenſus, benè intellectus, potius confirmabit Venerem & Mercuriū ſub Sole eſſe quàm ſupra Solem. Nam aſpectus minor ex quantitate minori et ratione gnomonis docet vtrunq́ ſub Sole eſſe. Quod verò nullam Eclipſin patiantur, ratio in promptu: Quia motus tam Veneris quàm Mercurij eiuſdē ferè temporis eſt cum Sole. Cùm igitur Luna duodecies abſoluat ſuum curſum, antequam Sol ſemel: oportet, vt, & duodecies opponatur. Quamobrem deniceps eclipſin patitur quàm diu coni ratio durat. Non impediet igitur Eclipſis Lunæ, quò minus Mercurius penultimum: Venus verò antepenultimum locum obtineat.* Drymus. *Luna in eclipſi obſcurat* Solem: *ergo Luna maior eſt* Sole. Symbulus. *Non vniuerſaliter: ſed particulariter.* OLISTVS. *Eclipſis Lunæ vniuerſalis eſſe poteſt, partim quia Luna ſub Sole verſatur: partim, quia Luna habet lumen à Sole. Sed eclipſis Solis ratione Lunæ, neutro modo fit: cùm Sol & ſupra Lunam ſit & lumen à ſe habeat: non ab alio quopiam. Ideò alius modus eſt quo adimitur lumen Solis: Non quòd Sol propterea careat lumine: ſed quòd in ſubiectam plagam agere prohibeatur. Sol ideò quantū conus admittit Eclipſin patitur. Quemadmodum enim denſa aliqua nubes Solis radios penetrare non patitur, & vmbram in ſubiecta plaga efficit: nihilominus tamen, vt alijs partibus terræ luceat prohibere non poteſt: Ita quoq; cùm directè Luna ſub Sole eſt, non adimit lumen Soli, neq; vniuerſaliter prohibet omnibus plagis terræ, quò minus eis Sol luceſcat: ſed duntaxat ei portioni ſupra quā exiſtit. Quapropter eclipſis Solis nunquam vniuerſalis eſſe poteſt: niſi fortè miraculoſè id contingat.* Drymus. *Octaua ſphæra habet varios & diuerſos motus: ergo poſſunt plures quā decem conſtitui ſphæræ.* Symbulus. *Sunt quidem*

dem ſupra decimam apud Theologos plures ſphæræ: ſed non reſpectu diuerſitatis motuum in firmamento. OLISTVS. *Naturaliter dicendo, hoc eſt, quatenus ſenſibus aſſequi poſſumus: prout ſphæra quoq; ſub naturali philoſophia continetur, non poſſunt plures conſtitui, quàm decem ſphæræ: idq; ratione triplicis motus firmamenti. Quòd autem de Chryſtallino, Aethereo, et Empyreo cœlo dicitur: id non eſt eius tractationis. Sphæricæ enim diſciplinæ artifex et naturalis philoſophus verſatur in globo duntaxat: extra globum verò nequaquam. Ideò ſiquidem extra globū reliquæ ſphæræ conſiderantur, ad Theologum potius & metaphyſicum, quàm ad phyſicum ſpectant.* Drymus. *Dicebatis, motū trepidationis neceſſariò efficere octauam ſphæram. Quid? ex inſufficientibus cauſis infers effectū neceſſariò? acceſſūmne & receſſum Solis eius rei cauſas putas? Qui fit ergò, quòd motum trepidationis octauam ſphæram efficere aſſeras.* Symbulus. *Eſt quidem illa potiſſima cauſa: ſed nō ſufficiens: Antiperiſtaſis enim eſt ſufficiens cauſa.* Drymus *Firmamentū eſt proxima ſphæra Saturni: Nullius enim ſphæræ interſtitium datur inter ſphæram Saturni & firmamentum: quonam igitur collocas motū trepidationis?* Symbulus. *Interſtitium ſunt parui circuli ſuper quibus eum motū pono.* Drymus. *Parui circuli ſunt in Ariete & Libra: ergò non efficiunt interſtitiū. Aries enim & Libræ ſunt in firmamento. Circuli cùm in Ariete & Libra ſint: non faciunt interſtitium inter firmamentum & Saturnum.* Symbulus. *Non ſunt propriè in Ariete & Libra, niſi ſecundum modum dicendi: Potius autem intelligendum ſub Ariete & ſub Libra.* OLISTVS. *Motus trepidationis qui conſiſtit inter firmamentum & ſphæram Saturni, non eſt ꝓpriè orbis alicuius Aſtri: ſed ratione Antiperiſtaſis cauſatur eiuſmodi motus. Quemadmodum enim in aëre vna antiperiſtaſis facit triplicem regionem: Ita antiperiſtaſis firmamenti &*

Saturni facit peculiarem motũ ex cuius poſitione à Saturno, firmamentum tertium ſortitur locum. Hic autem Motus trepidationis eſt planè contrarius motui recto. Quemadmodum media regio aëris, planè contrariam habet qualitatem, hoc eſt frigidam: cùm tamen aër natura calidus ſit: Ita illa antiperiſtaſis inter Saturnũ & firmamentum contra omnium motuum naturam, efficit motũ trepidationis. Atq; ita motus ille ponitur per accidens propter acceſſum & receſſum Solis: qui cum experientia manifeſtus ſit: manifeſta quoq; motus trepidationis poſitio ponatur oportet. Cur autem potius ſupra Saturnum quàm ſupra Solem, cuius reſpectu propriè motus trepidationis ſit, ponatur: ratio in promptu, vtpotè Ecliptica, quæ ſemper ſub horizonte eſt: quoniã Zodiacus in firmamento conſiſtit. Virtute ergò ſignorum, quæ in Zodiaco ſunt, hæc antiperiſtaſis oriatur, neceſſariũ eſt. Atq; propter eam δύναμιν motus trepidationis inter firmamentũ & Saturnũ eſt. Drymus. *Pars non poteſt eſſe totum: ergò motus trepidationis nõ poteſt eſſe octaua ſphæra. Vnius enim ſphæræ triplicem motũ aſſerunt: ex quorum numero trepidationis eſt. Atqui motus trepidationis, eſt pars illius ſphæræ: Motus trepidationis ergo non conſtituit octauam ſphæram.* Symbulus. *Eſt quidem vnus orbis ſubiectum iſtorum motuum: ſed non abſolutè.* OLISTVS. *Firmamentum recipere triplicem motum, non eſt dubium: quòd ideò vna ſphæra ſit, falſum eſt. Quot enim ſuperficies, tot etiam ſphæræ ſunt. Quapropter cùm firmamentum ſuperficiem conuexã & concauam habeat: duplicem ſphæram conſtituat, oportet. Tertia verò vt ſuperius dictũ eſt, ratione antiperiſtaſis: quæ datur in eo interſtitio quod inter firmamentũ & motum Saturni eſt. Quòd autem dubitatum ſit, de ſtellis inerraticis vt aiunt: intelligendum eſt ſtellas fixas non eò dici, quòd non moueantur, ſed quòd mutuò ſe conſequantur, in eodem ordine contra motum diurnum vel primi*

mobilis. Erraticas verò eò dictas, non quia contrariantur primo mobili, ſed partim quia lateraliter, partim quòd moueantur in incerta diſtantia. Aliquando enim magis ad ſeptentrionē: aliquando magis ad meridiem vergunt, nec aliquam habent proportionē, cum ordine inerraticarum ſtellarum. Quo fit, vt etiam rectius ſtellæ fixæ non erraticæ appellentur, quàm fixæ: quamuis vtraq; denominatio defendi poſſit. Fixæ enim dicuntur, quòd fixo quodam ordine moueantur: Non erraticæ quòd eundem ordinē obſeruent, ad differentiam erraticarum, quæ ſparſim & ſine ordine ſuū curſum obſeruent. Drymus. *Motus trepidationis non habet vnicum & regularem motum: ergo non poteſt eſſe octaua ſphæra, corpus enim ſimplex regulariter mouetur.* Symbulus. *Conſequentia mihi videtur infirma.* OLISTVS. *Etiāſi ſimplex motus in ſphæris diuerſus ſit: non eſt propterea dicendum quod ſimplices nō ſint. Natura enim requirit differentiā perfectionis: quo fit vt & ſimplicia corpora differentia ſint propter perfectionē. Et ſic alterū alteri collatū, præſertim in erraticis ſphæris, & extra curſum ſtellarum fixarum, poſſunt dici, impropriè irregulares. In ſeſe conſideratæ, maximæ, ſimplices, & perfectæ ſunt.*

De mundo ſecundum ſubſtantiam, quid ſit, & quàm latè pateat, CAP. X.

OLISTVS. *Diuiſio mundi mea quidem ſententia quod ad perfectionem attinet nō videtur ſufficiens, ſed cùm de ſenſibili mundo duntaxat naturalis Philoſophus agat: in ea parte nonnihil condonandum erit: paucis verò quæ mea ſententia ſit, pro huius loci neceſſitate dicam: exquiſitiorem eius rei tractationem conſulto, in commodiorem locum differens. Itaque in genere ſecundum ſubſtantiam duplex eſt mundus, ſenſibilis & inſenſibilis. Ille ad huius exemplar & ſimilitudinem eſt factus: nec quicquam eſt in ſenſibili mundo quod præſtantiori modo*

non

non ſit in intelligibili. Quandoquidem igitur mundus ſenſibilis in ſimplicem & compoſitum diuidatur: Simplex in cœlos et elementa: compoſitus in μικρόκοσμον *& elementata: haud dubiè & inſenſibilis mundus pari ratione diuidi poteſt. In ſimpliciſsimum Ens et Simplex. Simpliciſsimum Deus eſt, ex quo omnia prodeunt, quo nil ſimplicius exiſtit. Huius cœlum Empyreum eſt, in quo conſiſtunt Seraphini: deinde ex ordine reliquæ Hierarchiæ, hoc eſt ſacrorũ principatus, vt Dionyſius in lib. de Eccle. Hier. habet. Simplex cõſideratur reſpectu noſtri in firmamenti conuexa ſuperficie: quam terram appellare poſſumus cœleſtem: & Chryſtallinũ, quam aquã cœleſtem proportione, ſicut Aethereum aërem, & Empyreum ignem, appellamus: quod facilè patet, ſi quis diligentius primũ caput Geneſeos expẽdat. Decẽ ſphæras accommodare Hierarchijs poſſumus, quæ nouem terminis continentur, Et trinitate decima, à qua omnia, in quam omnia, per quam omnia, & quæ in omnibus conſiſtit: Maieſtas inenarrabilis, & gloria inperſcrutabilis, cui et laus in perpetuum. Sed de hac re ſuo loco vbi de ſextuplici mundo diſputaturi ſumus. Hæc iã intellexiſſe ſufficiat.* Symbulus. *Mũdum rectè eorum quæ ſenſibilium ſunt atq; inſenſibilium, eſſe diſſeruiſti. Nihil enim eſt quin ſub conuexa & concaua ſuperficie contineatur.* Drymus. *Cœlum Empyreum eſt ſenſibilium: ergo mundus nequãquam inſenſibilium: neque eſt aliquis intelligibilis, quia tantùm vnus mundus.* Symbulus. *Plures ſunt relatione: ſed natura vnus.* OLISTVS. *Eſt apud Peripateticos diſputatio de diuerſitate mundi, non tam iucunda, quàm vtilis: qua inueſtigant vnius Entis maieſtatem, quod Theologi vnicum Deum omnium rectorem & conditorem aſſerunt: & id quidem non ſine magno naturæ dictamine, & intimæ rationis proprietate. Si enim plures mundi eſſent abſoluti: plures etiam conditores, plures ordines & diuerſi: plures ordinum ſpecies, et diuerſæ. Sic alij homines in alio*

mundo,

mundo, quàm in præſenti, exiſterẽt. Aliter formata animalia, plã tæ arbores, & ſimilia, quàm in hoc mundo. Atque ea ratione daretur proceſſus in infinitum: Daretur perpetua pugna & corruptio vniuerſalis, non ſecus ac particularis: Adimeretur omnipotentia Dei: præter vnum plures Dij eßent: Parem potentiam & contrariam haberent. Ita expoſitione plurium mundorum multa & infinita abſurda ſequerentur. Eam ob cauſam rectißimè à philoſophis vnus mundus defenditur: & religioſè creditur. Quòd autem ſupra hunc mundum inſenſibilis ponatur: non ſequitur pluralitas mundorum. Quemadmodum enim firmamentum inferiores Sphæras continet: ſic mundus inſenſibilis intelligibilem complectitur. Ita vt nõ niſi relatione quadam duo dicantur: abſolutè tamen dicendo vnus duntaxat mundus eſt, eiuſque vnus opifex. Hæc quoque diuiſio quòd mundus ſenſibilis & inſenſibilis dicatur, non niſi noſtræ imbecillitatis gratia data eſt: vt eiuſmodi diſtinctione faciliùs naturam mundi complecti poßimus: In ſe verò conſideratus mundus, & ſi ordine collocetur, & reſpectu Cuius proportionem quandam admittat: diuiſionem tamen nullam. Drymus. *Iuditium eſt ſenſibilium duntaxat: non inſenſibilium.* Symbulus. *Non poteſt iudicari de inſenſibilibus, quò ad materiam: ſed quò ad formã.* OLISTVS. *ferre iuditium, ſecundum Alexandrum Aphrodiſæum duobus modis conſideratur, quò ad ſubiectum materiæ: hoc eſt res præſentes quæ impropriè iuditium admittũt: Deinde ratione finis, qui vt primus eſt, in inchoando: ita vltimus in exequendo: atque huius proprium eſt iuditium. Iuditium ergo mediantibus qualitatibus ſenſibilibus: ſenſatio potiùs quàm iuditium dicitur. Iuditium enim cùm in intellectu conſiſtat, & ex intellectu proueniat: Vniuerſalium potiùs quàm particularium erit: ad intelligibilia magis referendum, quàm ad ſenſibilia. Quòd autem hoc argumentum innuere videatur, non poſſe de inſenſibilibus diſputari: cùm in*

noſtra poteſtate non ſint, neque noſtra poteſtate aſſequantur: Ad eam quæſtionem facilè reſpondetur: non eſſe quidem in noſtra poteſtate neque intellectu aſſequi poſſe: tamen quædam cognitio cuius participes facti ſumus, nobis innoteſcit: Etiamſi ſcripturæ declarant ſacræ, quibus non credere impium eſt. Atque ita partim fide, partim coniectura, inſenſibilis mundi cognitionē aſſequi poſſumus: idq́ ex proportionibus quarū effectus ſemper veriſſimus eſt. Drymus. *Inſenſibilia non poſſunt corrūpi: ergo non poſſunt ad mundū referri. Omnia enim quæ ad mundum referuntur, poſſunt corrumpi.* Symbulus. *Mundus corrumpitur ſecundum partem, non ſecūdum totum.* OLIST. *Mundus corrumpi dicitur, cùm immutabitur, hoc eſt, generatione & alteratione liberabitur: Elementa omnia tum demùm redigentur ad ſimplicia elementa, Atque ita vnus mundus, quemadmodum etiam vnum ouile futurus eſt. Et quemadmodum homo glorificabitur: ita & propter hominem & hic mūdus. Et ſicut homo damnabitur peccator: ſic & hic mundus corruptibilis damnabitur & purgabitur. Omnes enim feces peccata & peccatorum autores, in vnum cumulum congerentur, & veluti omnia in vnum faſciculum congeſta & collecta in farraginem id eſt caminum ignis ardentis mittentur: vt ibi ardeant æuum & perpetuum. Hinc manifeſtum, corrumpi quidem mundum ſecundum eam partem, quæ generabitur. Cùm porrò cœleſtis mundus & elementaris nulli generationi ſubiectus ſit: haud dubiè corruptionem non ingredietur. Multò minus verò mundus intelligibilis corruptionem ſubiuit: vt qui nulli generationi hactenus ſubiectus fuerit: nulli tranſmutationi: imò in eo huiuſmodi aliquid cogitare nefas & impium eſt: tantum abeſt, vt aliquam corruptionem ibi ſtatuamus.* Drymus. *Mundus habet corpus: ergo non eſt inſenſibilis.* Symbulus. *Sentitur mundus ex parte: non ex toto.* Drymus. *Senſibilem mundum eorum duntaxat quæ ſimplicis*

plicis atque compoſiti eſſe dicebatis: In ſenſibili autem ſunt ſpiritus, neque ſimplices, neque compoſiti: ergo præter ea quæ dixiſtis tertium aliquid ſtatuatis oportet. OLIST. *Quod ad ſubſtantiam ſpirituum attinet, Simplices ſunt & mundi intelligibilis non ſenſibilis: etiamſi in hoc ſenſibili mundo reperiantur, id quod non quidẽ per ſe: ſed per accidens contigit. Quemadmodum enim malorum hominum carcer æternus infernus eſt: ita malorum ſpirituum, ſenſibilis mundus. Atque hi mali ſpiritus reſpectu bonorum in inſenſibilibus, cõpoſiti dicuntur: non quò ad ſubſtãtiam, ſed quod ad virtutes & vitia attinet. Ad virtutes enim eorum quæ illis natura inerant, acceſſerunt vitia per accidens, vtpotè defectus à bono: eamque ob cauſam compoſiti dicuntur, proportione quadam. Quapropter compoſitarum ſubſtantiarum cruciatũ ſufferunt. Quod autẽ & boni ſpiritus verſentur in hoc mundo, hoc eſt deſuper veniũt, id per accidens fit: propter creaturam humanam, à Deo in hunc finẽ miſſi, vt electos Dei propugnent atque defendant, ab eorum hoſtibus, hoc eſt, ſpiritibus malis.* Drymus. *Quæritur an motus ſub ſenſibili vel inſenſibili mundo compræhendatur.* Symbulus. *Sub vtroque.* Drymus. *Motus neque ſimplex neq; compoſitus eſt: ergo ſenſibilis mundus neq; ſimplicium, neq; compoſitorum eſt: ſiquidem motus cõſtat ex materia et forma.* Symb. *Duplicia ſunt ſimplicia. Accidentis ſcilicet & ſubſtantiæ.* OLIST. *Simplicia ſubſtantiæ bifariam conſiderantur: quò ad formas ſimplices, & quò ad corpora ſimplicia: per ſimplices formas intelligẽdæ ſunt intelligẽtiæ: per ſimplicia corpora, cœleſtis & elemẽtaris mundus: per accidẽtia ſimplicia, intelligẽdæ ſunt ſimplices qualitates corporũ: Vt lux ſolis, et ſimilia: Et ſimplies quantitates, vt tẽpus, & motus potiſſimum qui eſt principiũ temporis. Atq; cùm de motu præſens obiectũ agat: continuũ attribui debet. Quare vtrumq; conſtabit: & motũ eſſe ſimplicẽ, & corpora ſimplicia.* Drym. *Quòd nõ habet materiã ex qua: nõ*

poteſt diuidi in rem ſimplicem & compoſitam: ergo mundus non eſt rei ſimplicis atq; compoſitæ: aliâs præexiſtentē mundus habet materiā. Symb. *Ex toto eſt creatus mundus: ex parte compoſitus.*

De Sphæra recta & obliqua.
CAPVT XI.

SOLISTVS. *Sphæræ diuiſio in ſe cōſiderata in rectos & obliquos nulla eſt. Nam ſemper Sphæra eſt circularis & æqualiter diſtat. Quòd autem eam diuiſionem, ei attribuant: id fit per accidēs, hoc eſt, ratione noſtri, id eſt ratione ipſius terræ ſeu centri. Huius enim ſuperficies cùm variè inhabitetur: varios habeat reſpectus neceſſarium eſt. Eam ob cauſam, quòd quibuſdam vterque polus appareat, ſpheram rectam iudicant: quod reſpectu vtriuſque verticis cadens æquinoctialis perpendiculariter efficiat angulos rectos. Non quòd æquinoctialis axis rectè ſupra axem mundi cadat. Ea enim poſitio tam in obliqua quàm in recta linea æqualis eſt: Sed quòd horizon æquare videatur polos mundi? Qui cùm diuerſus ſit pro diuerſitate ac multitudine graduum diuerſi ac multiplices horizontes: Eius duntaxat horizontis qui æquat polos mundi dicitur æqualis: Reliquorū verò omniū inæqualis & obliquus horizō dicetur alijs magis alijs minus, prout obtuſus vltra rectum angulum creuerit, & acutus decreuerit. Hanc ob cauſam nunc recta: nunc obliqua Sphæra eſſe dicitur. Quod autem angulorum faciat mentionem: id fit propter rationes rectæ & obliquæ Sphæræ. Angulorum ergo alius eſt rectus, alius eſt obliquus. Rectus bifariam conſideratur abſolutè, & reſpectiuè. Abſolutè quò ad rectitudinem anguli ex æquali diſtantia punctorum. Reſpectiuè quò ad lineam, & ſuperficiem. Quò ad lineam: recti anguli conſtituuntur, Cum recta linea perpendiculariter ſuper lineam rectam cadit: tum angulos gignit æquales, quos rectilineos appella-*

pellamus. Superficiales verò dicuntur ad eundem modum: cum ſuperficies plana ſuperficiem interſecat. Et illa quidem bifariam, aut cùm linea ducitur in circulum, aut cùm ducitur in curuitatem: quæ plerunque in plano fit. Pari ratione ſuperficies ſolida ſi ſolidum contingat perpendiculariter, ex multis quidem ſuperficiebus concurrentibus: ſed angulus rectus naſcitur. Anguli verò obliqui ſimiliter conſiderantur, abſolutè & reſpectiuè. Abſolutè quò ad obliquam punctorum ſuperficiem: & id quidem in modum acuti cum angulus minor recto eſt. Reſpectiuè bifariam, aut in obliquitate linearum, aut in obliquitate ſuperficierum. In obliquitate linearũ cùm aut linea recta ſuper rectam, obliqua ratione cadit: aut curua ſuper curuam, partim in planitie: partim in circulo: aut mixtim cũ curua ſuper rectam, aut recta ſuper curuam obliquo modo ſe cõtingunt. In ſuperficiebus autem eadem prorſus ratione, aut cùm ſuperficies plana ſuperficiem planam ex obliquo intercidit: aut cum ſuperficies ſolida ex obliquo ſolidam contingit. Atque vt vno verbo diuerſitatem quiſpiam concipiat, tres ſunt anguli in ſeipſis conſiderati ſiue in lineis, ſiue in ſuperficiebus, vtpotè recti: ſiue æquales: ſiue duo obliqui: aut inæquales, vtpotè acutus obtuſus. Recti vocãtur in ſe rectanguli: In lineis rectificiei: in ſuperficiebus, rectarum ſuperficierum, ſeu ortoperiferi, quò ad circumferentias. In his tribus omnes diuerſitates angulorum terminantur: ſed reliqua ad Geometram potius quàm ad Sphæricum attinent. Symbulus. *Sphæram verè in rectam & obliquam diuidi negatur. Nam ſemper eſt circularis & æqualiter diſtat.* Drymus. *Diuerſa cauſa diuerſos etiam producit effectus: ergo Sphæra diuidi poteſt in rectam & obliquam. Signa enim & circuli in diuerſis locis poſiti: diuerſam rectitudinem & obliquitatem reddunt: ergo poſita certa cauſa rectitudinis & obliquitatis: ponitur certus effectus: per conſequens poſita Sphæra, ponitur obliquitatis & rectitudinis ef-*

fectus certus. Symbulus. *Sphæra eſt latitudinis & obliquitatis non per ſe: ſed per accidens.* OLIST. *Sphæra conſiderata in ſe ea ratione, qua eſt corpus rotundum & ſolidum, ſemper eſt recta: nunquam deflectitur: ſemper mouetur ſuper polis ab oriente in occidentem. Quòd autē obliqua dicatur: id fit per accidens, nēpè ratione eorum quæ terram inhabitant. Qui ſiquidem pro diuerſitate locorum, diuerſitatē aſpectuum pariunt: ideò diuerſitatem inhabitātiū & Sphæram obliquam.* Drym. *Viſus & intellectus Sphæræ obliquitatem & rectitudinem exactè cōprahendunt: quomodo igitur Sphæram in rectam & obliquam verè diuidi negabatis?* Symb. *Quia nō niſi ratione noſtri aſpectus obliquus datur. Nam ſi cœlū ſpectes: nullus eſt.* Drym. *Exiſtimo vos aliter torquere verba autoris.* Symb. *nequaquam, ſed potius noſtram ſententiam vrgemus.* Drym *Dicebatis etiam angulos tres: rectum, acutū, & obtuſum. At ne id quidē video: cùm ratione ſphærarū duo tātum ſint.* Sym. *Tres ſunt: ſed etiā ad duos poſſunt referri: Vel duo ſunt quò ad differentiā, non quò ad ſpeciem.* OLIST. *Ea diuiſio angulorum quæ fit per rectum & obliquum: differentiarum eſt. Angulus enim ab angulo differt, per rectū & obliquū: Hæc verò diuiſio triplex: fit per alterius membri ſubdiuiſionem: obliquus enim diuiditur in acutum & obtuſum: atq; proprio vocabulo rectè poteſt dici per enumerationem ſpecierū, Quaſi dicat, tres ſpecies angulorum, rectum, acutum, & obtuſum.* Drym. *plures ſunt Anguli: ergo non tantū tres.* Symb. *plures ſunt per accidēs, non per ſe.* Drym. *Diuiſio generis debet fieri per differentias proximas.* Symb. *Non diuido ſed enumero.* OLIST. *Enumeratio & partitio differunt. Diuiſio eſt generis per differentias: enumeratio eſt, ſpecierum & indiuiduorum. Etſi enumerari differentiæ quoque poſſunt, non minus & partes: At non differentiæ tum, vel partis: ſed totius naturam induit.*

De Ho-

De Horizonte quid & quàm latè pateat. CAP. XII.

OLISTVS. *Quòd Sphæram in rectam & obliquam diuidant: hoc potiſſimum eſt animaduertendum, propter latitudinum & longitudinum dimenſionem: propter dies artificiales & naturales: vt quid naturalis, quiduè artificialis horizō dicatur intelligamus. Eſt verò naturalis horizon, qui verſatur circa aſpectum vtriuſq; poli: Artificialis porro qui circa alterum dūtaxat polorum. Dicitur autem naturalis, partim quòd ex verticibus ſeu polis mundi, hoc eſt, arctico & antarctico pendeat: partim quòd æquinoctialem ſeu mediam partem cœli, quam & hemicyclium & hemiſphærium appellant, ad rectos angulos diuidat. Artificialis verò dicitur, quod à naturalibus polis declinet, & alterum eorum ſaltem complectatur: Et hemiſphærium licet vbique æqualiter diuidat: at reſpectu polorum mundi inæqualis ſectio dicitur. Vnde & reliqui poli omnes initium ſumunt. Quare artificiales poli quoniam diſtant à naturalibus: eorum quoque horizon artificialis ſit, conſentaneum eſt: Partim, quòd ab æquinoctiali progrediatur: partim quòd ſui hemiſphærij reſpectu hemiſphærij naturalis adſit aliquis defectus: quem artificio deinde alterius hemiſphærij complet. Ideo hic artificialis: ille verò naturalis dicitur. Hic ad angulos obliquos: ille verò ad rectos compoſitus.* Symbulus. *Sic intelligo. Horizon, qui verſatur circa aſpectum vtriuſque poli : rectè naturalis: is verò qui circa alterutrum duntaxat polorum, artificialis probè vocatur.* Drymus. *Omnes habemus hemiſphæriam : ergo etiam vtrumque polum videre poſſumus. Nam poli continentur ſub hemiſphærio.* Symbulus. *Imaginarij poli.* OLISTVS. *Plana ſuperficies & recta niſi impediantur radij viſus ab extremo termino à quo, vſque ad terminum ad quem, facilis poteſt eſſe penetratio.*

At in

At in ſuperficie ſolida & rotunda is proceſſus dari non poteſt. Non quod ibi diſtantia oculi impedimentum adferat: ſed obiectum quod inter terminum ad quem & terminum à quo velut medium obuer ſatur prohibet aſpectum noſtrum, & parit eam inæqualitatem. Ac nihilominus vt Sphæra Sphæræ reſpondeat: hemiſphæriũ quidem apparet, & hemiſphærij poli: ſed non integri. Nam hemi ſphæriũ ſuperius defectum ſuũ ex inferiori hemiſphærij parte ſupplet: vt perpetuo hemiſphærium appareat: quod aliâs artificiale dicitur. Hoc differt à naturali, quod naturale integrum eſt, hoc eſt ſuperius hemiſphærium, quod eleuatur à polis mundi integrũ habet: Artificiale verò compoſitum, Partim ex ſuperiori hemiſphærio: partim ex inferiori. Ideò & horizon & poli atque axis eius horizontis, artificiales dicuntur. Drymus. *Artificiales tãtum habemus horizontes: ergo nullos naturales. Nullus enim horizon conſtat ex materia & forma: Nullus præterea circulus eſt reuera in cœlis.* OLISTVS. *Non dicuntur duntaxat ea naturalia quæ ex materia & forma conſtant: verùm etiam omnia, quæ circa ea verſantur, quæ compoſita ſunt ex materia & forma vt eſt vacuum, infinitum, motus, circuli, & ſimilia, Propterea quod talia explicari non poſſunt: niſi ponantur in materia aliqua.* Drymus. *Neuter polorum nobis occultatur: ergo vnus eſt tantùm horizõ naturalis. Totã enim cœli machinam ſemper videmus.* Symb. *Secundum partem non ſecundum totum.* Drymus. *Nos ſiquidem in terra, ſumus in centro: ergo totius circumferentiæ habemus aſpectum.* Symbulus. *Non ſumus in terra. ſed ſupra terram.* OLISTVS. *Apparet quidem nobis cœlum* μερικῶς *& ſucceſſiuè: nempe curſu & ſua reuolutione abſoluta, quæ fit ſingulis viginti quatuor horis. Quod autem de æqualitate linearum à centro ductarum obiectum eſt: id non poteſt intelligi de terra elementata, ſeu huius terræ ſuperficie, ſed de puncto quod eſt in me*

ditullio

ditullio terræ: vbi ſi quiſpiam eſſe poſſet & elementati opacum illud corpus auferretur: tum poſſet quidem ſimul & ſemel alicui totum cœlum apparere: Sed hæc ſunt, per hypotheſin. Drymus. *Horizon nō habet materiam, ex qua neq; ſubiectum circa quod: ergò nō poteſt dici vel artificialis, vel naturalis.* Symbulus. *Nō habet materiam ex qua: ſed circa quam.* OLISTVS. *Materia ex qua in generatione & factione conſideratur: materia verò circa quam in obiecto: materia in qua in ſubiecto: materia propter quam in fine. Horizon propriè ſecundam habet, vtpote circa quā: prima omninò caret: reliquas ſuo modo & quidem per accidens admittit.* Drymus. *Aut falſum eſt, quòd homines vndiq; terram inhabitent: aut theſis eſt falſa.* Symbulus. *Mala eſt connexio.* OLISTVS. *Conſideranda eſt triplex forma hypotheticorum ſyllogiſmorum. Prima eſt conditionalis, vbi à poſitione antecedentis, & à negatione conſequentis Proceſſus datur: et is ſyllogiſmus ſemper eſt eiuſdem prædicamenti, & ſpecierum, ſiue generum, atque differentiarum. Secunda eſt diſiunctiua in qua datur proceſſus à poſitione antecedentis ad negationem conſequentis: & à negatione conſequentis ad poſitionem antecedentis: ſumiturq; à contradictorijs. Tertia eſt copulatiua in qua proceſſus fit copulatiuus: & pro ratione copulæ, aut negatiuus aut affirmatiuus ſyllogiſmus exiſtit: & ſumitur à loco mutuo ſeu conſequentibus. Ad argumentum itaq; reſpondetur: formam quidem eſſe diſiunctiuam, ſed non materiam: quare peccatum eſt in materia.* Drymus. *Naturalem autem horizontem ad rectos angulos: artificialem verò ad obliquos æquinoctialem diuidere, vbi cenſebatis: duos horizontes inde tantum colligo: Porro tot ſunt quot habitationes in terra: ergò nō duo ſed infiniti ſunt.* Symbulus. *Artificiales infinitos concedimus: non naturales.* OLISTVS. *Etiamſi ſub æquinoctiali multa miliaria perficias: quamdiu tamen tibi apparent vterque Poli*

ſemper dicetur ille Horizon naturalis: quia ſemper habes hemiſphærium terminatum in polis: & non plures quàm duos, ſi obſeruaueris reſpectu ſuperioris & inferioris horizontis. Licet plures dici poſſent ratione acceſſus: ij tamen τῷ πῶς *differunt non terminatione. Artificiales verò horizontes plurimi & quodammodo infiniti, pro diuerſitate poſitionis & ſitus dari poſſunt.* Drymus. *Artificialis horizon interſecat æquinoctialem ad duas partes æquales: ergo conſtituit etiam æquales angulos.* Symbulus. *Horizon artificialis interſecat non naturalem: ſed imaginarium æquinoctialem.* OLISTVS. *Omnes circuli in ſphæra quotquot ſunt non niſi reſpectu naturalis horizontis componuntur. Quare dato horizonte artificiali, ad eundem modum neceſſe eſt dari reliquos circulos artificiales. Secundò, quemadmodum in artificiali horizonte ſtatuimus polos, coluros, tropicos, meridianos, æquinoctialem, zodiacum: ita etiam in artificiali horizonte imaginari poterimus, & reſpectu eorum facilè habebimus rectos angulos: ſed ſi conferatur artificialis cum naturalibus, obliquos.*

De Aetherea atque elementari regione,

CAP. XIII.

OLISTVS. *Mirabitur forſan quiſpiam, quibuſnã rationibus moti ad diuiſionem mundi rurſus redeamus: quandoquidem hactenus totam ſphærã partiti ſumus, ſecundum ſubſtantiam & accidens. At huc uſq; breuiter velut ob oculos ſpectanda propoſuimus, tum ea, quæ ſecundum ſubſtantiam: tum quæ ſecundum accidens dicuntur, & vt ſingula recto ordine agitentur, ad membrum condiuiſionis, vtpote ſecundum ſubſtantiam, velut ſcopum, huius primi libri redeundum eſt: Ea parte quæ ſecundum accidens dicitur, meritò in ſecundum librum*

reiecta. Eam ob cauſam mundum ſecundum ſubſtantiam, hoc eſt, ea quæ reuera in concauo ſphæræ ſunt, in duas partes diuidimus. Earum prima erit ætherea regio, quam ſuperius à Luna vſque ad primum mobile enumerantes: rationes complexi ſumus: videlicet in ſeptem Planetis & reliquorum trium motuũ tribus ſphæris. Aetherea regio ob id dicta, quòd puro interſtitio & ſimpliciſsimo nulli generationi vel corruptioni obnoxio ſubiectum ſit. Elementaris verò ea eſt, quæ ſecundum partes generationi & corruptioni eſt obnoxia: licet quo ad totum & ſimplex & incorruptibilis ſit. Quòd itaque alterationi continuò peruia exiſtat: non eſt vſque adeò obſcura ratio, ſi cuiuſlibet elementi qualitates perpendantur. Deprehendimus enim quodlibet elementum duas qualitates continere, alteram propriam: alteram verò appropriatam. Sic terræ qualitas eſt ſiccitas propria: Frigiditas verò impropria, quam à vicinitate aquæ contraxit. Aquam frigidam natura, & humidam ab aëre. Aërem humidum natura, & calidum ab igne. Ignem calidum natura, & ſiccum à terra: eſt enim quædam reſolutio inter elementa: Nam alterum ex altero per reſolutionem fit. Ex vno enim pugillo terræ decem aquæ fiunt: ex vno pugillo aquæ, decem aëris: ex vno pugillo aëris, decem ignis: licet quidam eam metaphyſices proportionem ignorans: neſcio quanam temeritate, hunc ordinem inuertat. Ita fit, vt cognatio quædam inter elementa exiſtat, iuxta quam coëant inuicem: Atque rurſus quædam antipathiæ virtute, quo ad proprias qualitates recedant. Hanc ob cauſam Ariſtoteles aſſerit iuuentutem calore & humore nutriri: ſenectam verò frigiditate & ſiccitate diſſolui. Quo fit vt generatio & corruptio, non aliundè, quàm ex commiſtione elementorum proueniat, idque continua & perpetua corruptione & generatione: corruptio enim vnius, generatio alterius eſt. Quæ autem ratio

Hh 2 *exiſtat,*

exiſtat, quòd quoduis elementum binis qualitatibus ſit adornatũ, patet ex mutua reſolutione & compoſitione. In reſolutione enim terra ſuam propriam qualitatem, aquæ: aqua, aëri: aër verò, igni tribuit. Atq; hæc eſt prima Qualitas. Secunda eſt in compoſitione, incipiendo ab igne. Is enim aëri ſuam qualitatem: aër, aquæ: aqua, terræ tribuit. Atq; ex iſta communicatione manifeſta dependet ratio, cur quodlibet elementum, binis qualitatibus ſit adornatum. Symbulus. *Rectiſsimè mundum ſecundum ſubſtantiam in ætheream & elementarem regionem ſubdiuidimus: hancq́; alterationi, corruptioni, & generationi continuæ: illam nequaquam obnoxiam dicimus.* Drymus. *Quod conſtat ex materia cui adhærent accidentia alterationis: id etiam alterationi obnoxium eſt: ergò cœlum eſt alterationi obnoxium. Materiæ enim cœli adhærent accidentia alterationis. Nã cœlo inhæret quantitas, rotunditas, denſitas, et quod maius eſt, opacitas eius per lumen expellitur: Vt fit in Luna.* Symbulus. *Hæc nõ ſunt accidentia: ſed formæ ſubſtantiales ſui orbis.* OLISTVS. *Accidentia propriè conſiderantur aut per generationem aut per ſimplicem mutationem, quæ et factionem includunt. Quæ cùm in elementatis ſint: Omnia eiuſmodi accidentia dicentur. Ea verò quæ ſimplici materia & ſimplici forma conſtant, etiamſi mutuas actiones exerceant, non tamen erunt accidentia, ſed potius communicationes. Nam inuicem collatis viribus, ſe mutuò iuuant ac velut capita, motum, lumen & influentiam, conſtituunt: quibus hæc inferiora regunt & protegunt. Eam ob cauſam neq; in Luna luminis eſt accidens, cùm in ſe nulla ſit alteratio abſoluta: quin potius reſpectiua. Non enim illæ maculæ ex opacitate (vt communis ſententia habet) ſed potius ex obiecto opacorum corporum, vt ſunt terreſtria & aquea prouenjunt. Sicut enim ſpeculum in ſe conſideratum, clarum et purum eſt: vbi verò acceſſerit obiectum, tum demum imagine recepta, velut*

macula

macula repletur. Ita Luna recipit imagines inferiorum corporũ, atq; ob id maculoſa dicitur. Quòd verò ſola Luna id faciat: in cauſa eſt vltimus orbis, et proximus opacis corporibus. Quòd aliquando corniculata, aliquando mediata ſiue dimidiata, ſiue integra &c. appareat: obliquitas radiorum ſolarium eſt in cauſa. Deinde quod diminuta Luna non videatur maculata: quoq; obliquitas ſolis in cauſa eſt. Nam quanto magis obiectum illuminatur, tantò magis receptibili imprimitur. Id quod pari ratione in ſpeculo apparet. Drymus. *Quod non generatur non corrumpitur: ergo elementa non corrumpuntur.* Symbulus. *Generantur ſecundũ partem: non ſecundum totum.* OLISTVS. *Elementa quandoquidem ſingulis corporibus inſunt, nunc compoſitione, nunc reſolutione, neq; omnia ſimul: ſed ſucceſſiuè, rectè Synechdochicῶs generantur & corrumpuntur: non autem ratione* τῶν ὅλων, *quia non omnium totorũ vnius momenti tranſmutatio eſt.* Drymus. *Nulla eſt omnino generatio: ergo elementaris regio ei ſubijci non poteſt. Ex nihilo enim nihil fit. Item Generatio debet fieri, ex non eſſe ad eſſe.* Symbulus. *Nihil eſſe, & non eſſe ſunt diuerſa: ergo malè concludis.* OLISTVS. *Triplex eſt nihil. Nihil negatiuũ, quod prorſus negat & aufert: Nihil priuatiuum, atq; id propriè nõ eſſe dicitur, & in generabilibus ac corruptibilibus fit: Nihil poſitiuum, in factitijs rebus conſideratur.* Drymus. *Principia neq; generantur neq; corrumpuntur: ergo neque elementa.* Symbulus. *Intelligitur hoc de primis principijs, non de ſecundis.* OLISTVS. *Principia prima ingenerabilia ſunt & incorruptibilia: quia ſi generarentur genita eſſent antequam generarentur, & viciſſim corrupta, antequam corrumperentur. Secunda principia generantur quidem parte non toto: propter ſucceſſiuam compoſitionem & reſolutionem: non aũt momentaneam.* Drymus. *Quod generat non generatur: quia quod agit non patitur.* Symbulus.

Generatio & corruptio, actio & paſsio non poſſunt quidem eſſe in eodem ſubiecto, vnius reſpectu: poſſunt tamen reſpectu diuerſorum. Drymus. *Deniq; ſingula elementa binis qualitatibus ornata eſſe dicebantur. Aër ſiquidem frigefacit & ſiccat: plures habebit quàm duas.* Symbulus. *Aër frigefacit & ſiccat per accidens: non per ſe.* OLISTVS. *Aer frigefacit partim per antiperiſtaſin, partim propter receſſum Solis ob vicinitatem aquæ, quæ natura frigida eſt: Exiccat ratione motus, aut radiorum ſolarium & cæterorum aſtrorum, aut exhalationum. Hic ventus dicitur: ille propriè influentia nuncupatur.* Drymus. *Duo contraria non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto: ergo elementa binis qualitatibus non poſſunt eſſe adornata.* Symbulus. *De qualitatibus contrarijs intenſis, vera eſt regula.* Drymus. *Terra eſt calida, ſicca & frigida: ergo tres habet qualitates.* Symbulus. *Hoc fit per accidens.* OLISTVS. *Terra conſiderata vt elementatum: particeps eſt omnium qualitatum, hoc eſt, præter ſiccitatem & frigiditatem, humiditatis, à vicinitate aëris, caliditatis propter acceſſum Solis.* Drymus. *Simplex duas qualitates non admittit: ergo neque elementa.* Symbulus. *Intenſas non admittit: ſed remiſſas.* OLISTVS. *Elementum ſingulis duntaxat qualitatibus conſtat, velut formis. Quòd verò ad ſingula elementa ſingulæ adhuc partes accedant: id fit per communicationem.*

De elementis quid & quàm latè pateant,

CAP. XIIII.

OLISTVS. *Elementa bifariam diuiduntur, alia grauia, alia leuia. Hæc natura ſurſum: illa natura deorſum feruntur. Leuia bifariam quo ad regionem olympicam: & quo ad regionem ætheream. Olympus, inferior pars ignis eſt.*

Ae-

Aether, ſuperior pars aëris. Nam ſuperior pars ignis à motu primi mobilis cauſatur. Infima verò aëris, partim ab acceſſu Solis, partim à propinquitate aquæ & terræ variatur. Grauia elementa quoniã opaca ſunt: iuxta ſuos parallelos & plagas diuiduntur. De qua re infra. Porrò ætherea regio bifariam conſideratur. Alij enim eam ἀπὸ τοῦ αἴθειν deducunt, ab ardore, quòd ibi flagret ignis, in qua ſignificatione: vtpotè pro igne, Anaxagoras vſus eſt. Alij vero ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν, hoc eſt, à continuo motu quòd ſemper currat cœlum. Quare Ariſtoteles in libro de cœlo & mundo, eo nomine ſignificauit, eam partem cœli, quæ à Luna ad primum mobile vſque extenditur. Apuleius hoc nomine vſus eſt pro aëre, inquiens: aqua, tellus, æther, ignis: Lucretius pro Ioue. At in præſenti propoſito communi ac recepto vocabulo Ariſtotelis appellatio imitanda erit. Elementa ſunt ſimplicia propter ſimplicem formam: diuidi in plures formas non poſſunt: quia totum homogeneum eſt. Homogenearum autem partium ea natura eſt, vt ex vna particula totius naturam intelligamus. Nam totum intelligere non poſſumus: niſi ex omnibus partibus. Heterogenearum partium proprium eſt, ex harum compoſitione ſeu permiſtione corpora generari, hoc eſt, quicquid generationi obnoxium eſt: id ex miſtione elementorum prouenit, ad differentiam corporum quæ neque generationi neque corruptioni obnoxia ſunt: Cuiuſmodi ſunt ſupra elementa ſphæræ cœleſtes. Id quoque prætereundum non eſt, quòd elementa terram orbiculariter circumeant, vel contineant: excepta aqua propter ſalutem animantium: ea tamen quoque potentia, quod vel ex partibus conſtat cæteris elementis ſimilis eſt. Quòd autem terra grauiſſimum elementum in medio conſiſtat, fit propter motum circularem, eiuſque diuerſitatem, vt medium petat & immobilis exiſtat. Terra enim cùm deorſum moueatur, & nequaquã ſurſum: non poteſt alio confugere,

quàm

quàm circa medium cœli. Nam ſi ad aliquã partem extremorum ſe vertat, non deorſum: ſed ſurſum moueri dicetur. Ea de re ſuperiùs. Symbulus. *Intellexi elementa duplicia, grauia & leuia: atque in quantum ſimplicia ſunt diuidi nõ poſſe.* Drymus. *Elementa mihi ſubſtantiæ corporeæ videntur, ideoq́ grauia.* Symbulus. *Erras in collectione. Nam elementa alia ſunt grauia: alia leuia: nihilominus ſubſtãtiæ.* Drymus. *Quæ eſt cauſa grauitatis & leuitatis elementorũ?* Symbulus. *Natura et Motus.* Drymus. *Elementa vt coniecto, poſſunt reſolui: quare ergo diuidi negabatis?* Symbulus. *Quoniam reſolutio eſt continuorum: Diuiſio eſt diſcretorum: vel reſolutio eſt multiplicatio compactorum: Diuiſio verò ſegregatorum.* Drymus. *Simplicia corpora non corrumpuntur, quomodo igitur ea generari concluſiſtis?* Symbulus. *Simplicia componuntur prima compoſitione, ideoq́ incorruptibilia, quæ verò ſecunda compoſitione conſtant: generationi ſunt obnoxia.*

De loco & motu æthereæ regionis, & quintæ eſſentiæ appellationibus,

CAP. XV.

OLISTVS. *Circa elementarem regionem ætherẽ moueri perſpicuum eſt. Nam proximus orbis qui eſt Lunæ ſingulis menſibus ſuum curſum abſoluit: ſimiliter Sol & reliqui Planetæ, idq́ circulariter. Siquidem verò in eo motu elementa continentur: circa elementa velut ſuperficiem motus fiat oportet. Rectè igitur æthereа regio circa elementarem mouetur. Quòd autem pura ſit, et nulli generationi vel corruptioni obnoxia, patet: quia primæ tantùm compoſitionis exiſtit. Sola autem corrumpuntur et generantur, quibus ſecunda compoſitio accidit: ideò quoq; & pura & ſine aliquo inquinamento conſiſtit. Cæterũ quod hæc regio à philoſophis quoque quinta eſſentia appellatur: fit eò,*

quòd quintum ſimplicium intelligatur, & ſecundæ compoſitionis expers: imò & qualitatum ſecundarū. Pari ratione medicis quinta eſſentia dicitur extractio præter quatuor elementa quinti cuiuſpiam corporis, quā in quouis corpore conſiſtere aſſeuerant. Ideò quinta eſſentia partim propterea, quòd quintum ſimplicium ſit, nec in aliquam ingrediatur compoſitionem: partim quòd in reſolutione vel extractione, aliud quippiam præter elementa prouenire poſſit. Quòdq́; æthera regio lucida ſit: id non fit per accidens. Quo fit vt neque accidentis nomine vocetur, ſed à propria potius qualitate, quæ eſt forma, nuncupari poteſt. Et quemadmodum eſt prima formarum compoſitarum, ita etiam meritò prima qualitatum dici poteſt. Lux ergo ætheræ regionis & ſimilia inter primas qualitates connumerantur: ad differentiam ſecundarū qualitatum: quæ ob id & ſecunda materia, & ſecunda forma dicuntur. Symbulus. *Aetheream regionem lucidam & incorruptibilem, circa elementarem regionem, continuo motu, vno quidē primi mobilis, altero cæterarum ſphærarum dictum eſt.* Drymus. *Harmonia eſt corruptibilis: ergo etiam æthera regio.* Symbulus. *Harmonia eſt duplex, vocum ſeu humana, & cœleſtis. Hæc eſt incorruptibilis: illa corruptibilis.* OLIST. *Harmonia ſeu concentus muſicus alius eſt ſenſibilis: alius inſenſibilis, & nulli corruptioni obnoxius: qualis eſt angelorū & ſpirituū, ſeu intelligentiarū. Senſibilis duplex eſt, alius corruptibilis, alius incorruptibilis. Hic includit cœleſtem harmoniā: ille elementarem, hoc eſt, eorū effectuū qui ex elementis proueniunt: quales ſunt humani, hoc eſt, naturales vtpotè voces. Aliæ ſunt Artificiales vtpote inſtrumentorum, & hæ quidem corruptibiles ſunt.* In *nouiſſimo autem die adimetur hæc corruptio. Nouos enim cœlos fore Petrus aſſeuerat.* Drymus. *Aetherea regio ſuſcipiens lumen, accidentia ſuſcipit: ergo eſt corruptibilis.* Symbulus. *Non recipit lumen: ſed per ſe*

habet. Drymus. *Si lumen eſſet ſubſtantia: duo corpora eſſent in eodem loco.* Symbulus. *Quò ad ſubiectum: non quò ad ſubſtantiam.* OLISTVS. *Accidentia nullibi locum habent, niſi in ſecundis qualitatibus, hoc eſt, frigido, ſicco, humido, & calido. Quapropter quòd ætherea regio lumine ornata ſit, aut fulgeat: non dicetur accidens, quod eſt ex primis qualitatibus: ſed potius forma ipſius & ſubſtantia: non ſecundum ſubſtantiam: quin eſſentiam potius.* Drymus. *In ætherea regione ſunt accidentia, quia mouetur: ergo eſt corruptibilis, nam ex motu prouenit calor.* Symbulus. *Calor eſt inferius: non ſuperius. Accidens in æthera regione propterea non datur: quia nullo mòdo, neque imaginatione, neque re aliquid eorum abeſſe poteſt, quòd in ea conſiſtit ſine ſubiecti corruptione.* Drymus. *Porrò æthercam regionem à philoſophis rectè quintam eſſentiam vocatam dixiſtis. Non video rationem, cùm in æthera regione naſcatur lapis Philoſophorum: nonnè generationi obnoxia erit? Id quintam eſſentiam vocari exiſtimatis?* Symbulus. *Hîc loquimur de quinta eſſentia tanquã quinto ſimplici: nõ de reſolutione ſeu extractione cõpoſiti.* OLISTVS. *De quinta eſſentia variæ ſunt opiniones: Aliæ ad medicos, aliæ ad philoſophos ſpectant, de quibus medici ſermocinantur. Hæ quidẽ partim Arabum: partim Græcorum ſunt. Arabes, potiſſimùm verò Auerroës et Alpharabius, quintam eſſentiam, quam alij aquã vitæ, tertiò ſublimatam appellant, intelligunt, quæ fit per reſolutionem et extractionem. Hæc prodeſt Lullio atteſtante in libello de quinta eſſentia, omnibus quibus præmatura mors imminet: illa fit cum omnes qualitates elementorũ reſoluuntur, vſq; quo deueniat ad ſimpliciſſimam materiam & formam, vnde tum demum lapidem philoſophorum initium ſumere Alchimiſtæ aſſeuerant: quo temperari metallum & commutari in varia metalla contendunt. Philoſophorum verò opiniones de quinta eſſentia, partim Platonicæ:*

nicæ: partim Ariſtotelicæ ſunt. Illi ideam æternam: hi ætheream regionem eſſe exiſtimant. In ſecretiori philoſophia quidam Olympica tecta, vt Orpheus: quidam verò vt Aglaophemus Ambroſiam, quidam vt Philolaus Platonis præceptor, ipſum intellectum quintam eſſentiam opinabantur. Mercurius Triſmegiſtus in Pimandro, id eſt, paſtorali, ſapientiam æternam aſtruit. Pythagoras ipſum infinitum, id eſt, Deum omnipotentem qui eſt conditor omnium rerum, quintam eſſentiam intellexit. Anaxagoras ignē. Apuleius aërem. Lucretius, Iouem. Vt vt tamē ſingula habent in propoſito, nomine quintæ eſſentiæ: æthercam regionem ſignificamus. Drymus. *In homine nihil eſt, quòd repræſentat quintam eſſentiam, ergo neq; in maiori mundo erit quinta eſſentia.* OLISTVS. *Quintæ eſſentiæ ſeu æthereæ regionis proportionem in homine facilè aſsignabimus, ſi hominem* μικρόκοσμον, *hoc eſt, minorem mundum intellexerimus. Minor autem mundus ideò dicitur: quòd maioris mundi proportionem in ſe contineat. Ita elementarem mundum repræſentat, vtpote calore ignem: humore, aquā: ſpiritu, aërem: corpore, terram. Deinde quemadmodum ex terra per commiſtionem qualitatum naſcitur herba, & reliqua generantur: ita quoque ex homine homo, barba, capilli, vngue, & ſic conſequenter. Non ſecus enim hæc hominem ornant, ac herbæ, frondes, & ſimilia, terram. Habet quoq; homo proportionem ad cœleſtia. Oculi enim ſtellas repræſentant: orbes ſtellarum, lineamenta, Phyſiognomica, Meteoroſcopia, Chiromantica & ſimilia. Motum repræſentant, aures: Influentiam repræſentat os. Solem item repræſentat cor, & ſic deinceps. Non minùs proportionem habet ad mundum intellectualem ſeu archetypum quo ad animam: Item intellectum, memoriam, & voluntatem, quo Trinitas repræſentatur. Habet etiam proportionem cum mundo infernali, quò ad atram hominis noctem, id eſt, prauas & impias*

actiones: Item commeſſationes, ebrietates, & ſimilia, de quibus ſuo loco.

De motu cœleſti,

CAP. XVI.

CALISTVS. *Cœlum circulariter moueri patet: potiſsimum duabus rationibus. Primò ex motu Solis & reliquarum ſtellarum, ab Oriente tendentium ad occaſum. Deinde quòd circa polum ſeu verticem ſeptentrionalem vel arcticum vrſa minor, hoc eſt, ſtellæ quibus ille polus deſignatur, perpetuò nobis apparent, in æquali diſtantia, in gyrum agitari. Præterea eſt non minus firma ratio, corpus ipſum rotundum, quod nulla ratione diuerſo motui ſubijci poteſt: ſiquidem figuram circularem nulla figura contineret. Quare nec lateraliter, nec ſurſum, ſeu perpendiculariter, aut directè, nec confuſè mouetur: ſed cùm circulus omnes figuras complectatur, conſentaneum eſt circulũ quoque, ſeu circularem motum, & reliquos motus complecti: ipſa tamen non niſi circulariter mouetur. Quòd autem cœlum circulare ſit: hemicyclion ſeu hemiſphærium, id eſt, ſemicirculus, ſeu ſemicircumferentia, vel ſemihabitus, in gyrum ductus: quemadmodum globum facit, ita quoq; in modum globi, hoc eſt ſphæricè mouetur. Non vulgari exemplo id quoq; conſtat. Si enim globum videlicet pilam aut ſimile quid in altum proijcias, videbis eius motum volubilem: etiamſi deorſum cadat: propterea quia graue: ratione tamẽ globoſitatis ſeu ſphæricæ circumferentiæ in gyrum, voluitur: nec ſic perpendiculariter vt ſagitta, quantumuis eum modum imitatur: quia perpendiculariter fabricata. Vnde patet, quoduis corpus moueri ratione ſuæ figuræ. Poſtremò magno argumento eſſe poterit eclipſis Lunæ & Solis: quæ nulla prorſus eſſet, niſi cœlum circulariter moueretur. Nulla enim coniunctio, nulla oppoſitio, minus*

nus eorum Planetarum conus daretur. Manifeſtum igitur eſt, cœlum circulariter moueri. Symbulus. *Cœlum continuo motu ab Oriente in Occidentem circulariter mouetur vel voluitur: quia omne corpus mobile ratione ſuæ figuræ mouetur.* Drymus. *Quicquid mouetur: mouetur aut in loco, aut in vacuo: ergo cœlum non mouetur, ſiquidem nec in loco, nec in vacuo eſt.* Symbulus. *Secundum partem cœlum eſt in loco non ſecundum totum: & ſic ſecundũ partem in loco mouetur: ſed tamen totum mouetur.* Drymus. *Cœlum eſt animatum, ergo fatigatur. Antecedens patet ab autoritate ſacrarum literarum: Deus enim niſi animatis præcipit: ergo cœlum eſt animatum: Item dat vitã hiſce inferioribus.* Symbulus. *Cœlum more Platonico dicitur animatum: Nam motus eſt cauſa animationis, vegetationis, &c. & ſic cœlum animatũ dicitur propter violentum motum.* OLISTVS. *Cœlum quòd animatum Platoni dicatur: non eſt ita intelligendum, vt quidam minutuli philoſophi opinantur: quaſi incluſa anima, velut in corpore humano operetur: Sed eam potius ob cauſam, quòd perpetuo & continuo motu ſit præditum. Singuli enim motus habent ſuas intelligentias, & ſingulæ intelligentiæ præſunt ſuo orbi, quem mouent. Quemadmodum ergò anima mouet corpus, ita intelligentiæ ſuos orbes. Eam ob cauſam proportione quadam cœlum, eſſe animatũ dicitur. Quòd verò ſacræ literæ paſſim vbiq; Deum cœlum & terram alloqui teſtentur, eſt figurata locutio, Hebræis valdè communis vt partem pro toto, aut continens pro cõtento accipiant. Cùm ergo dicit: Audi terra, intelligit homines qui inhabitant terram: Audi cœlum, intelligit angelos & reliquos ſpiritus qui in cœlis ſunt. Pari ratione cum vtrunq; coniunctum alloquitur: vtpote, audi cœlum & terra, intelligit ſecundum Kimhi Hebræorum Doctorem, hominem ipſum, quòd partim ex terreſtribus: partim ex cœleſtibus conſtet: Ego tamen potius Gentes & populum Iſraeliticum, intelligendũ*

exiſtimo, quod ex vtroq́ populo vna Eccleſia ſit, ſeu vnum corpus: cuius caput Chriſtus. Nunc facilè obiectioni occurrere poſſumus, nimirum non omne animatum fatigari niſi illud, quod ex potentia & actu conſtat: & vbi viciſsitudine quadam, potentia & actus: imò mutuò ſe conſequuntur, vt in omnibus animantibus elementatis. In cœlo porrò cùm nulla ſit potentia, ſed merus actus: nulla quoque poteſt dari fatigatio: Deinde ex eis verbis quibus dominus alloquitur cœlum & terram: animatum ne ſit cœlum vel terra, nihil probat: vt dictum eſt: Etiamſi ſphæra ſphæram moueat, ad primum vſque mobile procedendo, quod iam non ſphæra, ſed primum mouens, mouet. Quod vt immobile eſt: ita omnia mouet. Et vt ſine eo nihil fieri poteſt: ita illum primum mouens omnia facit & omnia replet: & velut in pugillo vniuerſum mundum continet. Eam ob cauſam primum mouens, à nemine moueri poteſt, niſi à ſeipſo. Ideò Deus conſiſtit in Trinitate vnius ſubſtantiæ, ſecundum eſſentiam in quibus exercet ſuam generationem & ſpirationem, ab æterno in æternum. Deinde ratione eorum cœpta eſt hæc machina mundi, & eorum poteſtate & voluntate perfecta, vnico ſenario, à quibus & gubernatur hic mundus, & ad placitum Dei omnipotentis conſeruatur. Drymus. *Cauſa cœli vtpotè Deus eſt immobilis: ergo & cœlum. Effectus enim quantùm poteſt, ſuam cauſam imitatur.* Symbulus. *Effectus imitatur non cauſam: ſed naturam ſuæ concauſæ.* OLISTVS. *Effectus propriè concauſæ & non cauſarum naturam imitatur. Concauſam enim neceſſe eſt vnà cum effectu ſemper eſſe. Ita domui ineſt materia & forma ſemper, quibus ablatis, aufertur domus, non tamen neceſſe eſt cauſas ipſas continuò adeſſe. Sic artifex abeſſe poteſt. Ita quoq́ finalis non ſemper adeſt.* Drymus. *Cœlũ habet triplicem motum: ergo non vnum.* Symbulus. *Per accidens, nõ per ſe: Vnicus enim ſemper eſt motus cœli, etiamſi habeat mille alios.*

De

De figura Cœli,

CAP. XVII.

OLISTVS. *Hæc enumeratio commoditatis, ſimilitudinis, & neceſſitatis magnam portendit vim & naturam vniuerſi: in primis enim magnam vtilitatem perfectionis, & proprietatis. Illius quidem quòd abſolutiſſimum & omni viciſſitudine exemptum ſit: huius verò propter continuum motum ab omni quiete alienum. Hiſce vtilitatibus totam excellentiam huius machinæ complectitur, dum & perfectiſſimum & infatigabile cœlum, incorruptibile, & ingenerabile perpetuum et infinitum eſſe oſtendit. Secunda eſt ſimilitudo quam autor priorem collocat ordine naturæ: nos verò poſteriorem, ordine ſenſuũ, & vt Ariſtoteles appellat, quo ad nos. Ea ſignificat mundũ hunc eſſe velut genuinum quoddam exemplar, ſuæ ideæ ſempiternæ: et veriſſimam proportionem qua deuenire ad cognitionem Dei Opt. Maximi poſſimus: Hinc eſt, quod etiam Paulus aſſentiri huic ſententiæ videatur, cùm inquit: Nos per hæc ſenſibilia & viſibilia in amorem inſenſibilium & inuiſibilium rapi. Tertia eſt quæ includit neceſſitatem, veluti prioris vtriuſq; rationis concluſionem. Primò propter continuum motum: quo mouetur primum mobile, & mouet omnes reliquas ſphæras. Deinde propter duo abſurda, vacui, & concentus: vt nimirum vacuũ tollat, & concentum ſeu ſciſſiones, penetrationes, & cõdenſationes prohibeat. Hiſce tribus rationibus complexus eſt quicquid dici poterat de rotunditate cœli: licet et Alfragano à Planitie argumentetur: ea tamẽ ad commoditatem referuntur. Incommodũ enim eſſet ad obſeruationes, vt Ptolemæus teſtatur, & apparentiarũ conſiderationes, quas nõ aliunde, q̃ ex ſphæricis inſtrumentis commodius cognoſcere poſſumus. Similitudo huius mũdi ſenſibilis cõſiſtit in mũdo intellectuali; quem*

quem poſsidet & pugillo ſuo continet: atq; ambit mundus ille diuinus, hoc eſt, archetypus, id eſt, prima idea & primus conceptus, in mente diuina quæ eſt filius patris æterni, in quo & per quem omnia ſunt condita & facta, vt 1. cap. Ioannis, & præter reliquas ſcripturas, prima ad Epheſ. Epiſtola, ſatis abundè teſtatur. Præterea Moſes qui hominem in imagine ad ſimilitudinem Dei factũ eſſe apertè teſtatur, hoc eſt, in filio ad ſimilitudinem filij. Eam ob cauſam et in filios adoptionis à Deo patre recepti ſumus. Filius ergo eſt archetypus, in quo hæc mundi machina conſtituta eſt: Cuius ſimilitudinem gerit, nos inuitans & prouocans ad huius archetypi contemplationem, dehortando à prauis actionibus, terreſtri & animali vita: & alliciendo ad vitam æternam, cibum incorruptibilem, & potum quo refecti, omnem ſitim facilè extinguere queamus. Hæc omnia proportione quadam ſunt nobiſcum, & nos per hæc ſenſibilia ad inſenſibilium notitiam trahimur. Eam nobis oſtendunt cœlum & terra, oſtendunt quoq; quæ in cœlis & in terris conſiſtunt. Omnia hæc itaq; diligentiùs ventilata facilè oſtendunt, quis ſit archetypus ille mundus, & quomodo infinitus, id eſt, ſine principio & fine. Huius infinitatis nulla figura, nullum corpus proportionem habere poterit, excepta vnica figura quæ eſt circularis. In ea enim neq; principiũ neq; finis oſtendi poteſt. Quamobrem rectè ſimilitudinem archetypi gerit. Mundus igitur circularis figuræ ſit oportet: ideoq; rotundæ figuræ eſſe debet: qui omnes reliquas figuras contineat, atq; longitudine, latitudine et profunditate triadem archetypi deſignet: non ſecus ac ſubſtantiæ ſpirituales idipſum memoria, intellectu & voluntate, repræſentat. Sed ea de re antea dictum eſt, & ſuo loco plura. Symbulus. *Mundus ſenſibilis factus eſt ad ſimilitudinem archetypi, qui filius Dei eſt, & quem per hæc ſenſibilia apprehendimus: Nam ideatum ſemper eſt, ad ſimilitudinem ideæ.* Drymus. *Simile nõ producit diſsimile:*

mile: Archetypus ergo mundus intellectui: ſenſibilis verò ſenſibus, quæ inter ſe differunt, ſubiectus eſt: ergo archetypus non poteſt ſenſibilem mundum producere. Symbulus. *Archetypus producit ſenſibilem mundum quadam proportione.* OLISTVS. *Archetypus producit mundum elementarem, cœleſtem, intellectualem, Minorem, & infernalem: reuera non tamen ſimilitudine rei ſed proportionis. Ita intellectualis proportionatur, quò ad Triadem mentis, & ſimplicitatem naturæ: cœleſtis, quò ad Triadem corporis & durationem ſimplicitatis elementaris, quò ad fertilitatem & ſpecierum conſeruationem: Minor mundus, quò ad vtrumque & intellectualem ſeu inſenſibilem, & corporalem ſeu ſenſibilem. Infernalis verò mundus, proportionatur Deo, quò ad ſimilitudinem: non autem eius negationem.* Drymus. *Per ſolam fidem quæ eſt inſenſibilis, appræhendimus Deum: ergò non per hæc ſenſibilia, vt dicebatis.* Symbulus. *Appræhendimus Deum per ſenſibilia vt creatorem: per fidem vt ſaluatorem, & redemptorem.* OLISTVS. *Semen promiſſum ſolum primi parentis amiſſam libertatem recuperare poſſe ab æterno decretum fuit: quod hoc ipſum ſolum innocens & immaculatum: quodque penetraret cœlos, ipſiſque excelſius fieret. Ideò hoc vel vnicum hunc mundum vincere, & peccata mundi tollere poteſt: hoc vnicum ſua morte vincere, & ſuo ſanguine abluere ſordes hominum & vult & poteſt. Hanc autem ſuam voluntatem & hanc ſuam ineffabilem benignitatem, corde appræhendi vult, quòd cor ſit perfecti amoris indicium. Quēadmodum exterior nutus hiſtoricæ cuiuſdam fidei. Pro tanto ergo beneficio in nos collato, non aurum nec argentum, quæ noſtræ poteſtatis non ſunt: ſed aſſenſum noſtrum, pro gratiarum actione expoſcit: quo vel vnico promiſſiones ipſæ recipiuntur. Ac vbi receptæ fuerint, per aſſenſum, qui eſt cordis: tum demum vera fides formatur: qua verè credimus ſalutem nobis non aliundè quàm per Chri-*

ſtum accedere. Ideò appræhendimus filium Dei cordis aſſenſu hoc eſt fide, ea ratione qua ſaluator & redemptor humani generis eſt. Appræhendimus item filium Dei, cùm admiramur hoc opificium mundi tam varijs ſtellis & immenſa pulchritudine adornatum, motu, influentijs, lumine, ac ſimilibus decoratum. Cùm terram fructum dare: arbores frondeſcere: prata vireſcere: niues diffugere, auium & cæterorum animantium multitudinem paſſim vbique exiſtere: aquas ſuis terminis contineri, & ſimilia. Hæc certè dum perpendimus tanti opificij admiramur opificem, & per hoc ſenſibile opificium, trahimur & ducimur ad inſenſibilem opificem: qui & ipſe eſt filius Dei, per quem & in quo omnia ſunt condita. Itaque per hæc ſenſibilia ducimur in inſenſibilium amorem, hoc eſt in agnitionem filij Dei, velut conditoris. Fide ergo appræhendimus filium, vt ſaluatorem: Opificio verò mundano, velut conditorem. Drymus. *Neuter mundorum in nouiſſimo die corrumpetur, & vnus tantùm futurus eſt mundus poſt nouiſſimum diem. Quid impedit vt qnoque iam vnus ſit mundus?* Symbulus. *Eſt vtique vnica facies in æternum Dei.* Drymus. *In Deum non cadit accidens: quomodo igitur ſenſibilem mundum ei accommodatis?* Symbulus. *Senſibilis mundus eſt opus Dei, non accidens: quòd continuò & inceſſanter regit. Illud autem opus eſt accidens, cui addita eſt quies: quæ cùm in cœlis nulla ſit: hoc opus non erit accidens, in ſe conſideratum. Quod ſi opus operis conſideres: depræhendes quidem accidens: non creatoris, ſed creaturæ.* Drym. *Deus eſt infinitus: mũdus verò finitus: ergo ad ſimilitudinem eius non eſt creatus.* Symbulus. *Mundus eſt finitus accretione: non duratione.*

De for-

De forma cœleſti ſimplicisſima & perfe-ctisſima. CAP. XVIII.

Commoditas duobus potiſſimũ modis conſtat ad infe-rendam concluſionem de cœli rotunditate. Primus eſt ſumptus ab excellẽtia corporis, quòd ſimpliciſſimũ ſit & perfectiſſimũ, capaciſſimum, integerrimũ & maximum omniũ corporum, & eam ob cauſam rotundam figuram ei deberi manifeſtum eſt. Quòd autẽ perfectiſſimum ſit cœlum & ſimpliciſſimũ paulò altius expendendum eſt: idq́ ex ea κοινῇ ἐννοίᾳ ex arabicis proportionibus deſumpta facilè patebit: quæ ſic habet. Quanto quippiam vni magis accedit, tantò perfectius eſt: quantò magis verò ab vno recedit, tanto & imperfectius. Hæc maxima ita eſt intelligenda: Quicquid paucioribus perfici poteſt, id perfectius: & quicquid ad perfectionem ſui, pluribus eget & cõſtat: id quoq́ imperfectius eſt. Id tali exemplo patet: Deus enim ſimpliciſſimus & vnus eſt. Deus per ſemetipſum & ſeipſum & omnia quæ extra ſeipſum ſunt, intelligit, tam ea quæ creata: quã quæ increata ſunt. Diuinitatem ſequitur creatura, ac inter creaturas ea ſimpliciſſima eſt, quæ proximè accedit ad ſuum creatorem: qui vnus eſt. Ita intelligentiæ perfectiores ſunt reliquis creaturis. Nam ſe per ſuam ſubſtantiã & reliqua per connata media intelligunt: atque hæ binario à ſuo conditore diſtant Cæterum homo cùm neque ſe, neque res alias per ſe intelligere poſſit: ſed ad id multis medijs eget: vtpotè bonis corporis, fortunæ, & animi: Nam & pecunijs & ingenio & viribus corporis: vtpotè viſu, auditu, & ſimilibus ſummoperè eget, & non niſi per multos labores, ſudores, vigilias, & accuratam diligentiam: deinde per ſæpè iteratos actus aliquid, neque tamen omnia conſequitur: vtique multum abſit ab vno, & in varias multitudinis proportiones diuiſus ſit, oportet. Longè igitur imperfectior homo intelligentijs eſt ſicuti de ſimilibus. Pari ratione de

corporibus diſſerendum eſt: ea nimirum eſſe & perfectiſſima & ſimpliciſſima, quæ aut vno conſtant, aut ad vnum proximè accedunt. Cùm igitur cœlũ vno ſole, vna Luna, vno Saturno, & ſic conſequenter ſit adornatum, & præditum: neceſſarium quoque eſt, vt vna ſuperficie conſtet. Id quoniam ſic habet: figura quoq; perfectiſſima ei debetur: vtpote quæ vel vna ſit, vel ad vnum proximè accedit. At cùm inter omnes figuras nulla ſit, quæ vna ſuperficie conſtet, niſi circularis: Circularis igitur figura omnium commodiſſima cælo debetur: Cœlum igitur rotundum. Secundus locus deſumptus eſt à proprietate commoditatis. Siquidem cœlum continuè mouetur: cœlo debetur ea figura quæ continuo motui maximè apta eſt. Experientia autem facilè edocemur, nullam figuram magis motui commodam circulari. Quare & ea vtimur paſſim vbique, vbi continuum motum excitare volumus, vt in molendinis & ſimilibus artificijs. Itaque conſentaneum eſt, Cœlum eſſe rotundæ figuræ: idque ei, vt proprium deberi. Symbulus. *Breuiter ſic repeto: Cùm quanto magis quippiam vni accedit, tantò perfectius ſit: cœlum etiam ſimpliciſſimum & perfectiſſimum ſit, patet.* Drymus. *Cœlum ſiquidem ex nihilo eſt, non conſtat ex materia. Item nullum corpus eſt perfectum abſque corpore: cœlum autem non ex corpore: ergo cœlum non eſt corpus, neque perfectiſſimum.* Symbulus. *Cœlũ eſt ex corpore* οὐκ ἁπλῶς ἀλλὰ μερικῶς. Drymus. *Cœlum eſt omnium capaciſſimum: ergo etiam ſui ipſius.* Symbulus. *Circulus cõpræhẽdit ſe in prædicatione identifica: in prædicatione verò diuerſa reliquas figuras.* Drymus. *Multitudo virium perfectius aliquid reddit quàm inopia: ergo quanto aliquid ab vnitate ad pluritatem accedit, tantò perfectius.* Symbulus. *Virtus vnita ad vnum proximum fortior eſt.* Drymus. *Cœlum multiplex: ergo non ſimplex.* Symbulus. *Secundum partes non ſecundum totum.* Drymus. *Plurium partium conſenſus perfectior eſt: ergo pluralitas per-*

tas perfectior eſt vnitate: pauciora enim, proximiora ſunt vnitate quã plura. Symb. *Coniunctim: non ſeparatim.* OLISTVS. *Ordine quidem tria proximiora ſunt vno, quàm nouem ſeparatim: coniunctim verò vtrunque redit ad vnitatem, atque nouenum perfectius erit trino: quod nouenum capacius ſit trino. At ſi ſeparantur: rurſus ordine numerandi proximiora erunt vno: neutrum tamen perfectum, niſi in vno.* Drymus. *Si mundus eſt circularis vt aiebatis: circulus autem neque principium neque finem habet: mundus vtique eſt infinitus.* Symbulus. *Aſsignatione eſt infinitus ſed non appræhenſione.* Drymus. *Quales partes tale totum: ergo cœlum non eſt Sphæricæ figuræ. Quoniam orbes eccentrici in vna parte ſunt ſpiſsiores: in alia parte ſunt magis tenues.* Symbulus. *Ratione centri ſunt ſpiſsiores, vel magis tenues.* Drymus. *Quod in rebus corporeis maximum eſt: ſimpliciſsimum eſſe nequit: ergo circularis figura non erit ſimul maxima & ſimpliciſsima.* Symbulus. *Amphibologia eſt in ſimpliciſsimo, quod ſumitur pro minimo.*

De apparitionibus, Vacuo, & penetratione.

CAPVT XIX.

NEceſsitatis quatuor ſunt rationes. Prima eſt Vacui, quod in rerum natura non datur, propter totius interitum. Secunda eſt corporis ſine loco: quod in circulo planè auferetur. Huic parti accedit etiam penetratio, concentus, condenſatio, rarefactio, & ſimilia: quæ ſe mutuò impedirent, & cauſa generationis aut corruptionis exiſterent. Tertia eſt planities: quæ contrarias apparitiones redderet, ſolis, & reliquarum ſtellarum. Manifeſtum autem eſt æquales eſſe per ſe. Nam etſi aliquando inæquales appareant: id fit per accidens: vt etiam anteà dictum eſt. Quarta

Ptolomæi qui nullis inſtrumentis apparitiones rectiùs conſiderare poſſe, quàm circularibus aſſerit. Drym. *Graue moueri poteſt in vacuo, vt Ariſtoteles cōcedit: ergo in natura aliquid vacui eſſe poteſt.* Symb. *Vacuum reuera non datur, niſi per hypotheſin.* Drymus. *Terra nullo eſt in loco: ergo corpus aliquod eſt ſine loco. Quicquid enim eſt infra lunam: aut eſt in igne: aut aëre: aut aqua: aut terra.* Symb. *Terra partim in aere: partim in aqua eſt.* Drymus. *Locus æqualis debet eſſe locato.* Symb. *In ſuperficie.* Drymus. *Dolium recipit vinum: ergo dolium eſt vacuum.* Symb. *Aliud vacuum eſt de quo nos loquimur, nempe vacuum phyſicum.* Drymus. *Quæ eſt ratio quòd in ouo interſtitium illud, ſeu vacuum albugine deficiens, non dicatur vacuum? Deinde in lapidibus, hoc eſt, in medio alicuius petræ fouea ſeu caua illa ſuperficies: quæ vndique eſt obſtructa, quò minus aër penetrare poſſit: quæritur, inquam, quæ ſit ratio, quò minus ibi vacuum concedatur?* OLISTVS. *Siquidem ad generationem requiritur quatuor elementorum compoſitio quemadmodum ad corruptionem reſolutio: Dico eiuſmodi cauitatem aërem replere, per generationem eiuſmodi cauernis inſitum: ſiue id in ouo: ſiue in lapidibus: ſiue in nucibus: ſiue in caſtaneis, & ſimilibus ſit. Pari ratione ſi quando portio grauis & denſior in rariorem incidat, vtpotè aureus proiectus in aquam: non propterea ſuperfluit aqua: in tumorem enim ſe recipit. De hac re ſuperiùs & in Encyclopædia.*

De terra & aqua.

CAP. XX.

OLISTVS. *Terra & aqua conſtituunt vnum globum potiſſimùm ob duas cauſas. Primò quòd vtrumque elementum graue ſit, & contiguum ac denſum: &*

quòd

quòd vna ſuperficie actionis à nobis exerceantur. Secũdo propter miſtam ſuperficiem ſiccitatis & frigiditatis. Vbi enim ſiccum eſt, proportione quadam æquatur frigido: vbi verò frigidum, rurſus proportione quadam æquatur ſicco. Ob hanc igitur vnitatem ſuperficierum vnus quoque globus eſſe dicitur. Probat duabus rationibus deſumptis à ſignis ſublimioribus. Prima eſt ſtellarum: quòd ijs qui in plaga orientali ſunt, citius oriantur & citius occidant: quàm illis qui ſunt in plaga occidentali. Secundò ab eclipſi. Hæc cùm orientalibus eſt ſecunda hora noctis: occidentalibus poteſt eſſe prima. Plinius talem apparuiſſe Siculis nimirum circa primam horam: quæ Syrijs circa ſecundam apparuit. (numerus autem hic horarum ſecundum integra horologia conſtat.) hæc non aliunde quàm ex humore terræ prouenire docet. Quapropter hiſce argumentis vtitur, vt concludat terram eſſe rotundam: probat ex altero quadrato terram eſſe rotundam: vtpote ſi quis ab arctico, verſus antarcticum proficiſcatur, arctici ſtellas non amplius videre poteſt: atque eas quas antea conſpicere non poterat facilè cernit. Eadem ratione ab impoſſibili terræ rotunditatem defendit. plana, inquit, eſſe non poteſt: Nam ſol non ſimul & ſemel omnibus oritur. Deinde quia ſtellæ arcticæ & antarcticæ, in obliquo non ſimul & ſemel apparent. Appendicem adiungit per modum confutationis, terram quidem propter imbecillitatem radiorum viſus planam apparere: reuera tamen non eſſe. Symbulus. *Cùm vtrumque elementum ſit graue, contiguum & denſum, & ſuperficies frigiditatis & ſiccitatis ſit micta: terra & aqua vnum globum neceſſariò conſtituunt. Nam grauia ſemper ad centrum tendunt. Contraria non poſſunt ſimul eſſe eodem in ſubiecto: ergo neque terra & aqua poſſunt vnum globum conſtituere.* Symbulus. *Duo contraria*

poſſunt

poſſunt eſſe in eodem ſubiecto: ſed diuerſis reſpectibus. Drymus. *Terra natat ſuper aquam: ergo veriſimilius eſt terram latam & non rotundam. Plato enim dixit in Tymæo: Grauius eſt illud quod componitur ex pluribus ſuperficiebus eiuſdemque ſpeciei, quam quod ex paucioribus: ergo aqua cùm magnitudinem terræ ſuperet grauior eſt quàm terra: quia conſtat ex pluribus ſuperficiebus. Hinc etiam Plato terram cubicam eſſe ſtatuit.* Symbulus. *Terram cubicam eſſe virtute non malè intelligendum eſt: qua de re vide Encyclopædiam.* Drymus. *Partes ſunt eiuſdem naturæ cum toto: ergo tota terra & reliqua elementa tranſmutãtur.* Symbulus. *Vnio facit globum: non miſtio. Differentia eſt inter vnionem & miſtionem. Vnio eſt copulatio duorum extremorum: miſtio verò eſt partium, ſeu totius penetratio.* Drymus. *Aqua eſt tranſparens: ergo non denſa.* Symbulus. *Malè infers. Nam corpus aliud Lucidum, aliud tranſparens, aliud opacum. Denſum ergo non modò opacum: ſed quod quoquo modo ad opacum accedit dicitur: imò aqua quoque opaca eſt: id in mari patet. Quod autem quædam eius particulæ tranſparentes ſint: illud fit per accidens ratione aſtrorum, ſolis, qui exiguos vapores citò abſumunt, & aquam purificant. Quòd autem ad totam aquam attinet minimè tranſparens eſt, propter elementatũm ſibi admiſtum: Deinde propter nimiam profunditatem, licet degentibus in mari tranſparens exiſtat. Diſtantia ergo illa à fundo opacitatem parit. Etſi autem reuera tranſparens ſit, aqua vt elementum: elementatum tamen non niſi per accidens.* Drymus. *Terram eſſe rotundam ſtellarum ortu & occaſu diuerſo, confirmaſtis. Cæterùm cum ſol in oriente & occidente radios ſecundum rectam lineam dimittat in alterum latus: quî fit quod non potius planæ ſit figuræ?* Symbulus. *Id fit ratione noſtri.* Drymus. *Si terra eſſet rotunda: vbique haberemus antipodas.* Symbulus. *Vbique habemus antipodas po-*

das po-

das potentia non actu: quatenus ea loca vel nauigio: vel ſicca terra peragrare poſſumus.

De figura aquæ & centro terræ.

CAPVT XXI.


OLISTVS. *Aquæ rotunditas experiẽtia probatur: Primò nauigij cuius aſpectus propter tumorem terræ impeditur, quò minus plana ſuperficies diſtantiam loci attingere poſsit. Secundo ab experientia partium. Hæc videtur in rore circularis ſeu rotunda: pro ratione ergo homogenij tota aqua rotũda erit: Deinde imago quæ recipitur ab aqua in rotundum vergit. Id quoque aquæ rotunditatem probat quòd ſenſim fluendo, in gyrum voluatur. Idem patet ex lacubus, & mari. Aqua enim ratione Lunæ in tumorem vergit: matutino verò tempore eundem tumorem factum remittendo, nec tamen effluendo, ſignificat. Idem quoque patet ex fluctibus: qui omnes inſtar globi incitantur. Hoc idem videtur in Cyatho repleto, aquam in tumorem vergere: nec tamen effluere. Quòd ſi regula aliqua in modum planè trahatur, veluti hemicyclion abſcindi ſentiet. Idem patet in iride: vbi apparitiones ſuperiorum & impreſsiones inferiorum rotundæ figuræ appræhenduntur. Idem manifeſtum eſt in ſcaphio caniculæ ſubiecto, in leonis ſignò apparente. Ibi enim aqua natura ſua illud ſydus in circulari forma, recipit Idẽ in niue gelu & ſimilibus non obſcurum eſſe poteſt. Quare ſine controuerſia aqua eſt circularis figura. Nec eſt quod quiſpiam moueatur de aquæ non integro ambitus actu: potentia enim adeſt: Id ſiquidem Deus omnipotens propter reliqua animantia ita conſtituit.* Drymus. *Fruſtra adfers potentiam, quæ non reducitur ad actum.* Symbulus. *Ea potentia iam ad actum deducta eſt, quod vel in diluuio apparuit: & eius poten-*


tiæ etiamnum ſignum apparet in iride. OLISTVS. *Terram in centro eſſe, primò probat ab æquali diſtantia ſtellarum. Et quòd in qualibet parte terræ exiſtentibus, ſex zodiaci ſigna appareant, & ſex occultentur. Deinde ab impoſsibili, quòd ſi quiſpiam propius accedat ad firmamentum: impoſsibile eſt, quòd poſsit videre eam diſtinctionem zodiaci. Tandem à potentia ſectionis cẽtri: appareret enim ex vtraq; parte medietas cœli. Probat quoque autoritate Alphragani: quòd proportio minimæ ſtellæ quandoquidẽ terram excellat: terra minimum centrum mundi ſit, oportet. Immobilitatẽ eius probat à naturali motu inquiens: Terra naturaliter deorſum tẽdit: ergo ad centrũ. Si enim vltra centrum moueatur: vltra naturã mouebitur: Iam nõ deorſum ſed ſurſum moueri dicetur quod eſt impoſsibile. Ergo à centro mota terra, ſua natura moueri non poteſt, niſi forte per accidens aut per reſolutionem, aut per motum violentum.* Drymus. *Cur terra eſt immobilis?* Symb. *propter motum cœli.* Drymus. *Nulla corpora grauia vel leuia mouentur violenter à cœlo.* Symbulus. *Ratio non tota pendet à motu cœli: ſed etiam à natura: ideò Terram immobilem in centro aſſerimus.* Drymus. *Pſal. 24. inquit, Super maria fundauit eam, & ſuper flumina parauit eam: ergo aqua erit centrum non terra.* OLISTVS. *Dubitarine poteſt, ex hoc 24. pſal. an aqua vel terra ſit centrum mundi: quandoquidem Pſalmiſta dicat terram fundatam ſuper maria, & fundatam ſuper flumina? At ſi hebræus textus benè legatur: nulla difficultate deprǽhendemus, terram ipſam vltimum Centrum: Error ſiquidem commiſſus eſt in interpretando. Habet enim Hebræus textus* אל ימים *id eſt Circa maria, ſeu penes maria, quaſi dicat fundauit eam proximam mari & fluminibus:* אל *enim aliquando, ſuper: aliquando cũ, aliquando, circa, vt hoc loco ſignificat. Si quis igitur veritatem hebraicam aduertat facilè inde ſe extricabit.* Drym. *Aqua & terra vnum globum conſtituunt: ergo etiam*

vno motu, hoc eſt recto mouentur. Symbulus. *Aqua & terra conſtituunt vnum globum: non ex permiſtione ſuperficierum, ſed ex vnione. Elementa verò quæ ad rarefactionem ſunt æqualia: quoad pondus ſiue ambitum ſunt inæqualia.*

De diametro terræ inueniendo.
CAP. XXII.

OLISTVS. *Diametrum terræ volens inueſtigare autor vtitur quadam proportione minoris ad maius: quaſi dicat: Qui poterit alicuius minoris circuli diametrũ inuenire, poterit etiam maximi. Imprimis ergo docet quomodo circulũ, cuius ambitus habet* 22 *ſtadia, partiri debeamus, vt eius diameter inueniatur. Vtitur hic quadam* κοινῇ ἐννοίᾳ *Quemlibet circulum, ſuũ diametrum ter continere: Ergo inuento ambitu alicuius circuli, eius tertia pars erit diameter ipſius, prius.* 22. *parte ablata. Eò quòd in ſectione circuli eam diameter attingat & penetret: quæ ad circuli circumferentiam propter diametri interpoſitionem ſuperuacanea eſt. Detracta ergo* 22. *parte remanebunt* 21. *Id ſi in tres partes diuidatur, à puncto incipiendo, vſque ad punctum primæ partis quæ repræſentat ſemel diametrum: erunt.* 7. *Bis multiplicato hoc numero: erunt* 14. *Ter autem erunt.* 21. *Detractio vera vigeſimæ ſecundæ. Id patet ex ſequenti figura.*





Ad eius proportionem inueſtigatur quoque totius ambitus terreſtris diameter, vtpotè inueſtigando gradus per aſtrolabij vtrumque mediclinij foramen, ſtatuendo conſiſtentiam: earumque numerus polo perſpecto notatus eſt à ſeptentrione ad meridiem, procedendo in alterum vſque hemicyclion. Huius itineris depræhenduntur ſeptingenta,

ſtadio:quæ ſi annexa fuerint.360:gradibus zodiaci,hoc eſt.ſi 360. multiplicentur,per 700.depræhendemus eum ambitum terræ quē Ambroſius,Macrobius,Theodoſius,& Eratoſtenes Philoſophi de præhenderunt:videlicet 252'000 ſtadiorum. Ambitu terræ iam ſic deprænſo,habebimus proportionem 22. Quoniam verò. 22.de trahenda ſunt,ratione 22 partis,vt remaneat 21. Ideò ab hoc ambi tu terræ detrahenda erit.22 pars quam nō facilius complectemur, quàm per.22.diuiſionem totius ambitus· Diuidendo ergo .252.per 22: in quotiēte.22.pars remanebit vtpotè·11454 ſtadia & $\frac{12}{22}$. Hāc vigeſimam ſecundam à toto ambitu terræ ſi ſubtraxero,remanebunt 240544 & $\frac{10}{22}$. Quodſi per duplicationem reſolueris $\frac{12}{22}$:vlti ma reſolutio tam numeratoris, quàm denominatoris vnitas erit: quæ ſi addatur vltimo quaternario 21, prodibit numerus complectens 240'545,& habebis,22.parte reiecta completum numerū, quem vbi diuiſeris per 3. ratione ternarij diametri,quem complectitur circulus,prodibit inde diameter terræ, qui erit. 80181 $\frac{2}{3}$. hoc eſt ſemis & tertia pars vnius ſtadij. Atque hanc ſpiſsitudinem terræ,ſiue diametrum,totius orbis eſſe ſtatuunt.

De circulis.

CAP. XXIII.

OLISTVS. *Quæ ad ſuperiorem tractatum pertinent videlicet regionem æthereeam & elementarem, eius figuram,ſitum,& motum:& quæ hiſce continentur abundè ſatis pertractatum eſt. Quæ porrò in hoc ſecundo libro tractanda veniunt,circuli ſunt atque circulorum natura, & quæ ex circulis proueniunt:vt ſunt differentiæ zonarum, ſeu plagarum terreſtrium. Hi autem circuli eò vel maximè neceſſarij videntur,quòd hiſce mediantibus veluti ſignis memoratiuis,ſitus & regiones diſtinguamus,*

guamus, motus cœlorũ, videlicet primi mobilis, firmamenti, trepidationis, planetarumque obſeruemus, puncta, punctorumque circulos, ortus, occaſus, latitudines, longitudines, dierum ac noctium diuerſitates oſtendere poſſimus: potiſſimùm verò vt apparentias ipſas commodiùs deprǽhendamus, ac varietates & viciſſitudines rerum inde faciliùs eliciamus: quæ nihil aliud ſunt, quàm inditia diuinæ erga nos voluntatis, qua aut iram, aut miſericordiam oſtendit. Horum autem circulorum multiplex eſt ratio. Alij enim verticales dicuntur: alij altitudinum & progreſſionum, qui per ſtellarum centra & polos mundi ducuntur. Alij domorum qui 12 *partibus conſtant, ex ſex poſitionibus prouenientibus, diuidẽtes æquatorem per meridionalem & horizontis contactum, ratione triceſimarum æquatoris partium, ſecundum Regiomontanum: Siue vt Iulius Firmicus inquit, ex ſex maioribus circulis per zodiacum trãſeuntibus æquatorem in* 12 *partes inæquales diuidentibus: licet zodiacum in æquales partes ſecet. Huiſmodi plurimi ſunt circuli, vt Epicyclij, apogæi, hypogæi, & ſimiles, qui ad Aſtronomos & Aſtrologos pertinent. Cæterùm circuli Sphærici decem ſunt quibus materialis Sphæra conſtat, ſimilitudinem repræſentans ſupercœleſtis. Atque ij decem diuiduntur in maiores & minores. Hi conſtant duobus polis & duobus Tropicis: illi verò duobus coluris, æquinoctiali, Meridiano, Horizonte, & zodiaco. Dicuntur autẽ maiores, quòd ambiant Sphæram quidem: non tamen in æquales partes: ſed portiones quaſdam Sphæram ipſam diuidant.* Symbulus. *Decem ſunt Sphæræ materialis circuli, quibus ſitus & regiones plagarum, motus cœlorum, potiſſimùm autem apparentias varietatis & viciſſitudines rerum deprǽhendimus & diſtinguimus.* Drymus. *Circuli non ſunt cauſæ varietatis rerum.* Symbulus. *Sed ſunt cauſæ cognitionis.* Drymus. *Apparentiæ cœleſtes & motus cœlorum, deprǽhenduntur per Eccentricos, cõ-*

*centricos & Epicyclos:ergo non per decem hos circulos.*Symb.*D cimus hoſce circulos eſſe communiores,per quos ad cognitionẽ illorum circulorum peruenimus: & velut fundamentum Epicycliorũ ſine quibus Epicycli conſiſtere non poſſunt:qui & eã ob cauſam adduntur,vt penitior & diſtinctior ratio apparentiarũ conſtet.*Drymus.*Noſter viſus non poteſt attingere firmamentum:ergo diſtinguere non poteſt.*Symb. *Non quoad ſuperficiem conuexam diſtinguimus: ſed quoad concauam,ratione planorum circulorum.*Drymus. *Circuli non recipiunt magis & minus:ergo non multifariã conſiderantur.*Symb.*Magis & minus recipiunt tantùm intentionis gratia,non comparationis.Nullum enim prædicamẽtum recipit magis & minus niſi ratione intentionis.*

De circulo æquinoctiali.

CAPVT XXIIII.

OLISTVS.*Circuli Aequinoctialis tractatio, prima & potiſſima eſt Sphæricorum circulorum:quo vel ſolo mediante,motus,æquinoctia,aſcenſiones, & deſcenſiones, diuiſio cœli,declinationes,tẽpus, diſtãtiæ locorũ, & ſimilia cognoſcũtur. Neq; aliquid eſt qđ inchoari in mathematico ſtudio poſſit,p̄ſertim in Aſtronomia,Aſtrologia, & Geometria,abſq; hoc circulo:ſicut ſuo loco patebit.Quare diligenter eſt intelligẽdus & memoriæ mandandus.Huius autem æquinoctialis diuerſæ ſunt denominationes.Dicitur enim cingulũ primi mobilis proportione quadã. Quemadmodum enim cingulus hominẽ per medium diuidit:ita quoq; circulus æquinoctialis cœlũ.Non ſolùm aũt ob hãc cauſam ita nominatur verùm etiã quòd omnes virtutes reliquorum circulorũ, veluti per mediũ cõplectatur & cingat:& quod ſine eo circulo friuola et inutilis ſit tractatio reliquorum.Præterea quod cingulũ Orionis quẽad-*

modum ſolem, & ſtellam verticis, penetret. Deinde quòd Arietem & Libram æqualiter cõtineat: iuxta æqualitatem proportionis. Vltimò quòd Taurum penes quem Orion conſiſtit, non minus per medium ambiat, ratione cinguli Orionis. Secundò dicitur æquator nõ eò duntaxat, quod æquet diẽ noctí: verùm etiã quòd gradus ſcrupulis æquales, & horas diei: tum etiam tẽporis, influentiarum & luminis æqualitatẽ, efficiat. Tertiò æquinoctialis dicitur quòd artificialẽ diem & noctẽ, non ſecus ac æquator æqualẽ reddat. Cæterùm cũ æquinoctialis circulus planus tranſiens centrum intelligatur, vniuerſo orbi æqualẽ diẽ nocti præbet. Quartò dicitur quoq; circulus alti, ſolſtitij, ad differentiã infimorum. Cùm enim ſol ingreditur æquinoctialem, altorũ ſolſtitiorum cauſa eſt, per modum augis: aut apogei ad hypogeum vt ſuo loco patebit. Quintò græcè vocatur ἰσημέρινος *ob æqualitatem Diei, idq; ratione noſtri: eſtq́ appellatio particularis, quemadmodũ etiã Euclydes hemicyclion circumuolutã Sphæram efficere aſſerit: ita æqualitas Diei æqualitatem noctis.*

De neceſsitate circuli æquinoctialis, & eius inuentione. CAP. XXV.

OLISTVS. *Ratio cur circuli æquinoctialis fuit neceſſaria inuentio, primò ex cognitione motus primi mobilis dependet: vnde, cùm nobis horæ, minuta, & ſimilia proueniãt, velut menſura motus eiuſmodi circulus perneceſſarius fuit. Singulis enim dieb. 360 gradus perficiũtur in vna eiuſdẽ reuolutione, quorũ. 15. vni horæ deputantur. Quotieſcunq; enim æquinoctialis in reuolutione ſupra horizontẽ. 15. gradus abſoluit, tum certi ſumus vnius horæ tempus effluxiſſe. Similiter ſeptẽ cum ſemiſſe, dimidium horæ, & ſic conſequenter. Ex hoc temporis interuallo et horizontis naturalis & artificialis rationem aſſignare poſſumus: quòd alias haud cõmodè fieri poſſit. Quapropter vel ob hãc cauſam*

fuit

ſuit neceſſaria poſitio æquinoctialis circuli. Secundo & id requirit æquatorem, vt cognoſcamus æquinoctia. Cùm enim ſol æquinoctialem ingreditur: vtpotè aut in Ariete aut in Libra: tum ſe vterq; circulus & æquinoctialis & zodiacus mutuò contingunt: atq; tum demum diem æqualem nocti & econtra reddunt: alti etiam & imi ſolſtitiorum cauſa ſunt: quæ nec ipſa animaduertere poßumus ſine æquinoctialis poſitione. Tertio plurimum refert atque conducit ad aſcenſum & deſcenſum ſignorum in zodiaco inueſtigandum: vnde tam diei, quàm noctis artificialis depēdet ratio: ipſarumq; longitudinum ex quibus illa proueniunt: quæ neutiquam ſeſe nobis offerunt, absque æquatoris conſideratione: qui vel ſolus diſtinguit poſitiones ſignorum: longitudines & latitudines demonſtrat. Partim ex eo quod aliquando ad zenith capitis noſtri, ſeu verticem æquinoctialis: partim ad polos quidam eorundem reſpectus habeatur: idq; non aliunde quàm ex æquinoctiali. Quarto patefacit nobis tā ſeptentrionalem, quàm meridionalem partē, dum ipſum orbē per medium diuidit, & æqua ratione ab vtroque polo diſtat. Hoc circulo mediante & polos cognoſcimus: & ſtellæ ſeptentrionales, & quæ meridionales ſint: vbi arcticus & vbi antarcticus conſiſtat depræhendimus: quæ quidem cognitio plurimum ad erectionem cœli figuræ conducit, & ad alias aſtrologorum prædictiones: ad formanda domicilia cœli, & ad iuditia facienda diuerſitatis vnius et eiuſdem ſtellæ erraticæ pro locationis varietate. Atque hæc diuiſio cœli non aliunde, quàm ex æquinoctiali prouenit. Quinto oſtendit declinationes ſtellarum & Eclipticæ, cùm ſtellæ ad alterutrū polorum ab Ecliptica magis recedere videntur: & tamen ab Ecliptica velut centrum ſubinde recurrere. Hac ratione moti & obliquitatem zodiaci: & eius nunc tardiorem, nunc velociorem motum depræhenderunt: & longitudinem 12 ſignorum, quò ad zodiacum: 30 graduum, quò ad ſigna ſtatuerunt. Sexto eo circulo

potißi-

potiſsimum ſit temporis ratio. Nam reuolutio æquinoctialis adiecta ea portione quam Sol contrario motu abſoluit, temporis cauſa exiſtit. Sic enim diei ſpacium ſit, & multiplicatio dierum, quouſq; Sol abſoluit gradus ſigni menſem: ex multiplicatione menſium, quouſq; Sol totum ac integrum curſum abſoluerit, anni ſpacium deſignat. Neq; hæc differẽtia temporis aſsignari poſſet, niſi æquinoctialis inuentus & poſitus eſſet ab artifice. Septimò plurimum conducit ad Gæographiam, et Coſmographiam: ibi diſtantias locorum docet, & diſcrimen certum globi, dum ei ciuitates inſerit, iuxta longitudinum & latitudinum methodum. Hîc locum habent parallelorum contiguitates & eorundem poſitiones, quoad domicilia domorum, quoad præſagia, & reliquos mirabilium rerum, effectus. Drymus. *Circulus imaginarius non eſt cauſa cœleſtium influentiarum: ergo neq; æquinoctialis.* Symbulus. *Motus Planetarum ſunt cauſa influentiarũ: non circuli.* OLISTVS. *Non dicimus circulos aliquid efficere: ſed ſpacium illud ſeu locum quem eiuſmodi circulo ſignamus. Vbi id ingreſſus fuerit Sol: propter vicinitatem, oppoſitionem, obliquitatem, cognationem, reliquarum ſtellarum, fieri eas diuerſitates aſſerimus.* Drymus. *Terra eſt cauſa inæqualitatis dierum & noctium: ergo non æquinoctialis.* Symbulus. *Terra eſt cauſa impediens, quò minus ſint æquales dies & noctes: Zodiacus cauſa adiuuans, propter eius obliquitatem.* Drymus. *Reliqui aſtronomi ei 16. gradus attribuunt quoad latitudinem: quomodo igitur 30?* Symbulus. *Numerantur 16. gradus propter Venerem & Martem, qui octo gradibus ab Ecliptica ſecedere ſolent.* Drymus. *Zodiacus diuiditur in 12. partes, duce Luna: ergo non ab æquinoctiali.* Symbulus. *Luna quoad menſuram dierũ & noctium: æquinoctialis verò diuiditur quoad æquales partes, vtrunq; Zodiacum in 16. partes diſpeſcendo. Ab Ariete vſq; ad Libram ſex: à Libra vſq; ad Arietem ſex.*

De Zodiaco,

CAP. XXVI.

COLISTVS. *Circulus Zodiacus eſt vnus ex ſex maioribus circulis, qui interſecat æquinoctialem & interſecatur ab eodem, per ſpacium Arietis & Libræ in partes æquales. Media enim pars quæ eſt ſex ſignorum ad ſeptentrionẽ: & rurſus media pars totidem ſignorum ad meridiem vergit. Hic in duas partes æquales intelligendus eſt, quoad vtrumq; circulum in ſeſe conſideratum: non quòd alter ſuper alterum caderet æqualiter. Zodiacus enim cùm obliquus ſit, quoad polos Zodiaci cum æquinoctiali acutos habet angulos: quoad polos mundi verò obtuſos. Ideò ratione vniuerſi obliquo quidem modo ſe contingunt: in ſe tamen conſiderati ſe mutuò diſpeſcunt, hoc eſt, contactus vtrinq; rectè per medium circulos diuidit. Zodiacus triplicem habet denominationem: Etymologiæ contenti ratione, & ſitus. Etymologia bifariam conſideratur, primo Zodiacus à ζωὴ, quod vitã ſignificat, eò dicitur: ſiquidem ſub eo circulo vita animantium conſiſtit. Sol enim qui ſuo acceſſu generat, & ſuo receſſu corrumpit, ſub eo circulo incedit perpetuo. Videmus enim Sole accedente omnia viuificari, diffugere niues, redire gramina campis, arborib. comas, animalibus cæteris et præſertim hominibus exultationem, vires, & ſimilia quæ ad robur, & vitam eius attinent: pari ratione cùm recedit Sol, contrarios effectus experimur. Eam ob cauſam zodiacus circulus vitalis dicitur. Secundò dicitur à ζωδίων, eò quod hic circulus ſignis animalium ſit ornatus, partim quòd naturam eorũ animalium habeat: partim quòd eorum locũ vbi eiuſmodi animalia generantur vim obtineat, id apparet in Leone. Vbi enim Sol Leonem ingreſſus fuerit, efficit intenſiorem æſtum: vtpotè quòd & Leonum natura locum calidum amet, & ſic de ſimilibus. Quod ad rationem contenti attinet ſignifer appellatur, ſiquidem 12. ſi-*

gnorum

gnorum quos fert, circulus eſt. Vltimò & ſitus denominationẽ habet: videlicet, quòd obliquus ſit. Eſt autem obliquus primò propter commoditatem totius terræ. Nam ſi rectus eſſet non totam terrã illuſtraret: ita verò omnibus lucet, & omnes partes terræ illuminat: eamq́ ob cauſam vitam adfert. Quare obliquus dicitur, quòd æquinoctialem obliqua ratione interſecet, & quòd obliquos polos reſpectu polorum mundi habeat: Deinde quòd non minus eam obliquitatem etiam coluris oſtendat. Tertiò quòd non ita regulariter & æqua ratione oriatur, vt æquinoctialis: ſed aliquando tardius, aliquando verò citius, exurgat. Atque ea cauſa eſt quòd quidam menſes viginti octo, alij triginta, alij & triginta vnum dies habeant. Hic porrò obliquus circulus duodecim ſigna continet, quorum numerum ſimulatque oppoſitionem hoc verſiculo facilè memorabis, Ar, Li, Tau, Sco, Ge, A, Can, Ca, Le, A, Vir, Piſ, hoc eſt Aries & Libra, Taurus & Scorpio, Gemini & Arcitenens, Cancer, & Caper, Leo & Aquarius, Virgo et Piſces. Hunc circulum rectè appellauit generationis & corruptionis, quoniam ſub eo & generatio & corruptio fit. Quòd autem extra Zodiacum Veteribus ſint animalium ſigna, id fit ratione docendi, & vt eorum diſcrimina rectius obſeruentur, quo ad eorum ortum & occaſum. Quodlibet horum ſignorum cùm recipiat 30. gradus, propter Lunæ ambitum, quæ ſuum curſum, & Sol arcum ſuum, tot gradibus perficit: Multiplicatione facta: exurgit numerus graduũ Zodiaci 360. qui conficiunt dies 365. in anno communi: In anno verò biſſextili 366. Atq; hæc eſt longitudo Zodiaci. Quòd autem ſexagenariam diuiſionem Aſtronomi adiunxerint: id fit propter penitiorem & magis abſolutã calculationẽ, & multiplicationem, atq; diuiſionem ſignorum, & ſtellarũ exquiſitiorem numerum ac certiorẽ: vbi multũ intereſt præſertim in prognoſticis alicuius minuti omiſſio, ſicut ex eorũ praxi patet. Quapropter ad conſequendã

& eam quidem ſummam præciſionem, tam in loco Solis, quàm aliorum Planetarum, multum conducit. Eadem ratione in tot conſimiles partes, tam minimus quàm maximus circulorum diuiditur. Drymus. *Motus cœleſtes maximè ſunt æquales regulares, & perpetuo ſibi conſentientes: ergo Zodiacus prorſus eodem modo cum æquinoctiali mouetur.* Symbulus. *Ratione ſphæræ ſunt regulares: ratione verò circulorum ſunt irregulares et inæquales. Quo ad ſectionem globi ſeu totius ſunt æquales, ſed collatione ſunt inæquales: præſertim verò Zodiacus propter obliquitatem.* Drymus. *Zodiacus viuificat, & econtra Sol mortificat: ergo non debent coniungi.* Symbulus. *Zodiacus & viuificat, & mortificat ratione Solis: ſed à potiori habet denominationem.* Drymus. *Circulus eſt qui recipit à puncto æquales lineas: Planetæ verò inæqualiter diſtant: ergo non ſunt ſub Zodiaco.* Symbulus. *Ratione differentiæ æqualiter diſtant: ſed ratione profunditatis differentiā ſortiuntur.* Drymus. *Natura ſeipſam non corrumpit: ergo Zodiacus non eſt cauſa corruptionis.* Symbulus. *Natura corrumpit ſeipſam ſecundum partem: nō ſecundum totum.* Drymus. *Incorruptibilia non habent naturam incorruptibilium: aliâs eſſent corruptibilia: ergo ſigna cœleſtia non obtinent naturam inferiorum animalium.* Symbulus. *Signa habent naturā: quoad Energiam, non corruptionem.*

De Signorum Diuiſione.

CAP. XXVII.

OLISTVS. *Neceſſaria quoque hîc erit ſignorum diuiſio, vel propter diuerſam computationem & modum, quo prognoſtica fiunt, erectiones figuræ cœli, & ſimilia. Diuiduntur ergo ſigna bifariam, ſecundum ſitum, & ſecundum*

Qua-

Qualitates. Illo modo diuiſio fit in tres quaterniones, quarum prior cardinalis dicitur, propter cardines æquinoctij & ſolſtitij: videlicet Aries & Libra, Cancer & Capra. Secundus firmus nuncupatur, & medius: quòd in medio colurorum interſtitio verſetur: vtpotè Taurus & Scorpio, Leo & Aquarius. Tertius communis appellatur: quòd ex vtroq; participet, ac rectè coluros ferè, quibus proximus eſt, contingit: nimirũ Gemini & Sagittarius, Virgo et Piſces. Hos quaterniones ſic memorare quis poterit. Scribat 12. ſigna redigendo in ſex, per modum contrarij hoc pacto.

Ar, Tau, Gem, Can, Le, Vir,
Li, Sco, A, Ca, A, Pis:

Ac ſigna contradictoria ratione quadrati coniungat, abſolutos tres quaterniones reperiet: exempli gratia, Accipe primum contradictorium ſeu oppoſitum videlicet Ar, Li, huic numerando, quartum adiunge, vtpote Can, Ca, iam habebis primum quaternionem qui cardinalis nuncupatur. Perge ad ſecundũ binarium: nimirum Tau, Sco, hinc tranſilias ad quartum ordine, nempe Le, A, habebis ſecundum quaternionẽ, qui firmus nuncupatur. Tum demum ad tertium te conuertas qui eſt, Ge, A, hinc procedendo ad quartum proueniet Vir, Pis: tertius nimirum quaternio communis dictus. Atque ita hanc diuiſionem facilè memoriæ mandabis. Secundus modus diuidendi ſigna eſt à qualitatibus deſumptus, Is paulò aliter diuiditur: videlicet in quatuor Trigona: quorũ primus eſt, Aries, Leo, Sagittarius. Hoc igneum eſſe, calidæ & ſiccæ qualitatis, colericum & maſculinum affirmatur. Secundũ Trigonum eſt, Taurus, Virgo, Caper frigidæ & ſiccæ qualitatis, terreſtre fœminineum & Melancholicum. Tertium Gemini, Libra, Aquarius, humidum, & calidum, aërium, maſculinum & ſanguineum. Quartum Cancer, Scorpio & Piſces, humidum & frigidũ, Aqueum fœmineum & Phlegmaticum. Hanc diuiſionem volens

memoria complecti non diſtribuas ſigna, vt in ſuperiore diuiſione per modum oppoſitionis: ſed ordine redigas in circulum & colligas per quinarium: tum demum reſultabunt quatuor Trigona, vt Aries, Leo, & Sagittarius, quinario vtrinq́ conſtat: Ideoq́ Trigonum conſtituunt ratione lineæ quinque punctorum, & ſic de cæteris. Omnia enim ex quina reſultatione collecta conſtant: in quibus cùm non adeò magna ſit difficultas, ex hoc primo reliqui tres facilè intelligi poſſunt. Cæterùm circuli ſphæræ materialis ad cuius ſimilitudinem cœleſtis illa conſideratur, omnes lineales ſunt, & ſola longitudine ſine ſuperficie conſtant noſtra conſideratione. Eò quòd partim menſura, partim diſtantiarum & interſtitiorũ differentia excepto ſolo Zodiaco qui ſuperficie annexa mathematicis exiſtit: idq́ potiſſimum eam ob rationem, quòd non modò ſignis ſit ornatus: verùm etiam cuilibet ſigno, eius longitudo attribuatur, vtpote 30. graduum, & præter longitudinem etiam latitudo adijcitur 12. graduum: aliquando etiam ſedecim. Eius autem rei non eſt difficilis ratio. Luna enim ſiquidem duodecies in anno ſuum curſum perficit, & ſingulis vicibus 30. gradus abſoluit, generali diuiſione quamuis ſpeciali aliquando plus, aliquãdo minus ratione velocitatis & tarditatis, vt ſuprà dictum eſt: Eas vices certis ſignis diſtinxerunt, & ſigna certis gradibus, quæ & longitudo ſignorum dicitur: Latitudo verò propterea annexa eſt, quòd ex diligenti obſeruatione depræhenderint, Stellas penes Eclipticam conſtitutas, nunc in Septentrionem: nunc verò in meridiem recedere, & rurſus ad ſuum locum redire. Eum receſſum ſiquidem ex vtraq́ parte ſex gradibus diſtare obſeruarunt: vtrinq́ collectis numeris reſultantes 12. depræhenderunt. Hodie verò Mathematici vltra ſex gradus Martem: potiſſimum verò Venerem duobus gradibus recedere animaduerterunt. His vtrinq́ adiectis reſultabunt gradus 16. Vnde ij haud parũ decipiuntur, qui ſignis qua-

quadraturam ineſſe putant. Si enim latitudinem cum longitudine conferas, etiam gradibus ſimul computatis, nequaquam quadragonus eum numerum abſolutè recipiet: niſi fortè ſuperfluos gradus diminuas: quod abſurdum eſt. Nam in quadrato nulla proportio eſt 16. ad 30. quadratum ergo ſignis ineptè attribuunt. Quòd ſi etiam quadrangulum intelligant, nec id quidem, niſi ob appellationis figuram admitti debet. Ex ea iam collatione patet, hunc circulum vel ſola cum ſuperficie conſiderandum eſſe. Itaque linea ſeu circulus in medio Zodiaco conſiſtens, via Solis, ſeu Ecliptica dicitur, partim quòd per eam Sol ſemper incedat, & nunquam digrediatur: partim quòd in illo circulo oppoſitio Solis & Lunæ facta, Eclipſis Lunæ contingat: Quæ nihil aliud eſt, quàm in ea linea, quæ inter duos Senarios conſiſtit per interpoſitionem terræ oppoſitio, quæ cauſat Eclipſim Lunæ, hoc eſt, defectum ipſius Luminis. Hinc eſt vt ſigna quæ vergunt ad Tropicum Capricorni, meridionalia dicantur: itidem ſigna verſus Tropicum Cancri ſex ſeptentrionalia, ſeu arctica, vel borealia nuncupantur. Hæ autem denominationes à ventorum tarditate, motuum, & ſigno vrſæ procedunt. Eadem ratione & meridionalia ſeu antarctica, atque auſtralia dicuntur.

De Dimenſione Zodiaci,

CAP. XXVIII.

ANimaduertenda hîc dimenſio Zodiaci. Latitudo enim nihil aliud eſt, quàm dimenſio ſtellæ diſcedentis, magno circulo tranſeunte, per polos Zodiaci, & corpus ſtellæ, Longitudo eſt circulus ab Ariete incipiens, eiuſque reuolutione facta, rurſus in Arietem deſinens. Declinatio verò eſt menſura per polos mundi, & corpus ſtellæ, ſiue Eclipticæ gradus, quod

quod ſit cùm ſigna ab æquatore recedunt, vſq; ad alterutrum ſolſtitiorum, quæ & termini dicuntur maximæ declinationis. Huius rei cognitio primum prodeſt, vt proprios motus Planetarum et ſtellarum cognoſcamus. Deinde quò aſſignare poſſimus certa loca ſtellarum, atq; inde latitudines elicere, Eclipſes oſtendere, et cauſas dierum & noctium artificialium reddere: ac quid & quomodo in quolibet ſigno ſit, ritè & appoſitè dicere. In Signo autē aliquid eſſe, quadrifariam intelligi poteſt. Primò cùm aliquid in Ecliptica vel ſub Ecliptica eſt, quod ſoli duntaxat conuenit. Secundò cùm aliquid extra Eclipticam eſt: ſub Zodiaco tamen. Et id conuenit Planetis ratione pyramidis, cuius baſis in ſigno: vertex verò in ſtella ſeu planeta conſiſtat. Tertiò in ſigno eſſe dicitur, cùm aliquo interſtitio facto per ſex circulos ſtella continetur: tum dicitur in eo ſigno à quo eiuſmodi interſtitium procedit. Atq; hoc modo in ſigno eſſe nihil aliud eſt: quàm eiuſmodi ſtellam ad tale ſignum referre. Quartò, ſiquidem hiſce ſex circulis per polos Zodiaci tranſeuntibus, totum vniuerſum in 12. regiones diſtinguitur. Ea ratione dicuntur metheora in ſigno, quòd ad eiuſmodi ſignum referantur, quod eius regionis ſignum eſt. Sic dicimus cometam referri ad leonem, cùm in eo interſtitio eſt vbi leo aſſignatur: Non minus corona ſub Scorpione in tertia ſignificatione dicitur. Atque vltima iſta acceptione quicquid in modum eſt ſub aliquo ſigno eſſe dicitur. Drymus. *Quantitas latitudinis ſyderibus conuenit: ergo & eorundem circulis. Continens enim non eſt minus contento: ergo & circuli non erunt minores ipſis ſtellis.* Symbulus. *Hæc tractatio eſt de Mathematicis circulis, & de conſideratione ipſorum: non quod reuera circuli ſint, vt ſuprà dictum eſt. Ideò Mathematicus inquit ſe poſſe omnes circulos inſtar lineæ conſiderare, excepto ſolo Zodiaco: qui propter latitudinem ſuperficialem requirit conſiderationem.* Drymus. *Quadrangulum eſt quod conſtat rectis angulis:*

gulis:lateribus inæqualibus: ergo ſigna ſunt quadrangula. Symbulus *Quadranguli definitionem concedimus: eam tamen ſignis conuenire negamus abſolutè: quamuis reſpectiuè ſignum conferendo cum ſigno, quadrangulus prodire poſsit. Item hic de diſcreta non de continua quantitate ſermo eſt: Quod ſi ad ſpacia recurras vnum latus occludere poſſe: alterũ verò non niſi ab alio ſigno. Quare ſi abſolutè rem conſideres ne triangulus quidem ex conſideratione prodire poteſt.*

De Coluris,

CAP. XXIX.

COLISTVS. *Coluri ſunt duo circuli magni, ſeipſos interſecantes circa polos mundi, ipſumq; Zodiacũ in quatuor æquales partes totumq; cœlum diuidentes. Dicti coluri quaſi circuli muti & imperfecti, quod nunquam ſupra horizontem noſtrum, vt reliqui circuli directè nobis appareant. Horum officium eſt diſtinguere ſolſtitia & æquinoctia. Hæc penes Libram & Arietem: illa penes Cancrum & Capricornum: Quod fit ratione duplicis ſolſtitij, æſtiui & hyemalis ſeu hyberni. Illud fit* 13. *die Iunij duobus diebus ante feſtum Viti: Hoc verò* 13. *Decembris in ipſo feſto Luciæ. Quo fit vt veteribus hæc duo ſolſtitia rectè expreſſerit hoc carmen: Vitus, & Lucia tibi dant ſolſtitia bina. Pari ratione æquinoctia duo, quorum alterum vernum: alterũ autumnale dicitur. Illud* 12. *Martij in ipſo die Gregorij: Hoc verò* 14. *Septembris duobus diebus ante feſtum Lamberti: quæ itidem tali carmine veterib. expreſſa ſunt: Lambert, Gregori, nox eſt æquata diei. Horum ergo officium quia eſt diſtinguere ſolſtitia & æquinoctia: erit quoq; aſsignare* 4. *illa puncta, in quibus fiunt temporum mutationes propter motum Solis, quæ vt principa-*

lia ſunt: ſic principaliter 4. æquales partes conſtituunt: quatuor anni temporibus valdè commodas. Et præter ea etiam aſcenſionibus & deſcenſionibus multum inſeruiunt, vt probè ſigna diſtinguantur. Itaque cùm duo ſint ſolſtitia, quæ altero coluro denotantur, tranſeunte per polos mundi & per polos zodiaci, maximas declinationes Solis videlicet, per primos gradus Cancri & Capricorni, qui ob id verè dicuntur puncta ſolſtitij. Nam cum eò declinat Sol, non poteſt magis accedere ad zenith capitis noſtri, id eſt, ad punctum verticale quod rectè eſt, ſuper caput noſtrum. Id verò intelligendum eſt de ſphæra obliqua & non recta: Tum enim zenith ſub æquinoctiali eſt. Ideò quoq; ille arcus coluri qui intercipitur inter puncta ſolſtitialia, & æquinoctialem dicitur maxima Solis declinatio: atque id intelligendum eſt de ſolſtitiorum coluro. Hic enim Solis metitur declinationem, quæ tempore Ptolemæi 1. Almageſti cap. 13. traditur. 23. graduum, 51. minutorum, & 20. ſecundorum. Ab Allomeone depræhenditur 23. graduum, 33. minutorum. A poſterioribus 23. graduum 30. minutorũ: A Burbachio 33. graduum & 28. minutorum. Atq; eam varietatem declinationis ideò fieri aſſerunt, quòd octaua ſphæra nunc accedat, nunc recedat, hoc eſt, propter motum trepidationis, de quo ſuperius dictum eſt. Præter id officij, quòd declinationes metiatur: et puncta ſolſtitialia oſtendit: Continet polos zodiaci, & à polis mundi diſtinguit. Diuidit item zodiacum in aſcendentem & deſcendentem medietatem. In obliqua deinde ſphæra diſtinguit ſigna rectè orientia, ab obliquè orientibus. Sed eius vſum in ſequentibus magis perſpicuũ habebimus. Hæc ratio dimenſionis tam ad æſtiuum, quàm ad hyemale ſolſtitium pertinet, eiuſq; vtilitas in vtroq; redundat. Aeſtiuum ergo in Cancro: hybernum verò in Capricorno incipit. Cùm enim Sol eſt in Cancro: efficit ſolſtitium æſtiuum: quemadmodum cùm eſt in Capricorno, hybernum. Ac vtriuſq; declina-

clinatio licet maxima ſit: par tamen eſt. Alter colurus cognominatus eſt æquinoctiorum. Nam in eo ſpacio ſe mutuò contingunt colurus & zodiacus: quod fit, cùm Sol in eiuſmodi ſignis eſt, videlicet in Ariete & Libra. Hic colurus eſt qui tranſit per polos mũdi & per ſigna æquinoctij eorumq́ prima puncta, vtpotè Arietis & Libræ. Qui quidem colurus cum coluro ſolſtitij ſe mutuò interſecant, ſuper polos mundi ad angulos rectos ſphærales. Quare hoc diſcriminis eſt, inter hunc & illum colurum, quòd licet vterq́ tranſeant per polos mundi, ideoq́ ſe etiam mutuò diſpeſcant: colurus tamen ſolſtitij præter id, quòd tranſeat per polos mundi, tranſit quoq; per polos zodiaci: qui denotantur ſignis ſolſtitiorum: colurus verò æquinoctij tranſit quidem per polos mundi, ſed non per polos zodiaci: quin potius per ſigna æquinoctiorum, in quibus contingunt, colurus, æquinoctialis, & zodiacus. Huius circuli hoc officij eſt, quòd puncta æquinoctij oſtendat, & zodiacum diuidat, in duas æquales partes, quarum altera verſus meridiem, altera verſus ſeptentrionem reſpiciat. Vtriusq́ autem coluri memoria quoque hiſce duobus verſibus firmatur,

Hæc duo ſolſtitia faciunt Cancer, Capricornus
Sed noctes æquant, Aries & Libra, diebus.

Drymus. *Zodiacus ſiquidem ineſt firmamento, & ad eius motum mouetur, in ſeq́ vndiquaq́ vergit: vtique caret proprijs polis.* Symbulus. *Propter polos mundi, ſunt poli in zodiaco: Ideò ſupra colurum poſiti ſolſtitiorum, vt diſtinguantur à polis mundi. Item quòd ad motum polorum moueantur, & quod prohibeat Solem vltra progredi: ideò & ſolſtitium vocatur.* Drymus. *Coluri interſecant ſe propter polos mundi ad angulos ſphærales: ergo etiam nobis rectè apparent.* Symbulus. *In ſphæra recta: non in obliqua.*

De Meridiano & Horizonte,

CAP. XXX.

SEquitur tractatio Meridiani & Horizontis: & ideò ſub vna diſtinctione traduntur: quòd alter ſine altero intelligi non poſsit. Nos verò docendi gratia, primum quid Meridianus ſit: deinde quid Horizon, tum demum quis vtriuſq; effectus exponemus. Meridianus ergo nihil aliud eſt, quàm circulus maximus tranſiens per polos mũdi, & eius loci Zenith, ad motum ſphæræ nequaquam mobilis. Hæc vltima particula ideò adiungitur, quia & coluri tranſeunt per polos mundi: & per ſui loci Zenith: mouentur tamen ad motum ſuæ ſphæræ. Quare cùm Meridianus ad eundem modũ ſe habeat: hoc Solo differt quòd ad motum ſuæ ſphæræ non moueatur: ſed pro diuerſitate ſitus, diuerſos, & eos quidem immobiles meridianos pariat. Eam ab cauſam numerantur Meridiani 180. ab ipſis coſmographis. Quandoquidem enim 360. gradus ſint æquinoctialis: Meridianus verò per duo oppoſita ſigna & polos mundi tranſeat, facta diuiſione aut mediatione, ex 360. prodibunt 180. & ſinguli immobiles circa ſuum ſitum manentes. Hic circulus rectè diem à nocte diuidit, matutinũ & veſpertinum tempus diſcernit, & vt Euangelium nominat, vigilias noctis: quarum duæ ante medietatem noctis: duæ poſt medietatem ſunt. Ideoq; ab ortu & occaſu pari ratione diſtat: ac non ineptè medium cœli appellatur, medijq; diei, partim quia horizontem per medium diuidit, & per medium noſtri hemiſpherij tranſit: partim quia cùm Sol motu primi mobilis in eum locũ deuenit, ſecat diem & noctem in duas partes æquales. Quare Aſtrologi rectè eum circulum cuſpidem regalem appellant, propter Zenith, quod eſt extremitas lineæ & minimus punctus capitis noſtri. Ideò velut acutum quid, quodq; rectè ſubiectũ ſitum per medium ſecet,

aut tranſeundi medietatem aſsignet, ad ſimilitudinem cuſpidis regalis dicitur: qui etiam ipſe in ſummo conſtitutus, ſupremum ſuæ regionis gradum obtinet. Hoc ipſum Zenith & ſuum totum circulum quoq; cardinem regiũ appellare ſolent: eò, quòd ibi ſit vertex Meridionalis, et eius polus quo diſcernitur ſuperius hemiſphærium ab inferiori. Quo fit, vt cùm Meridionalis circulus cum horizonte totum orbem in quatuor æquales partes diuidat: haud ineptè quatuor Trigona obtinet, de quibus ſuperius dictum eſt: diuiſi in cardines ſuccedentes, declinantes, & cadentes. Vnde Meridionalis dicitur principium decimi domicilij. Illud enim ſupremũ eſt, & velut principatum domiciliorum obtinet. Itaq; nõ abſurdè eum circulum medium cœli appellatum eſſe. Hinc eleuatio poli & latitudo loci dependet, quæ & ipſa æqualis eſt, ſolo ſitu differens. Nã eleuatio poli & diſtantiæ ab æquinoctiali eadem eſt: quemadmodum interſtitium quod datur inter polos mundi & æquatorem, omninò conuenit cum eo interſtitio, quod datur inter verticem & horizontẽ. Vtrumq; enim quarta pars vnius circuli eſt, vtpote 90. gradus à quibus ſi altitudinem meridiani ſubtraxeris, reſiduum diſtantia loci erit. Ideò non modo diſtantias ipſas: ſed etiam exordium, einſq; certitudinem in rebus oſtendit. Ita fit, quòd Aſtronomi non ab ortu: ſed ab occaſu ſuum initium faciant, imitantes motus Planetarum, ſuasq; dimenſiones & collationes ad eorum virtutes componentes. Non diſsimilis occaſio mouit Aſtrologos, vt ſuum exordium ſumant à meridie, poſtpoſito & ortu & occaſu. In obliqua enim ſphæra ſiquidem ſe obliquè contingunt, tam in ortu, quàm in occaſu: meridionalis & horizon, rectè à meridie incipiũt: quod in omni ſitu obliquo circa meridiem rectè ſuper horizontem naturalem cadat, eumq; ad angulos rectos diuidat. Quapropter à fortunata Inſula, ad verticem, quæ eſt, inter hæc duo ſpacia ſe conuertunt. Id non aliundè fit, quàm propter certitudinem Meridiani, qui

ni, qui ſub eo tempore naturalem horizontem in rectos angulos diſpeſcit. Inde patet quòd ciuitates, quarum vna magis accedit ad verticem quàm alia, habent diuerſos meridianos, vt paulò antè dictum eſt. Proinde arcus æquinoctialis interceptus inter duos meridianos, dicitur verè longitudo ciuitatis. Vbi verò duæ ciuitates ſub vno conſtiterint meridiano, longitudinis quidem nullam differentiam: latitudinis tamen habebunt: quæ prorſus ſimilis depræhenditur cum eleuatione polorum. Quantum enim eleuatur polus ſupra horizontē: tantundem & vertex meridiani ab æquinoctiali. Hæc itaq; monſtrat latitudinem: illa verò eleuationē, & quantitate prorſus non differunt. Aequalia enim inter ſe ſunt eleuatio poli, & receſſus verticis, niſi ſolo & vnico ſitu. Quòd eleuatio ab horizonte ad polos dimetiatur: latitudo verò à vertice ad æquinoctialem, idq; commodè per alterum colurorum. Pari ratione longitudo ſignificatur eo ſpacio, quod datur inter meridianos, quibus intercipitur æquinoctialis. Atque ita nulla difficultas eſt longitudines & latitudines ciuitatum inquirere, dummodo quis eleuationes obſeruet: Item verticem meridiani: deinde ſpacium æquinoctialis à meridianis interceptum. Facilè autem eſt eleuationem obſeruare ſupra horizontem, Si enim eleuatio fuerit 50. graduum: latitudo totidem ſit oportet: ſi longitudo trium, aut quatuor, vel quinq; graduum: circiter quadraginta miliaribus germanicis diſtantia longitudinis erit, & ſic conſequenter, quorum exempla Geometræ & coſmographi ſatis abundè tractant.

De Horizonte,

CAP. XXXI.

QVui horizon aliâs & terminator appellatur, eſt nihil aliud, quàm magnus circulus tranſiens per polos mundi, meri-

meridionalem ad æquales partes diuidens, & ſuperius hemiſphærium ab inferiori diſtinguens, cuius ſemidiameter ad 180. *ſtadia ſecundum Macrobium ſe extendit: Secundum Proclum verò ad* 1000. *Hic loquitur & de confuſo termino oculi: ille verò de diſtincto. Quamobrem & finitor ab alijs appellatur. Atque eiuſmodi horizon propriè rectus eſt. Accidit enim & id, quòd Zenith huius horizontis ſemper ſit ſub, vel in æquinoctiali: quòd non fit, cùm horizon eſt obliquus, ſphæram obliquam reddens, & æquinoctialem ad angulos, & impares, & obliquos interſecans. Quo nomine, Horizon obliquus & ſphæra obliqua ſiue decliuis nuncupatur. In eo circulo Zenith ſemper dicitur polus horizontis, ideò vt ſuperius dictum eſt, æqua eſt diſtantia eleuationis ſuper horizontem & Zenith ab æquinoctiali. Hic animaduertendum quoque tot eſſe Horizontes, quot ſunt Meridiani. Quilibet enim Meridianus peculiarem Horizontem habet, vt dictum eſt. Licet ſuperius exemplum datum eſt de æqualitate eleuationis, & latitudinis: tamen & hîc paucis, quid autor velit, excutiam. Inquit autem, rationem eſſe petendam à diebus naturalibus. Nam in quolibet eorum dierum neceſſum eſt, vt vterq; colurus Meridiano iungatur. Cùm verò prorſus idem eſſe videatur, ſiue à Meridiano, ſiue à coluro dimenſio petatur: ex colurorũ proportione diſtantiã eleuationis, & diſtantiam Zenith ab æquinoctiali docet: Cùm ad eundem modum ſe habeant, quicquid de vno & de altero dicitur. Si igitur ſumas quartã partem coluri ſolſtitij ſeparantis, quæ quidem quarta pars ab æquinoctiali ad polum vſq; ſe extendit: Si deinde eiuſdem circuli quartam partem quæ eſt à Zenith vſque ad Horizontem ſumpſeris, præſertim quia Zenith eſt polus Horizontis: Hæ duæ quartæ vnius circuli inter ſe æquales ſint oportet. Quare iuxta principium Euclydeum, ſi æqualia ab æqualibus demas: remanebunt æqualia: aut ſi in communi aliqua re fiat:*

reſta-

reſtabit commune. Eiuſmodi igitur communi arcu ablato qui exiſtit inter Zenith horizontis, & polum mundi: reliqua neceſſariò debent eſſe æqualia: vtpotè eleuatio facta, ſupra horizontem, & diſtantia Zenith ab æquinoctiali, hoc eſt, æqualitas erit non modò latitudinis & eleuationis: verùm etiam Zenith horizontis ab æquinoctiali, cum eleuatione poli mundi communẽ habebit diſtantiam. Cæterum Horizon duplex eſt ſecundũ Macrobium & Proclum. Rationalis qui non niſi ratione comprӕhendi poteſt: qui vel ſolus verè diſtinguit hemiſphæriũ ab hemiſphærijs, quæ prima & potiſſima vtilitas eſt horizontis: Et ſenſibilis, cuius ſemidiametrũ paulò antea expreſſimus. Atque hiſce de cauſis per horizontem, partim ex quo habitudines cœleſtes, vtpotè ſphæram rectam, & obliquam, ſuperius & inferius hemiſphærium, ſtellarum apparitiones, occultationes, ortus & occaſus concernit, deprӕhendimus: qui potiſſimum horizontis beneficio obſeruantur, & à quo temporum intercapedines mutuantur, ipſiq́ gradus Zodiaci, cũ quo ſtellæ eleuantur & deprimuntur, animaduertuntur: Partim deinde quæ ipſam dierum artificialium, ſimul atq; noctium quantitatem: ipſam deniq́ cauſam æqualitatis & inæqualitatis concernunt, conſequimur. Vt taceam quòd æqualitatem & inæqualitatem horarum ſplendente Sole, beneficio horizontis dinoſcamus, & puncta item ortus atq; occaſus diſcernamus à vero æquinoctiali ortu: quæ vel ſola ac potiſſima & præcipua cauſa exiſtit, latitudinis vel longitudinis inueniendæ: & ſine quo in Meridiano locorum diſtantiæ, haudquaquam aliquam certitudinem habere poſſunt: Tota enim & longitudo & latitudo vnde diſtantia locorum dependet, meridiano ipſo regitur, atq; Meridianus ſine Horizonte vt ex ſuperioribus patet, ſe ipſum explicare non poteſt: quod inde habitudines ſphærales, & cauſæ atq; quantitates temporũ promanent. Quapropter meritò ad certam cognitionem habitudinum & dimenſio-

menſionum vtriuſque natura indaganda erit: & ideò haud abs re coniunctam explicationem requirunt. Quod porrò ad praxin longitudinis & latitudinis ciuitatum attinet, quam alij ſub meridiano complectuntur: cùm eius rei propria tractatio ad Geographiam pertineat, & vt ſingula ordine tractentur, conſultò, vitandæ confuſionis gratia, eam in ſuum locum diſtulimus. E re enim eſſe non ſumus arbitrati, truncatim & miſtim diuerſa inuicem confundere. Cùm ergo ad Geographicam tractationem peruenerimus: ibi ea de re ſuſiùs & copioſiùs verba faciemus. Hæc verò quod ad maiores circulos attinet, dixiſſe ſufficiat.

De circulis minoribus.

CAPVT XXXII.

TRactatio quatuor minorum circulorum reſtat, quorum cùm non ſit poſtrema vtilitas, paulò penitius expendendi ſunt. Docent enim ſitus Eclipticæ, in quo fiunt ſolis conuerſiones, hoc eſt in quo nunc aſcendunt, nunc deſcendunt, ac ratione illius aſcenſus & deſcenſus, longitudinem dierum & breuitatē, hoc eſt quantitatem eorum aſſignare poſſumus. Sunt enim duo Tropici velut limites ſolis, includentes & prohibentes ſolem, quò minus vlterius verſus polos expaciari poſſit. Quam ob rem circa hos velut cardines ſol perpetuò mouetur hoc eſt maximam Solis declinationem hiſce limitibus depræhendimus. Quam ob rem & zonarum diſtinctionem hiſce circulis potiſſimum metimur. Imprimis verò quod ad polares circulos attinet: polos zodiaci à polis mundi ſecernunt: & latitudinem declinationis proportione quadam docēt: & vt Tropici torridam à temperatis: ita polares frigidam diſtinguunt, & ſeparant. Tropicus ergo cancri nihil aliud eſt, quàm circulus per primum punctum cancri tranſiens, ſphæram ipſam nō

per medium planitie ſua diſpeſcens: ſed eam ſaltem portionẽ, quã ſol circũgyrat in maxima declinatione, hoc fit cũ eſt in Cancro. Ideò & Tropicus cancri dicitur. Dicitur quoq; circulus ſolſtitij, quòd ibi ſol velut limitib. includatur, & retrogedi cogatur: nõ quòd ſtet, ſed ab vlteriori progreſſu prohibeatur. Quãobrem dicitur & circulus æſtiuus: quòd ibi ſol exiſtens maximũ circulũ perficiat, hoc eſt, longiſsimum diẽ pariat. Hinc & ſolſtitium æſtiuũ nuncupatur, & rectè Tropicus ἀπὸ τοῦ τρέπειν id eſt à cõuertendo: Tropi enim cõuerſionẽ ſignificant. Sol namq;, inquit, tum ſe cõuertere ad inferius hemiſphærium & à nobis recedere cogitur. Qui vbi peruenit ad capricornum: circulus primi puncti, quem dicimus, motus ſol, cõficit. Dicitur circulus capricorni, ſeu Tropicus, quòd & ibi ſol cõuertatur ad nos noſq; indies propius accedat. Eiuſmodi circulus vocatur pari ratione quoq; ſolſtitium: ſed hyemale. Tum enim nobis eſt minimus dies: Antipodibus verò maximus. Dicitur & hybernus quemadmodum & hyemalis à tempore hyberno. Itaq; ſol vtrinq; ſitus vltimi circuli deſcriptionem quã facit, ſiue ex parte arctici: ſiue ex parte antarctici, raptu ipſius firmamẽti. Dicitur aut Tropicus cancri, ex parte arctici: aut Tropic⁹ capricorni ex parte antarctici. Zodiac⁹ ergo vt declinat ab æquinoctiali: ita poli zodiaci à polis mũdi: q̃ quidem diuerſitas cauſa eſt circulorũ arctici, & antarctici. Quãdo quidem enim zodiacus eſt pars firmamenti, ſeu vt autor vult, octauæ Sphæræ, propter raptũ primi mobilis: circulus quẽ efficit circũgyratione diurna zodiaci polus tranſiens per collũ & caput maioris vrſæ ipſamq; minorem includens: Dicitur arcticus, ab ἄρκτος, quòd vrſam ſignificat. Pari ratione antarcticus quòd ſit arctico oppoſitus. Porrò quemadmodũ circulus arcticus à maiori vrſa dicitur: ita polus arcticus ſeu vertex dicitur à minori vrſa q̃ cauda ſua eũ polũ deſignat & ſignificat. Verũenimuerò quoniã circulus arcticus cauſatur à polo zodiaci, ac ipſum polũ mundi in medio cõplectitur: id nõ aliundè

liundè fit, q̃ quòd zodiacus declinat ab æquinoctiali: polus aũt mũdi ratione æquinoctialis cõſideratur, propter cingulum primi mobilis. Cingit enim totã Sphæram per mediũ & æqualiter. Sic polus zodiaci ratione ipſius zodiaci, ſeu ecliptica. Quantũ ergo diſtat ecliptica ab æquinoctiali: tantũ & polus zodiaci à polo mũdi: hoc eſt, Magna declinatio ſolis totidẽ gradus cõplectitur, quot diſtantia zodiaci à polo mundi. Quamobrẽ polus zodiaci à polo mundi, & ecliptica ab extrema declinatione æqualiter diſtabit. Id patet ex principio Euclideo: Si ab æqualibus æqualia demas, remanebunt æqualia. Itaque circulus tranſiens per vtrumq; polum ad æquinoctialẽ vſq;, & eclipticã, duas æquales lineas cõtinet in vna & eadẽ linea: quarũ prima eſt à polo mũdi vſq; ad æquinoctialẽ. Secunda à polo zodiaci vſque ad eclipticã. Quòd ſi à priori linea adimatur ſpaciũ, nimirũ à polo ad polũ: deinde ex ſequenti linea quæ eſt à polo zodiaci vſq; ad eclipticam quoq; adimatur illud interuallũ quod eſt ab æquinoctiali vſq; ad eclipticã: reliqua erunt æqualia. Vtræq; enim lineæ æquales per omnia nimirum à polo zodiaci vſq; ad æquinoctialem remanebunt. Itidem interuallum ab ecliptica vſque ad æquinoctialem, cum interuallo à polo zodiaci vſque ad polum mundi, erit æquale. Quemadmodum enim illud 23. gradibus, 51. minutis & 20. ſecundis ſecundum Ptolemæum computatur, qua de re ſuperius dictum eſt: ita quoque huius, quæ ſi addideris habebis circiter 48. gradus. Hos gradus ſi ſubtraxeris à 90. quæ duarum iſtarum linearum, in vna linea, vtpotè quarta, vnius coluri conſiſtentium ſumma eſt: remanebunt 42. Atque ita patet maximam ſolis declinationem, æqualem eſſe cum diſtantia, quæ eſt, à polo zodiaci vſque ad polum mundi. Arcus enim reſiduus coluri qui eſt inter æquinoctialem & circulum arctici, habet quadraginta duos gradus. Reliqua portio vnius quartæ, in æquales partes diuiſa, rectè altera interuallo attri-

buitur declinationis:altera verò diſtantiæ polorum. Atque ita manifeſtum eſt æqualem eſſe maximæ declinationis diſtantiam, & diſtantiam polorum. Huius autem rei vtilitas ad deſcenſiones & aſcenſiones attinet, ad diſcrimina regionum & ſignorum, & omnium circulorum, quicunque diurno motu conficiuntur, quorum numerus.180.eſſe poteſt, ratione.360.graduum, qua de re ſuperius dictum eſt, & deinde plura dicentur.

De parallelis ſeu Zonis.

CAP. XXXIII.

R*Eſtat vt nonnihil de parallelis dicamus, quas Martianus faſcias, Cicero maculas, Macrobius cingulos, Ouidius plagas appellant. Earum numerus quinario continetur, cuius poſitio ratione zodiaci & eius motus conſideratur. Sol enim in vtraque declinatione tam æſtiua quàm hyberna cùm eſt in ipſa conuerſione: diurno motu vltimum circulum efficit, penes vrſam maiorem, qui arcticus nuncupatur: cui ex oppoſito reſpondet antarcticus æqualem habentes diſtantiam ad ſolem, cum maxima declinatione Solis. Hinc eſt vt ex ipſa parallelorum diſtinctione naſcantur quinque zonæ: quarum prima eſt illud interuallum vtriuſque declinationis Solis quod continetur inter duos Tropicos: atq; dicitur zona torrida, propter nimium æſtum. Hanc ſequũtur duæ temperatæ ab vtroque Tropico, vſque ad circulos polares ſe extendentes. Quarta & quinta eſt inter circulos polares & polos, & vtraque frigida. Longitudo zonarum in cœlo.360.gradibus, in terra.5400.miliaribus conſtat: latitudo verò torridæ zonæ vtriuſque declinatione facta, collectionis habet circiter 47 gradus: quibus eiuſdem plagæ terreſtris torridæ correſpondent.705 miliaria. Latitudo deinde vtriuſque zonæ frigidæ ſiquidem æqualis eſt maximæ*

ximæ declinationi, & ipſa collecta torridæ zonæ correſpondebit. Diuiſa habebit 23 gradus.30 minuta, quæ efficiunt in ſubiectis plagis diuiſim 352.miliaria & ½ coniunctim verò.705. Reſidua ſemicirculi portio tota ad temperatas zonas ſpectat: quæ ſimul iuncta habet 86 gradus: quibus in terris correſpondent 1290. *miliaria. His ita diligenter collectis nulla erit difficultas latitudinis vel longitudinis terreſtris: nulla item difficultas initij ſeu terminationis zonarum, quæ tota penes eleuationem conſiſtit. Zona enim complectens vtrumque polum ſupra horizontem, initium torridæ zonæ eſt: terminus verò conſiſtit in eleuatione poli, quæ eſt.23.graduum &* 10.*minutorum, aut potius* 30. *Atque ibidem temperata regio vſque ad* 60.*graduum &* 30.*minutorum. Ibi enim terminantur temperata regio aut zona, à cuius termino tum demum reliqua portio frigidæ zonæ aſcribitur. Vbi diligenter ſunt animaduertenda oppoſita, ne hoc modo procedendo, in numero zonarum error committatur. Si ergo eleuatio poli nulla fuerit: deſignatur zona calidiſſima quæ inhabitari non poteſt. Porrò ſi minor fuerit eleuatio* 23.*gradibus* 30.*minutis: eſt quidem locus ſub zona torrida: habitabilis tamen. Ibi enim conſiſtit Lybia interior, Aethiopia, Arabiæ Felicis pars, India. Vbi verò præciſè eleuatio facta fuerit.*23.*graduum* 30 *minutorum locus ſignificatur in termino ſeu limite torridæ zonæ: ſub qua Aegypti, ciuitas Syenæ verſantur. Quòd ſi perrexerit eleuatio poli ſeptentrionalis vltra* 21.*gradum* 30 *minuta: minor tamen fuerit* 66.*grad.*30.*minutis: tunc ibi eſt locus Germaniæ, Italiæ, Galliæ, Græciæ, Hiſpaniæ, &c. Vbi porrò præciſè* 66.*gradibus, &* 30.*minutis eleuatio facta fuerit: ſignum eſt finium temperatæ & frigidæ zonæ, vbi ferè locus Sueciæ, quem Lagẽ vocant, conſiſtit. Si verò eleuatio ſuperet* 66.*gradus* 30.*minuta: locus eſt frigidæ regionis. Hic conſtituuntur quædam partes Iſlandiæ, Northbothniæ, Oſtrobothniæ, & ſimiles. Re-*

liqua verò eleuatio poli prorſus inhabitabilis eſt. Differt aũt zona à climate, quòd illa ſit integer circulus ab oriente in occidentem: hoc verò ſemicirculus duntaxat, conſiſtens in ſuperiori hemiſphærio, quod ſola linea æquidiſtantiam metitur: ſicut illa circulo. Hic animaduertendum iſtas zonas præſertim in cœlo, neque calidas, neque frigidas eſſe: Superiora enim non recipiunt qualitates. Quòd autem ſic dicantur, id fit per accidens propter acceſſum & receſſum ſolis. Sol enim cùm eſt ſub æquinoctiali, torridæ zonæ ſubiectos intenſiſſimè ferit: cuius radij cùm perpendiculariter demittantur: æquales angulos efficiunt hoc eſt rectos. Cæterùm in regione temperata aliquando magis, aliquando minus obliquos, prout ſol acceſſerit vel receſſerit: in meridie tamen exiſtens, proximè ad æquales angulos excedit: quod in frigida nunquam niſi obliquè fit. Sed ea de re ſuperius ſatis ſuperq; dicta ſunt. Quare hæc quoad præſens, vt intelligamus quæ regiones habitabiles, aut inhabitabiles ſunt: tum vel maximè mores atque naturam animantium faciliùs expendamus, dixiſſe ſufficiat.

De ortu & occaſu ſignorum & Stellarum.

CAP. XXXIIII.

PErtractatis hactenus quæ ſpectant ad ſphæram tum naturalem tum materialem: incumbit tractatio quæ ex vtriuſque Sphæræ determinatione reſultat. De ortu nimirum & occaſu ſignorum, ſtellarumque, de diebus naturalibus, artificialibus eorumq; æqualitate & inæqualitate: De ſitu, eiuſque habitatione: & quomodo ſingula ad inuicem habeãt. Quod itaq; ad ortum & occaſum attinet, imprimis breuiter ac ſuccinctè percurremus: & tamen nihil omittemus, quod præſens negotium concernit. Diſceptatio aũt de ortu & occaſu bifariã à mathematicis pertractata

ſtata eſt. Aliter enim Poëtæ, aliter Aſtronomi de eo ſentiunt. Quare vt rem ordine agamus ab ortu poëtico auſpicãdum erit, partim vt intelligamus ſcripta poëtarum, & præſertim eorum antonomaſias, quas carminis & decoris gratia vſurpare ſolent: tum vt pari ratione nobis copiã paremus, nõ modo verborũ quæ hinc nequaquam, ſed potius ex Cicerone & aliunde ſumenda ſunt. Maximè autẽ copiã rerũ inde haurire poterimus: vbi ſolidè hunc ortum & occaſum cõplexi fuerimus. Et quod maius eſt magnã hic occaſionem nacti, & arduã rem tractare licebit, & nulla difficultate intelligere ſuperiorũ actiones in hæc inferiora:: & quid Deus Opt. Max. per hæc arcana inditia, temporum, ſignorũ ſtellarumq́ ſucceſſu, nobis patefacere voluerit: quæ potiſsimum in natiuitatib. occurrere ſolẽt quæuè portendere veluti caſu & fortuna videntur: potiſsimum aũt quæ aliquando grauem & horridam ruinã ſignificant. Cuius rei cognitio plurimũ hiſtoriographis cõducit, ac oratoribus. Nã in deſcribendis rebus amplum campum, & prolixiſsimam materiam adminiſtrant, & ſimilia quæ diligens ſcrutator ipſe facilè depræhendet.

De ortu Poëtico.

CAP. XXXV.

ITtaque ortus poëticus nihil aliud eſt, quã ſignorum ſtellarumq́ ſuper horizontem eleuatio, aut ſtellarum apparentia, ſolis progreſsum, quæ antea radijs ſolaribus occultata erãt: hoc eſt, ortus poëticus eſt, quo vtuntur dum certo diſcrimine ſtatuto in ſuperioribus annum in ſuas partes diſsecant, temporum rationes metiuntur, viciſsitudines & ſucceſsus rerũ ponderãt, ac varias tempeſtatũ occaſiones innuũt: artificioſo quodã modo inuoluunt: quibus ſimul & rem arcanam, tamen non niſi artifici pandunt. Idq́ue fit, cùm aut ſol dum ſimul cum eo & ſtellam

lam orientem, per antonomaſiam deſignat: aut dum ſtella dũtaxat oritur, ſole exiſtente ſub noſtro hemiſphærio: aut cùm ſolis luce occupata ante eius ortum apparet: aut cum in crepuſculo è regione ſole cadente ſtella ipſa emergit. Occaſus verò poëticus eſt, quo ad eũdem prorſus modum poëtæ vtuntur. Eſt autem cùm aut Sol in eodem gradu cum oppoſito ſibi ſigno occidit: aut ſtella in eodem gradu è regione Sole oriente occidit: aut cum ea ſtella quæ ante occaſum apparere ſolebat, non amplius apparet: aut cum è regione ſole oriente ſtella ipſa ſub horizontem cadit: non tamen in iiſdem gradibus, hoc eſt occaſus nihil aliud eſt, vt vno verbo dicam, quàm aut ſtellæ occultatio, aut reuera occaſus. Hic fit propriè ille verò apparenter. Hinc eſt vt ortus poëticus triplex dicatur, Coſmicus, Achronicus, & Heliacus id eſt mundanus, temporalis, & Solaris. Coſmicus eſt qui aliâs & matutinus nuncupatur, cùm ſtella cum ſole exiſtens, in aliquo gradu Eclipticæ oritur. Hic & alias quotidianus appellatur, quòd ſingulis diebus ex parte orientis ſtella aut ſignum ſupra horizontem aſcendat, idque de die. Quapropter & matutinus ortus nuncupatur. Hic animaduertendum eſt alium ortum eſſe in recta Sphæra: alium in obliqua. In illa enim ſtellæ & oriuntur & occidunt in vniuerſum: in hac verò quædam perpetuò occultantur, quædam perpetuò apparẽt, & nunquam occidunt, quædam verò & apparent & occidunt. Prioris generis ſunt illæ ſtellæ quæ ſunt circa polum antarcticum: ſequentis verò quæ circa polum arcticum: poſtremi quæ circa zonam torridam, & ex parte circa temperatam verſantur. Poëtæ potiſſimum hoc poſtremo genere vtuntur ſtellarum, dum de ortu & occaſu ſermocinantur. Atque hiſce temporum viciſſitudines ſignant, quibus & homines rem ruſticam colentes frequenter & quaſi ſemper vtuntur: ac temporis cõmoditatem obſeruãt in arando, ſemina iaciendo, & ſimilibus ad rem ruſticam pertinentibus:

nentibus ex obſeruatione huiuſmodi ortus colligunt. Proinde in Georgicis exemplum habetur de ratione fabarum & milij in vere Sole exiſtente in Tauro.

Candidus auratis aperit cùm cornibus annum
Taurus, & aduerſo cedens canis occidit auſtro.
Antè tibi Eoæ Atlantides abſcondantur,
Debita quàm ſulcis cōmittas ſemina.

Vbi duo priores verſiculi ortum coſmicum, poſteriores verò occaſum eius demonſtrant. Sol enim cùm ingreditur Taurum ſignificat hanc anni commoditatem eſſe ad iacienda ſemina & ſimilia opera ruſtica exercenda. Quamobrem occaſus coſmicus nihil aliud eſt, quàm eius ſtellæ quæ ex oppoſito gradu coſmico ortui demergitur: id quod poëta in poſterioribus verſiculis ſignificauit. Exiſtente enim ſole in Scorpione ex aduerſo opponitur ei Taurus, continēs Pleiades, ſeu Vergilias in dorſo, quas Athlantis filios fabulantur. Quare monet ne ſulcis cōmittamus ſemina ante ortum Tauri, quæ eſt ferè .22. dies Octobris. Quaſi dicat Taurus quidem aperit annū dum oritur, & præparat tempus ſeminibus iaciendis: ſed non antequàm occidat. Ortus achronicus eſt planè oppoſitus Coſmico: cùm nimirum occidente ſole, eodem gradu oppoſitionis oritur ſtella, & dicitur propriè ortus veſpertinus. Fit enim de nocte cùm ſol relinquit noſtrum horizontem. Dicitur quoque temporalis, Mathematicum enim tempus inſtat ſole occidente, quippe, qui nihil poſſunt exercere de die, niſi fortè ex tabulis aliquid calculando, quòd ſole exiſtente in noſtro horizonte ſtellæ non appareant. Quare cùm mathematici ex ſtellis dependeant: eorum tempus nocturnum eſſe debet. Hunc ortum deſcribit ouidius de ponto, vbi conqueritur moram exilij ſui dicens.

Quatuor autumnos pleias orta facit.

Significans ſui exilij iam quatuor tranſactos eſſe autumnos, hoc

eſt, annos. Neque quẽquam commouere debet quòd hîc Ouid. Vergiliarum ortum commemoret hoc eſt pleiadum: Vergilius verò occaſum. Poteſt enim & occaſus & ortus ſimul intelligi ſed diuerſa ratione. Nam quòd Coſmicè oritur: id achronicè occidit, & quod coſmicè occidit: id achronicè oritur, atq; alter horum veſpertino alter matutino tempore fit, vtpote coſmicus. Pari ratione occaſus achronicus nihil aliud eſt, quàm oppoſitio coſmici: vtpote cùm veſperi oritur ſtella, hoc eſt aſcendit ex parte orientis: ſtella illa in oppoſito gradu ſub horizontem migrat: dicitur occidi achronicẽs. Vnde Lucanus ſic canit.

Tunc nox Theſſalicas vrgebat parua ſagittas.

Hoc eſt noctu Sagittarius cadebat. Simile carmen eſt quoque apud Ouidium: Quem modo ſtellarum ſtellis delphina videbis. Hic ouidius loquitur de occaſu delphini achronico. Nam 30. Februarij fuit ſol in. 19. Aquarij, cum quo ſcilicet aquario & delphin occidit. Quemadmodum ergo Coſmicus ortus & occaſus eſt matutinus: ita achronicus veſpertinus. Vnde quæ oriuntur Coſmicè: achronicè occidunt. Quæuè occidunt coſmicè: achronice ſurgunt, vel oriuntur. Et quemadmodum in hoc duplici ortu qui & reales nuncupantur matutinum & veſpertinum tempus eſt obſeruatum: ita quoque in Heliaco & ortu & occaſu, & matutinum & veſpertinum tempus eſt obſeruandum. Matutinus ergo ortus Heliacus dicitur quoties procedente ſole ſtella antea occultata per radios Solares, paulò ante ortum conſpicitur. Sol enim exiſtens in ſagittario Coronam abſcondit, ſed quanto magis ad ſcorpionem progreditur, & præſertim ſi progreſſus eius fuerit 12. aut 13. graduum: tum ante Solis ortum conſpicitur Corona, quæ oriri Heliacè dicitur, & quidem ortu matutino, occaſus verò eſt cùm ſydus iam iam ſub horizontem deſcendens, adhuc apparet, è regione nihilominus ſole oriente, hoc eſt exiſtente Sole in capricorno & ſimul

mul oriente Procion, iam iam horizontem ſubiturus, adhuc paululum apparet. Heliacus verò ortus veſpertinus cum aliquod ſydus in crepuſculo veſpertino eleuatum ſupra horizontē conſpicitur vt ſole exiſtente in Leone præciſe, eoq́ iam iam occidente vrna Aquarij eleuatur. Occaſus Heliacus veſpertinus dicitur quum ea ſtella quæ anteà poſt occaſum ſolis apparebat, vbi ad cancrum peruenit: iam amplius apparere non poteſt, poſt occaſum ſolis: quoniam cum ſole ferè occidit. Hic ortus Heliacus cùm non reuera ſit: ſed ratione occultationis aut apparentiæ, pari ratione & occaſus: rectè quoque alio nomine ortus apparens nuncupatur. Hic obſeruanda erit varietas ſecundum magnitudinem. Quædam enim ſtellæ citius: quædam verò tardius apparent. primæ enim magnitudinis ſtellæ apparent, cum à Sole diſtant. 12. gradus: Secundæ eadem fere ratione cum 13. partibus diſtant. Tertiæ cum 14. Quartæ cum 15. Quintæ cum 16: Sextæ cum 17. Nulla autem tam minimæ magnitudinis ſtella eſt, quæ non appareat in diſtantia decem & octo graduum. Similiter Saturnus apparet, cum 11. gradibus diſtat: Iupiter cum 10. Mars cum 11. ½. Venus cum 5. Mercurius circiter 11. Atque hæc eſt ratio cur ſole occidente, non ſimul & ſemel omnes ſtellæ, quin potius ſenſim appareant. Cæterùm circa hunc poëticum ortum & occaſum duo ſunt animaduertenda. Primò quomodo ex certo genere ortus aut occaſus, tempus alicuius erui poſſit. Secundo quomodo eiuſmodi ortu & occaſu præſertim in deſcriptionibus vtendum ſit. Quod ad primum attinet, duarum tabularum cognitio requiritur, quarum prima eſt, quæ continet gradus eclipticæ & ortum cum illis ſtellarum. Secunda verò tabula quæ continet introitum Solis in 12. ſigna zodiaci, vnde & verus Solis locus ad ſingulos dies accommodatus dependet: prior tabula continet 48. ſigna à veteribus in gratiam ſtudioſorum collecta, quæ ſimul & gradus eclipticæ continet:

Pulcherrrimè etiam globo ipſo comprehenſæ, hic tamen redactæ in ordinem. Quæ cùm diuerſæ ſint. Aliæ Alexandrinæ, aliæ Romanæ nuncupantur, id non aliundè fit quàm ex diuerſa eleuatione horizontis: Alexandrina enim eleuatio eſt.31.gradus: Romana verò 41. Variant etiam propter motum octauæ Sphæræ, quæ tam loca vera ſtellarum, quàm longitudines mutat: Sicut ſuperius dictum eſt. Huius varietatis quoque non eſt poſtrema ratio anticipatio æquinoctiorum. Noſtro enim tempore Sol citius ingreditur, quàm priori tempore. Olim enim plus tribuebatur annuo ſpatio, quàm iuſtum eſſet. Ex Iulij enim Cæſaris correctione vltra 360 dies quinque adhuc ſuperadduntur & ſex horæ: pro quibus horis quarto quoque anno qui biſextilis dicitur: diem integrum addunt. Quapropter annus cùm minor ſit, hoc Spacio 5. ferè minutis: fit vt ex compoſitione 12. annorum, vna hora ſuperſit, & in ſpacio. 288. integer dies reſultet: atque hic dies cauſa eſt vt integer annus anticipetur ratione introitus Solis in ſigna. Illa autem anticipatio fit ratione æquinoctiorum. Quamobrem ſingulis 188. in præcedẽtem diem Menſis coincidat. Eam ob cauſam, quò illæ eleuationes rectius animaduertantur, & Alexandrina & Romana tabula collecta eſt. Itaque ſi cupis operari atque hiſce tabulis vti, commodè & breuiter ſic agas. Imprimis obſerues loca ſtellarum, & eclipticæ: id quod perfacilè eſt. Materiam enim poëtarum lectio præbet. Si itaque tempus pleiadum inquirere cupis, quo quidem tempore poeta ſuadet ſemina iacere, imprimis videas ſimpliciter ſtellam cuius mentio fit in poeta, & reperies in dorſo conſiſtere, atque ipſe locus Sellæ & eclipticæ, gradus eſt quartus. Ingredere ergo in quã volueris tabularum, ſiue Alexandrinam: ſiue Romanam: reperies pleiadum ortum in 28. Arietis: occaſum verò in 4. Tauri. In Romana tabula depræhendes 26. arietis, quoad ortum: quoad occaſum verò pari ratione quartum Tauri: ergo cum dicit ſemina eſſe

iacien

iacienda in occaſu pleiadum, hoc eſt, in quarto gradu, facilè poteris diem ipſum & menſem indagare, ſi ingrediaris tabulam continẽtem ingreſſum Solis, perueſtigando quartum gradum Tauri: atque columna ipſa oſtendet menſem, vtpote Aprilem aſcendendo. Ad latus verò progrediendo linea ipſa oſtendit 21. Aprilis: ijs ita benè intellectis: facilè poteris, quam tandem rem volueris, deſcribere: dummodo exploratum habeas locum ſtellæ & eclipticæ. Quod ad poetarum declarationem attinet, ipſi fere eleuationem Alexandrinam, quidam etiam Romanam ſecuti ſunt. Apud nos verò cũ alius ſit: ad noſtrum negotium paulò alia tabula eſt à viris eruditis collecta, in qua ſimilis ratio procedendi eſt: ſed hîc ſub finem huius annectam vnde quiſpiam non obſcurè poterit ferè idem præſtare, ac ſi totã figuram cœli erigat: ac domicilia cœleſtia diſtribuat: ibiq; pro diuerſitate aſpectum indicet. Itaq; obſeruãdus erit dies nati & mẽſis, quo habito facilè poteris gradũ eclipticæ aſſignare: ſtellas itẽ fixas: & quamuis planetarũ diſcurſus difficillimus ſit tamen: ordinem conſequentiæ obſerues, facilè & eorum congreſſum indicare poteris. Id vbi videris, quid quodlibet ſignificet quadripartitum Ptolemæi plus ſatis docet. At ſi & eo deſtituaris, dummodo ſeriem obſeruaueris orbium cœleſtium (qua de re & ſuperius dictum eſt, & in Encyclop. præſertim in concluſionibus) & certius & melius operari poteris. Id vbi ita abſolueris tum demum ſiue nati euentum: ſiue ſubiectæ materiæ, nulla difficultate colliges: Id ſi libuerit more planetarum deſcribere: iam ampliſſimam materiam habebis: adeò, vt admirando artificio rem vel minimam adornare poteris. Quòd ſi cognoueris copiam & facundiam poetarum: nõ mi raberis eloquentiã Demoſthenis & multifariã eruditionem Homeri, Vergilij, Ciceronis, & ſimilium. Ideò omnes poſteri in finem vſque ſeculi, & ſi æuum viuerent, habent ſyluam locorum, vnde argumẽta depromere & media ipſa eruere poſſint: quibus & ornare &

probare propoſitum queant. Breue exemplum tale eſt, Pamphilus nat⁹ eſt ſub aſino, cuius ſecundũ Alexãdrinam tabulã ortus eſt 28. cancri, occaſus. 16, Secundum Romanam vero ortus 11. cãcri, occaſus 12. Sed quoniã Pamphilus Romæ natus eſt ſub ortu aſini hoc eſt 11. cancri quæ eſt 30. dies Iunij: facilè nunc cõſidero quæ circa cancrum verſantur. Aſinus enim & præſepe, ex vtraq; parte eclipticæ in cancro ſunt: Prociõ in cuius domo linea mediũ cancri, caudam aſini, pedem vrſæ maioris ſiniſtrum, vrſæ minoris ventrem, penes caudam Draconis, ſecat, & ſic conſequenter. Iã habeo quæ in ecliptica ſunt: quæ in zodiaco: quæ in regione Cãcri: quæ item ad illam regionem referantur: atque ita deſcribere rem nunc ab ortu, nunc ab occaſu, tam Coſmico quàm achronico & Heliaco poſſum, aduertendo quæ præcedẽtia, quæ cõſequentia, aſino exiſtente in Cancro: vtpote Prociõ, hydra, & ſimilia, quorum naturã vbi expenderis pro ratione coniunctionum & aſpectuum, nedũ deſcribere, ſed rẽ etiam portendere licebit. Hiſce & huiuſmodi inuolucris olim ſecretiora philoſophiæ myſteria, Plato, Pythagoras, Orpheus, multa item Homerus, ac reliqui philoſophi atque poetæ velarunt, in quorum omnium penetralia non difficulter ingredieris, ſi hæc quæ dicta ſunt concoxeris.

De ortu Aſtronomico.

CAP. XXXVI.

REſtat vt nonnihil dicamus de ortu Aſtronomico qui reuera nihil aliud eſt, quàm ſpatium hoc eſt mora ſeu tẽpus quod arcus ſeu certũ ſignum in ſuo ſiue aſcenſu ſiue deſcẽſu requirit. Quapropter ortus ſiue occaſus Ptolemæo ſiue ſigni, ſiue cuiuſcunq; arcus zodiaci rectè dicitur portio æquatoris, quæ cũ co ſigno vel arcu oritur, aut vna demergitur hoc eſt ea pars æquatoris, cum

ris,cum qua præcisè arcus ſeu ſignum zodiaci oritur, ſiue deſcendit,propriè nuncupatur ortus. Eius ortus occaſum in vtraq; Sphæra ex oppoſitis cernere fas eſt: vt æquatore exiſtente in 27.gradu,qui correſpondet eclipticæ ſigno, vtpote Arieti & 54.minutis idque in Sphæra recta: pari ratione occaſum habet 27.gradu 54. minutis. In obliqua verò Arieti correſpondent gradus æquinoctialis 12. & 48 minuta. Eius deſcenſus ex oppoſito eſt 43 graduum præcisè. Itaq; imprimis de Sphæra obliqua dicendum eſt: deinde quid in recta cõſiderare incumbet annectemus. Septem autem potiſsimas rationes Ptolemæus tradit. lib.1. & 2. magnæ compoſitionis, quarum prima talis eſt. Duo media ipſius æquinoctialis eiuſdem terminis inchoationis, à punctis æquinoctialibus ſimul oriuntur. Huius Theſis talis ratio eſt: quandoquidẽ quilibet circulus 360. gradib. adornetur, factaq; diuiſione redeat in 180. obſeruato æquali motu: Quocunque tandẽ modo procedant ſiue ſibi mutuò accurrant, ſiue ab inuicẽ diſcedant: eũ tamen circulũ ſimul perorir i neceſſariũ eſt. Idẽ cum in æquinoctiali fiat de neceſsitate ſequi oportet. Vnde fit vt tam deſcenſus q̃ aſcenſus æquis limitib. & partibus cõtineantur. Secundæ poſitionis hic ſenſus eſt. Partes iſtarũ medietatũ inæqualiter peroriri, eo quòd angulus zodiaci & æquinoctialis non ſibi mutuò correſpondent parib. & æqualib. angulis: ſed plurimũ variantur. Eo merito fit vt aliquando ſit acut⁹ aliquando verò obtuſus. Atq; hæc differentia plurimũ conducit ad verã & certam cognitionẽ recti, & obliqui ortus. Quanto enim obtuſiorẽ angulum: tanto minorẽ circulũ habet, & aſcenſum proximè ad rectũ accedentem. Quanto verò acutiorẽ: tanto obliquiorem circulũ & aſcenſum ſignorũ habet. Ratio autem in promptu eſt: ipſa nimirũ obliquitas zodiaci: eiuſque motus irregularitas, quæ potiſsimum cauſatur, ex motu Trepidationis. Tertia Theſis in hunc ſenſum ſonat: Figura rectè aſcendens obliquè ex neceſsitate deſcendit, vt Gemini oriuntur 26. grad.

grad. 29. minut: Cuius oppoſiti deſcenſus vtpotè ſagittarij 37. grad. 55. minuto æquinoctialis. Eius autem rei ratio eſt eleuatio poli, potiſſimum cùm eſt in 52. gradu. Quarta Theſis huiuſmodi eſt. Aſcenſio ſigni alicuius eſt deſcenſio ſigni oppoſiti. Hæc Theſis à ſuperiori nil diſcrepat, niſi quòd in ſuperiori commiſtio eſt, obliquæ & rectæ Sphæræ: hic verò intelligi poteſt diuiſim: & quemadmodum hic aſcenſus & deſcenſus conuertuntur, ita etiam in ſuperiori regula. Nam ſigna obliquè deſcendentia rectè aſcendunt, hoc eſt pauciores gradus de æquinoctiali oriuntur, quàm de ecliptica. Hinc eſt vt obliquus deſcenſus hic dicatur, qui excedit 30. gradus: pari ratione rectus, qui minor eſt 30. gradib. Quinta regula eſt, quòd ab ariete ortus initiū ſumens vſq; ad virginē in Sphæra obliqua aſcenſiones facit minores, deſcēſiones verò maiores: vt Aries in Aſcenſu habet. 12. gradus 48. minut: In deſcēſu 43. grad. Hic animaduertendū eſt in Sphæra obliqua haſce cōmutationes fieri per oppoſitionē quartorum. Sic Aries minor eſt Libra, Taurus Scorpione, Gemini Sagittario: pari ratione ex oppoſito, Cancer eſt maior Capricorno: quia ille habet 37 gradus 55. minuta: hic verò 26. gradus 29. minuta. Aquarius verò 16. gradus 54. minuta. Virgo 43. gradus: piſces verò 12. & 48. minuta. Hinc eſt vt quartæ in obliqua Sphæra minores non modò ſuis oppoſitis ſint verùm etiam eiuſdem ſigni quoad rectam Sphæram. In recta .n. Sphæra Aries habet. 27. gradus 54. minuta. In obliqua Sphæra Aries habet 12. gradus 48. minuta. Similiter Taurus in recta Sphæra 29. grad 54. minut. In obliqua verò 16. gradus 54. minuta. Idem eſt de Geminis qui in recta Sphæra habent 32. gradus minuta 12. In obliqua verò 26. gradus & 29. minuta. In recta Sphæra quarta quartæ eſt ſimilis. In obliqua verò immediatè quidem ſimilis, niſi in diſcreto proceſſu hoc eſt extra Cardinum terminos præſertim verno. Hic enim dicitur continuus, qui continuò à puncto Cardinum procedit:

Qui ve-

Qui verò intra cardines initium ſumit, iam non continuus proceſſus formatur, ſed diſcretus. Talis eſt ſi à Tauro incipias: continuus verò ſi aut à Cancro, aut ab alio ex 4. cardinibus progreſſus fueris. Sexta regula eſt, In obliqua ſphæra aſcenſiones ſignorum oppoſitorum adæquantur oppoſitis ſignis in recta ſphæra. Vt in obliqua ſphæra Gemini & Sagittarius habent 63. gradus 84. minuta: In recta 64. gradus 24. minuta. Si enim obliqua minuta reſolues in gradum totidem reſultabunt, vtpote 64. gradus 24. minuta. Septima regula, Quæ ſigna æquè diſtant ab alterutro puncto æquinoctialium, ſiquidem æqualiter ab æquatore declinant: Habebunt quoq; æquales aſcenſiones: vt Aries & Piſces, Aquarius & Taurus, Gemini & Capricornus, Scorpius & Leo. Prima coniunctio habet 12. gradus vtrinq; et 48. minuta: ſecunda 16. gradus, minuta 54. Tertia 26. gradus 29. minuta: Quarta 42. gradus 54. minuta: Quinta vtpotè virginis & libræ 43. gradus præciſè: Sexta vtpotè Cancri & Sagittarij 37. gradus 55. minuta. Quæ quidem coniunctiones ſi redigantur in ordinem abſolutum: continent tabulam oſtendentem, quot gradus & minuta æquinoctialis cuilibet ſigno Eclipticæ correſpondeant: præſertim ad eleuationem 52. graduum: De tempore verò aſcenſionum poſteà dicemus. Cæterum aſcenſio cuiuſq; gradus Eclipticæ, nihil aliud eſt, quàm arcus æquinoctialis à principio Arietis vſq; ad punctum ſeu gradum æquinoctialis, cum eiuſdem propoſito, ad punctum non deſcendentem, ſed aſcendentem potius. Vnde aſcenſio 3. gradus Leonis compræhendit, totum arcum æquinoctialis orientem, cum tertio gradu Leonis: qui quidem arcus continet 98. gradus, minuta 18. ſecundum eleuationem dictam. Hinc eſt vt rectarum aſcenſionum quemadmodum & obliquarum quinq; breues tractentur Theſes: quarum prima eſt, Quòd quartæ Zodiaci & æquinoctialis, Pari temporis ſpacio, hoc eſt, 6. horis perioriantur. Quapropter

potiſsimũ Pythagoricis triangulo æquicruro accommodatur. Ratio autem talis eſt. Quodlibet enim ſignũ diſtributiuè continet 30. gradus. Hæc multiplicata inuicem ſeu addita, efficiunt: 360. in vniuerſo circulo. Hic cum ſingulis diebus ac noctibus ſimul iunctis peroriatur 24. horis, diuide totam ſummam per 24. cuilibet horæ 15. gradus deputabuntur. Sequitur ergò quodlibet ſignum in ſpacio duarum horarum peroriri, ac 30. gradus propemodũ duobus gradibus correſpondere: ſiue quatuor minutis, ſiue quatuor ſecundis pro diuerſitate graduum minutorum, & ſecundarum, vt deinde patebit. Iam verò manifeſtum eſt 30. gradus, duabus horis peroriri. Quo fit vt 90. gradus ſex horis peroriantur: ergo & vna quarta: Singuli enim quartæ circuli 90. gradibus continentur. Secunda regula eſt, quòd partes iſtarum quartarum quemadmodum ſuperius dictum eſt, de partibus medietatum, inæqualiter peroriuntur: conſtituunt enim Scalenum cum horizonte, hoc eſt, triangulum inæqualium laterum. Ideò partes illæ æquinoctialis et Zodiaci ſunt inæquales. Ratio autem huius rei talis eſt, ſiquidem ab Ariete incipiendo vſq; ad finem Geminorum, ſiue initium Cancri, eiusq́ oppoſitum vtpotè Capricorni maximæ latitudines ſunt. Atq; ibi gradus æquinoctialis & Zodiaci ſummopere variantur. Vnde fit vt Zodiacus obtuſorum angulorum rectius aſcendat, & plus appareat quàm acutorum, qui & minus apparet obliquiorem ortum facit. Tertia regula eſt. Signa æqualiter diſtantia, à quatuor cardinibus æquales habent aſcenſiones, vt Aries & Libra 27. graduum, 54. minutorum. Taurus & Scorpius 29. graduum & 54. minutorum. Sed hæc de oppoſitis. Ea verò quæ ternam diſtantiam habent, vt Gemini & Cancer, habent 32. gradus 12. minuta. Similiter Sagittarius & Capricornus. Hæc quatuor ad inuicem collata habent æquas aſcenſiones. Quarta regula: Ortus alicuius ſigni & occaſus æquales ſunt, vt Arietis & Libræ viginti

ginti ſeptem graduum, quinquaginta quatuor minutorum. Gemini & Sagittarij triginta duorũ graduum, 12. minutorum. Similiter Cancer & Capricornus triginta duorũ graduum 72. minutorum. Leo & Aquarius viginti nouem graduũ, quinquaginta quatuor minutorum. Itidem virgo & Piſces viginti ſeptem graduum, quinquaginta quatuor minutorum. Hinc patet quinta regula. Quatuor ſaltem ſigna, quæ ſunt Gemini, Cancer, Sagittarius & Capricornus rectè oriri: reliqua verò obliquè. Huius ratio & ſuperius dicta eſt. Hic enim æqua æquali ratione dimenſionem cum æquinoctiali patiuntur, Gemini, Cancer, vnà cum oppoſitis, vbi & ſolſtitia locum habent. Si enim initium Arietis & finem dimetiaris neque longitudine neque latitudine conueniunt. Idem in Tauro. In Geminis verò & Cancro proximam æqualitatis dimenſionem compræhendes. Ideò eis rectus ortus: illis verò obliquus attribuitur. Et quæ ratio eſt illorum per omnia æquali quidem proportione cum oppoſitis: eadem & horum. Quare cùm Aries inæqualiter oriatur: Pari ratione & Libra. Siquidem Taurus obliquè oritur: vtique & Scorpius. Et quoniam Leo obliquè adſcendit: ſine dubio & Aquarius. Ad eandem prorſus rationem Virgo & Piſces. Oppoſitorum enim eadem eſt diſciplina: iuxta quam vt obliquus adſcenſus determinatus eſt: ita & rectus determinatur: nempe, quemadmodum Gemini & Cancer rectè oriuntur: ita & eorum oppoſita, vtpotè Sagittarius & Capricornus. Ita patet & regularum ratio, & tabularum compoſitio: tam in recta, quàm in obliqua ſphæra: De aſcenſionibus & deſcenſionibus atque collatione ſignorum: quod nimirum de æquinoctiali reſpondeant Zodiaci cuilibet ſigno. Huius autem loci de adſcenſionibus maxima vtilitas eſt: qui & præcipuus totius ſphæræ eſſe dicitur: & in tota doctrina primi mobilis, in quo potiſſimæ ac præcipuæ rationes conſiſtunt, & anomaliæ dierum & noctium

artificialium:atq; item dierum naturaliũ. Per has enim vel ſolas perſpicua & certa differentia ſeu diſcrimen anni, menſium & reliqui temporis datur. Schemata etiam cœli conſtituuntur ac confirmantur: Planetarum item motus ad præfinita atq; æſtimata tempora perquiri ac perueſtigari poſſunt: Vel ex ſola ratione adſcenſionum & deſcenſionum, ſignorum & ſingularum Eclipticæ partium. Quamobrem etiamſi hîc non integra & abſoluta præcepta tradi poßint, quæ potius ex Ptolemæi loco citato hauriri debent: nihilominus tamen nudas illas regulas explicare propoſitũ requirebat: cùm vt rectius intelligatur: tum, vt animi noſtri alliciantur ad profundiorem inueſtigationẽ: quæ primum exquiſitè à Ptolemæo: deinde ab alijs tractantur: videlicet Regiomontano, Copernico, & ſimilibus.

De tempore aſcenſionis eruendo,

CAP. XXXVII.

PORrò ne res mutilata relinquatur paucis ex prædictis gradibus & minutis tempus aſcenſionis, hoc eſt, horas minuta, & ſecunda, declarabimus: tùm demum & differentias annectemus, quæ aliâs adſcenſionalia nuncupãtur. Tempus autem facilè habitis gradib. æquinoctialis ſigno Zodiaci correſpondentibus elici poterit: ſi ea quæ ſuperius dicta ſunt de diuiſione totius circuli intellecta fuerint: videlicet quòd facta diuiſione 360. per viginti quatuor, 15. gradus vni horæ correſpondeant. Iam non erit difficile, quomodo gradus contineat 60. minuta: deinde quomodo quodlibet ſignum ſpacio duarum horarum peroriatur. Diuidere iam per quatuor 60. quindecim gradibus 30. minuta correſpondebunt & 60. ſecunda. Nam 15. gradus continet minuta plus quadruplo. Vbi ſiquidẽ 15. per 4. multiplicaueris ſurgunt 60. Eadem ratione quinq; minuta ſi per 4. multiplicaueris ſurgũt

60. ſe-

60.ſecunda. His iam ita obſeruatis multiplicationem eſſe faciendam per 4. diuiſionẽ verò per 60. non obſcurè intelliges. Iam ergò aggredere oblatos gradus, et tempus aſcenſionis facilè deprehendes: vt Aries in recta ſphæra habet 27. gradus 54. minuta. Multiplica ergò vtrumq; per 4. prodibunt 108. minuta ex gradibus: ex minutis 216. ſecunda. Hæc vbi diuiſeris per 60. remanebit vna hora & 48. minuta. Eadem cùm ſimul addideris reſultabit vna hora 51. minuta & 36. ſecunda. Quemadmodũ hîc tempus Arietis inuentum eſt, ita in omnibus perquirendum erit. Quod vt verũ ſit: ſicut in recta ſphæra: ita in obliqua oſtendemus. Leo in obliqua ſphæra habet 42. gradus & 54. minuta. Vtraq; per quatuor multiplicando, ex gradibus prodibunt 168. minuta. Ex minutis 216. ſecunda. Diuidendo per 60. ipſa minuta: duæ horæ & 48. minuta reſtabunt. Pari ratione ex ſecundis 3. minuta 36. ſecũda. Hæc vbi ſimul addideris, habebis duas horas 51. minuta 36. ſecunda. Atq; ita tempus aſcenſionum nulla difficultate patet. Reſtat, vt paucis oſtendamus, quomodo confici debeat tabula, quæ oſtendat, differentias aſcenſionales, hoc eſt, inter aſcenſiones ſignorum rectæ et obliquæ ſphæræ. Id autem ſic commodè fieri poteſt: videlicet conferendo ſignum Zodiaci in obliqua ſphæra cum eodem ſigno in recta ſphæra: & alterum ab altero ſubtrahendo, vt ſi proponatur Aries in recta ſphæra: habet 27. gradus 54. minuta: In obliqua verò 12. gradus & 48. minuta: vbi alterũ ab altero ſubtraxeris, ex gradibus prodibunt 15. ex minutis 6. Huius tempus quære vt ſuperius 15. multiplicando per 4. prodibunt 60. minuta & 18. ſecunda. Diuidendo per 60. prodibit vna hora minutum nullum 24. ſecunda. Sic procedendo vſque ad 12. ſignum & tabulam aſcenſionalium: nulla difficultate tempus quoque habere potes.

Tabula continens gradus Eclipti-
inſigniores olim oriebantur &

Nomina ſtellarũ.	Alexãdriæ oritur		occidit			Romæ oritur		occidit	
Caput arietis	26	Piſc.	9	Arie.		22	Piſc.	9	Aries
Pes arietis	23	Arie.	14	Arie.		25	Arie.	13	Aries
Capella	21	Arie.	6	Gem.		25	Arie.	24	Gem.
Hædi aurigę	27	Arie.	29	Tau.		10	Arie.	5	Gem.
Pleiades	28	Arie.	4	Tau.		26	Arie.	4	Tau.
Hyad.&ocul.Tau	19	Tau.	11	Tau.		12	Tau.	10	Tau.
Caput Gem.p̃ced.	15	Gem.	0	Can.		10	Gem.	4	Can.
Caput ſequentis	22	Gem.	1	Can.		19	Gem.	4	Can.
Humer' dex.orio.	17	Gem.	26	Tau.		22	Gem.	22	Tau.
Cingulũ orionis	19	Gem.	19	Tau.		27	Gem.	14	Tau.
Pes ſiniſter orion.	19	Gem.	12	Tau.		29	Gem.	6	Tau.
Leporis media	2	Can.	22	Tau.		13	Can.	4	Tau.
Procyõ canis min.	9	Can.	20	Gem.		14	Can.	16	Gem.
Præſepe	11	Can.	11	Can.		10	Can.	10	Can.
Aſini	28	Can.	16	Can.		11	Can.	17	Can.
Sirius ſeu can.mai.	14	Can.	0	Gem.		23	Can.	22	Tau.
Anguis ſiue	21	Can.	3	Can.		25	Can.	28	Gem.
Hydra	7	Leo.	12	Can.		12	Leo	5	Can.
Cor Leonis	4	Leo.	5	Leo		4	Leo	6	Leo
Cauda Leonis	22	Leo.	11	Virg.		20	Leo	21	Virg.
Vindemitor	14	Virg.	8	Libr.		10	Virg.	19	Libr.
Spica	27	Virg.	24	Virg.		27	Virg.	22	Virg.
Crater	1	Virg.	6	Leo		6	Virg.	20	Can.
Coruus	16	Virg.	14	Leo		18	Virg.	14	Leo

cæ cum quibus ſtellæ
occidebant.

Nomina ſtellarum	Alexandriæ oritur		occidit		Romæ oritur		occidit	
Corona	7	Lib.	14	Sagit.	27	Virg.	2	Cap.
Libræ Lãx merid.	18	Lib.	19	Lib.	18	Libr.	9	Lib.
Lanx Septentriõ.	10	Lib.	3	ſcorp.	29	Libra	10	ſcorp.
Bootæ Brachia	6	Lib.	1	ſcorp.	5	Virgo	25	Sagit.
Pedes	2	Lib.	15	ſcorp.	25	Virg.	2	Sagit.
Arcturus.	22	Virg.	14	ſcorp.	15	Virg	5	Sagit.
Lyra Lucida	15	ſcorp.	22	Aqu.	27	Lib.	2	Aqu.
teſta	25	ſcorp.	9	Aqu.	6	ſcorp.	28	Aqu.
Serpentarius	3	ſcorp.	25	ſcorp.	29	Lib.	2	Sagit.
Spondili Scorpio.	25	ſcorp.	28	ſcorp.	29	ſcorp.	14	Lib.
Cor Scorpionis	14	ſcorp.	8	ſcorp.	15	ſcorp.	5	ſcorp.
Miluius,gallina	12	Sagit.	29	Lib.	6	Sagit.	8	Aqu.
Aquila	16	Sagit.	19	Capr.	10	Sagit.	26	Capr.
Delphini caput	29	Sagit.	8	Aqu.	19	Sagit.	15	Aqu.
Pars poſterior	25	Sagit.	3	Aqu.	15	Sagit.	12	Aqu.
Sagittar. pars ſupe.	13	Sagit.	3	Sagit.	15	Sagit.	0	Sagit.
Pars infer.	20	Sagit.	10	Sagit.	23	Sagit.	7	Sagit.
Capricornus	2	Capr.	12	Capr.	0	Capr.	14	Capr.
Pegaſi pars anteri.	22	Aqu.	27	Piſc.	9	Aqu.	2	Aries
Pars poſterior	4	Aqu.	1	Piſc.	26	Capr.	4	Piſc.
Aquarij media	16	Piſc.	12	Aqu.	1	Aries	15	Aqu.
Piſcis auſtralis	13	Aqu.	0	Piſc.	12	Aqu.	2	Piſc.
Piſcis borealis.	12	Piſc.	2	Aries	4	Piſc.	4	Aries

Tabula continens ingreſſum Solis in 12. ſi-
Solis ad ſingulos dies anni veterum Poe-

Dies	Ianua. Cap.	Febru. Aquar.	Martij Piſces	April. Aries	Maij Taurus	Iunij gemini
1	16	17	15	15	14	14
2	17	18	16	16	15	15
3	18	19	17	17	16	16
4	19	20	18	18	17	17
5	20	21	19	19	18	18
6	21	22	20	20	19	19
7	22	23	21	21	20	20
8	23	24	22	22	21	21
9	24	25	23	23	22	22
10	25	26	24	24	23	23
11	26	27	25	25	24	24
12	27	28	26	26	25	25
13	28	29	27	27	26	26
14	29	30	28	28	27	27
15	30	Piſces.	29	29	28	28
16	Aqua.	2	30	30	29	29
17	2	3	Aries	Taurus	30	30
18	3	4	1	1	gemini	Cancer
19	4	5	2	2	1	1
20	5	6	3	3	2	2
21	6	7	4	4	3	3
22	7	8	5	5	4	4
23	8	9	6	6	5	5
24	9	10	7	7	6	6
25	10	11	8	8	7	7
26	11	12	9	9	8	8
27	12	13	10	10	9	9
28	13	14	11	11	10	10
29	14		12	12	11	11
30	15		13	13	12	12
31	16		14		13	

gna Zodiaci, verum item locum
tarum temporibus accommodata.

Iulij Canc.	Augúſ. Leo	Septēb. Virgo	Octob. Libra	Nouēb. Scorp.	Decēb. Sagitt.	
13	12	13	13	14	14	
14	13	14	14	15	15	
15	14	15	15	16	16	
16	15	16	16	17	17	
17	16	17	17	18	18	
18	17	18	18	19	19	
19	18	19	19	20	20	
20	19	20	20	21	21	
21	20	21	21	22	22	
22	21	22	22	23	23	
23	22	23	23	24	24	
24	23	24	24	25	25	
25	24	25	25	26	26	
26	25	26	26	27	27	
27	26	27	27	28	28	
28	27	28	28	29	29	
29	28	29	29	30	30	
30	29	30	30	Sagitt.	Capric.	
Leo	30	Libra	Scorpi'	2	2	
1	Virgo	2	2	3	3	
2	2	3	3	4	4	
3	3	4	4	5	5	
4	4	5	5	6	6	
5	5	6	6	7	7	
6	6	7	7	8	8	
7	7	8	8	9	9	
8	8	9	9	10	10	
9	9	10	10	11	11	
10	10	11	11	12	12	
11	11	12	12	13	13	
	12		13		14	
					15	

Tabula oſtendens quot gradus & minuta æquinoctialis cuilibet ſigno Eclipticæ correſpondeant in Sphæra recta. Item tempus aſcenſionum quæ etiam ſigna rectè, quæ obliquè oriantur.

Signa Zodiaci		Arcus Aequinoct. correſpond.		Temp. aſcenſ.		
		Grad.	Minut.	Hor.	Min.	Sec.
Obliq.	Aries	27	54	1	51	36
Obliq.	Taurus	29	54	1	59	36
Rect.	Gemini	32	12	1	8	48
Rect.	Cancer	32	12	2	8	48
Obliq.	Leo	29	54	1	59	36
Obliq.	Virgo	27	54	1	51	36
Obliq.	Libra	27	54	1	51	36
Obliq.	Scorp.	29	54	1	59	36
Rect.	Sagitt.	32	12	2	8	48
Rect.	Capricor.	32	12	2	8	48
Obliq.	Aquarius	29	54	1	59	36
Obliq.	Piſces	27	54	1	51	36

Tabula oſtendens quot gradus & minuta æquinoctialis cuilibet ſigno Eclipticæ correſpondeant in Sphæra obliqua ad eleuationem 52. Item tempus aſcenſionum & quę ſigna rectè quæ obliquè oriantur.

Signa Zodiaci		Arcus Aequinoct.	correſp.	Temp. aſcenſ.		
		Grad.	Minut.	Hor.	Min.	Sec.
Obliq.	Aries	12	48	0	51	12
Obliq.	Taurus	16	54	1	7	36
Obliq.	Gemini	26	29	1	45	56
Rect.	Cancer	37	55	2	31	40
Rect.	Leo	42	54	2	51	36

Rect. Vir-

Rect.	Virgo	43	0	2	52	0
Rect.	Libra	43	0	2	52	0
Rect.	Scorp.	42	54	2	51	36
Rect.	Sagittar.	37	55	2	31	40
Obliq.	Capricor.	26	29	1	45	56
Obliq.	Aquarius	16	54	1	7	36
Obliq.	Piſces	12	48	0	51	12

Tabula oſtendens differentias inter aſcenſiones ſignorum rectæ Sphæræ,& aſcenſiones Sphær.obliq. ad eleuationem 52. in grad.& horis.

Signa Zodiaci	Grad.	Min.	Hor.	Min.	Sec.
Aries	15	6	1	0	24
Taurus	13	0	0	52	0
Gemini	5	13	0	20	52
Cancer	5	43	0	22	52
Leo	13	0	0	52	0
Virgo	15	6	1	0	24
Libra	15	6	1	0	24
Scorpius	13	0	0	52	0
Sagittarius	5	43	0	22	52
Capricornus	5	13	0	20	52
Aquarius	13	0	0	52	0
Piſces.	15	6	1	0	24

De diſcrimine Dierum,

CAP. XXXVIII.

DRymus. *Hucuſq; ſatis diſputatum eſt de ortu tam poëtico, quàm Aſtronomico, reſtat vt de varietate dierũ nonnihil dicas.* OLISTVS. *Multa reſtant quæ tam exiguo tempore haudquaquam pertractari poſſunt: inprimis quia iam dimidium noctis inſtat, & mihi diſcedendum prima cras luce eſt.* Symbulus. *Obſecro ſi non licet ſingula ventilare, hoc ſaltem liceat, vt breuiter quæ reliqua ſunt, velut per compendiũ percurras.* OLISTVS. *Ne vel in hac parte vobis deeſſe videar, paucis me expediam: ac deinde impoſito Colophone Deo proſperante iter ingrediar.* Symbulus. *Age igitur.* OLISTVS. *Dierũ alia eſt quotidiana, quæ iuxta Solis curſum lucis & tenebrarum interſtitio abſoluitur: alia minus. Dierum ergo alij ſunt Aſtronomici, videlicet totum illud tempus eiuſq; ſpacium quo Sol à meridiano per reuolutionem primi cœli ad eundem locum remeat: idq́; circa Lunam intelligendo, quandoquidem Aſtronomi non ab ortu aut occaſu Solis, quin potius à media ſiue die ſiue nocte, diem ordiantur, ac vel ſupremum faſtigium: vel imum terræ petens, ſemper meridianam occupat, ij dies alij naturales ſunt, quando nimirum integer æquinoctialis conuertitur, proportione quadam ad Eclipticam, iuxta proprium interea Solis motum: Græcis* νυχθήμερος *ſeu* νυχθήμερον *nuncupatur: qui & ipſi nunc* νυχθήμεροι ὁμαλοι *dicuntur, nempe ſpacium temporis, quo totus æquator ſemel circumagitur, cum additamento 59. ſcrupulorum: nunc inæquales* νυχθήμεροι ἀνόμαλοι, *æquatoris nimirum integra conuerſio, cum portione arcui Zodiaci congruente, atq; ratione eiuſmodi additamentorum inæqualitatis, & dies inæquales dicuntur: primò propter inæqualem Solis in Zodiaco inceſſum: ſecundò propter ſigniferi*

partes

partes diſſimili motu circumagitatas. Cæterùm dies artificiales nil aliud ſunt, quàm dies & noctes quotidianæ, iuxta ortum & occaſum Solis conſiſtentes: quæ nunc creſcunt nunc decreſcunt, commutatis vicibus proportione Arithmetica: atq; hæ ipſæ ſunt dierum naturalium partes. Nam iunctæ, naturalem quoad ſenſum conſtituunt. Naturales enim definiuntur per integram æquinoctialis reuolutionem: artificialis verò iuxta ſignorum Zodiaci ſucceſſum, ſiue acceſſum, ſiue receſſum: ob quorum reſpectum dies iam longiores iam breuiores exiſtunt. Eam ob cauſam in recta ſphæra perpetua æqualitas dierum: in obliqua verò inæqualitas datur, ſicut & ſuperius fuſius dictum eſt. Alij dierum ſunt politici vel ciuiles, ij ortum habent ex quadrante Horizontis & Meridiani, qui in ſphæra recta perpetuò ſex horis diſſidet: in obliqua verò pro diuerſitate inhabitantium diſcrepat. Etiamſi duæ partes, quas ſupra Horizontem volutatus Sol efficit, ab exortu ad Meridiem, & à meridie ad occaſum, inter ſe conueniunt: reliquæ tamen duæ, quas ſub terra incedens producit, ſemper aut propter defectum, aut proceſſum diſſident. Hinc eſt vt Athenienſes annũ ſuum à ſolſtitio æſtiuo inchoarent, vel proximo eius menſe vt Plato de legib. teſtatur, ἐπειδαὶ μέλλῃ νέος ἐνιαυτὸς μετὰ θερινὰς τροπὰς τῷ μέιοντι μηνὶ γίγνεσθαι*: Diem verò à Solis occaſu. Babilonij porrò ab æquinoctio verno: diem verò à Solis ortu. Romani annum à Bruma: diem verò à media nocte. Aſiatici annum ab æquinoctio autumnali, Vmbri diem à meridie auſpicati ſunt. Hæc ad erigendas cœli figuras maximoperè requiruntur. Cæterùm quoniam clima dimidiæ horæ interſtitium ſignificat, ipſiſq; climatibus differentiæ ab ipſo æquatore celebrentur, penes quam diem æquinoctialem ſuperare intelligimus: vtiq; cognitio climatum nõ minus huc ſpectat, quod nihil aliud eſt, quàm ſpacium terræ habitatæ inter duos parallelos compræhenſum, verſus eundem polum ab æquatore di-*

re diſtantes: à cuius principio ad finem vſq; dies maxima augetur dimidia hora. Horum & ſuperius meminimus. Quod porrò ad Eclipſes Lunæ attinet, quæ nihil aliud eſt quàm defectus luminis ſeu priuatio in corpore ſuo, cadente ea in vmbram terræ interiectæ diametraliter, Soli, ipſiq́; Lunæ, et cæterarum Planetarum. Hæc in Theoricis, vbi rediero Deo volente, ſingulatim tractabimus. Iam tempus non modo inſtat: verumetiã extat, vt pauliſper dormiturientes quieſcamus: tum vt iter ſuſceptum, ingrediar. Vos ergò ea quæ hactenus dicta ſunt diligenter repetite, & à Deo precibus veſtris fauſtum mihi iter impetrate, vtq́; me eò ſaluum deducat, & viciſsim incolumen reducat. Symbulus. Equidem pluuias metuo ſi prognoſtica noſtra vera ſunt: ranæ enim ἐνθορέουσιν. Drymus. Nox pluuiam ne colligat antè vereor. Quòd ſi neque cras iter hoc ingredi propter tempeſtates licebit: de rerum euentis obſecramus, ne pigritere aliquid dicere. OLISTVS. deliberabo.

PAV-

PAVLI PRINCIPIS DE LA SCALA ET HVN. MARCHIONIS VERONAE, &c. DOMINI CREVTZBVRGI IN PRVSſia. Miſcellaneorum de rerum cauſis & ſucceſsibus, Liber quartus.

Tabula trium Reuolutionum à condito mundo ad finem vſque ſeculi.

ימותהמשיח תורה תוהו

Reuolutio	Anno	Die	Anno	Die	Anno	Die
Saturni	285	257	2285	113	4285	12
Veneris	571	154	2571	10	4570	269
Iouis	856	211	2861	267	4856	186
Mercurij	1142	108	3142	164	5142	83
Martis	1427	165	3428	61	5427	340
Lunæ	1713	62	3623	318	5713	237
Solis	1998	319	3999	115	5999	134

De Chronographia Priſcorum, & primo de Iouis & Iunonis,

CAPVT I.

DRymus. *Nigerrimus Auſter, Oliſte, naſcitur, et pluuio contriſtat frigore cœlum: Ecce velut torrens vndis pluuialibus auctus. Differas obſecro in craſtinum hanc tuam profectionem, ac de rerum euentis nonnihil diſſeras.* Symbulus. *Id beneficij ſi impetrauerimus: omni ſedulitate referre conabimur.* OLISTVS.

STVS. *En ſiquidem arduus ruit æther, etiam ea in parte vobis gratificabor. Vera eſt ſententia Heliæ, quam referunt Hebræi libro* מסכת עבודה זרה *capite* בפרס חלס *in hunc modum*
תנא דבי אליהו שתא אלפא שנא הוי עלמא שני אלפים ההו שני אל־
פים תורה שני אלפים ימות המשיח ובעונותינו שרבו יצאו מהן מה
שיצאו*.i. Dixerunt filij ſeu diſcipuli Heliæ: Sex mille annorũ mundus, duo mille inane, duo mille lex, duo mille dies Meſsiæ: et ꝓpter peccata noſtra, quæ ſunt multa, præterierunt de eis, quæ præterierunt. Veriſsima, inquam, eſt hæc ſummi Rabini ſententia, tempus ſeu reuolutionem huius Machinæ, vltra ſex mille annos non duraturam: ideò quicquid prædictum à Prophetis eſt, hoc ſpacio abſolutum iri, procul omni dubio aſſeuerare: & plurimis, cum ſecretioris diſciplinæ, tum vel maximè ſacrarum literarũ irrefragabilibus teſtimonijs, comprobare poſſumus. Cùm igitur multa olim, in ænigmatibus, parabolis, inuolucris, paradoxis, & ſub obſcurioribus rerum indicijs à maioribus noſtris tradita ſint: haud abs re fuerit, paulò altius ſingula expendere: & pro rei dignitate penitius quæq; rimari. Veteres præſertim autem idonei illuſtresq; poëtæ, maximum myſterium complexi ſunt, & mirabile vaticinium, nomine Iouis & Iunonis: qui coëunt in Gargari montis Ida, & conueniunt in diuinæ mentis Idea, binis ambo bigis, & quatuor ambo equis ducuntur: ſed deſcendendo Iupiter in Olympo manet, Iuno ad inferiora tendit, Homero teſte,* εἶμι γαρ ὀψομένη πολυφόρβου πείρατα γαίης, νῦν δε σεῦ εἵνεκα δεῦρο κατ' οὐλύμπου τόδ' ἱκάνω. *id eſt, Vado viſura pabuloſæ extrema terræ: nunc autem tui cauſa huc per olympi iſtud venio. Olympus hic medius mundus dicitur: quia totus lucidus & ſeparatarum formarum pleniſsimus eſt: vbi immortalium area, ſuperficies, ſiue pauimentum extat: iuxta illud Iliados octauo.* ἵν' ἀθανάτων ἕδος ἐστι, *quod rectè cognominatur habitaculum deorum: quorum domus alta, vt Maro in Aeneidos decimo, cuius quidem culmen vnitas eſt: parietes, trinitas: & ſuperficies,*

ficies, quaternitas. Hanc quiſquis relicto corpore ingreſſus fuerit, erit immortalis Deus: quiſquis corpus in hac vita ſuperauerit, cognoſcet immortalium deorum id eſt Dei, ſuorumq́ angelorum, & mortalium hominum cohabitationem: quam eleganter Pythagoras σύςασῳ *à ſimul ſtando appellat. & Moſes* ὁ ὢν *per ſe exiſtentem vocauit eò quòd Dominꝰ ipſe tertio exodi* אהיה אשר אהיה *Moſi reſponderit .i. ſum qui ſum. Eſt enim Deus illa exiſtentia, quæ nec præterijt nec præteribit: imò tranſcendit omnem temporis rationem: & qui ſolus dicere poteſt. SVM. Siquidem ipſe eſt omnis eſſentiæ atque vitæ fons, & plenitudo: à quo omnia quæ ſunt, habent eſſe, quod ſunt. Orpheus eum* αὐτοτελῆ *id eſt per ſe perfectum dixit* θεῖον λόγον τηπωτὴν *diuinum verbum & formatorem mundi ſublimiſſimamq́ue cauſam, potentiſſimã rerum cæterarum creatricem. Hinc eſt vt in veteri Theologia pater ſummũ bonum: filius mens & opifex: Spiritus verò anima mundi nuncupetur: ſicut & poëta ait: Spiritus intus alit, totamq́ue infuſa per artus*
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

De Anima mundi.

CAPVT II.

DRymus. *Exiſtimo hunc ſpiritum non diuerſum eſſe ab anima mundi.* Symbulus. *Atque ego idem cogitabam.* OLISTVS. *Hic ſpiritus diuinus reuera anima mũdi dicitur: ab ea cuncta naſcuntur ac viuificantur. De hoc ſpiritu Dauid loquitur, cùm inquit. Emitte ſpiritum tuum & creabuntur & renouabis faciẽ terræ: de eodem Verg: ita canit:*

Vnde hominum, pecudumq́ue genus vitæq́ volantum
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.

Mercurius in ſermone ad Aſclepium hæc ait: Spiritu agitatur

& viuificatur omnis in mundo Species: deinde Spiritus implet omnia. Ibidem, Mundus nutrit corpora: Spiritus animas. Et Spiritu miniſtrantur omnia & vegetantur in mundo, & quaſi organū vel machina, ſummi Dei voluntati ſubiectus eſt. Ac vt tandem exprimā quod velim, in ſermone tertio abſolutiſſimè de Spiritu hæc dixit. οὐ μὴ πρόνοιά τις ἦν τοῦ πάντων κυρίου ὥστε με τὸν λόγον τοῦτον ἀποκαλύψαι, οὐδὲ ὑμᾶς νῦν ἔρως τοιοῦτος κατεῖχεν ἵνα περὶ τούτου ζητήσητε, νῦν δὲ τὰ λοιπὰ τοῦ λόγου ἀκούετε. τούτου τοῦ πνεύματος, οὗ πολλάκις προεῖπον, πάντα χρήζει· τὰ πάντα γὰρ βαστάζων, κατ' ἀξίαν ζωοποιεῖ, καὶ τρέφει, καὶ ἀπὸ τῆς ἁγίας πηγῆς ἐξήρτηται ἐπίκουρον πνευμάσι καὶ ζώοις ἅπασιν ἀεὶ ὑπάρχον. *Niſi, inquit, prouidentia quædam eſſet Dominatoris omnium vt hanc ego Theologiam reuelarem, neque vos nunc talis amor tenuiſſet, vt de eo quæreretis: nunc reliqua audite. Huius ſpiritus de quo ſæpenumero dixi omnia indigēt: omnia enim portat ſecundū dignitatem: omnia viuificat & nutrit: & à ſancto fonte dependet: omnibus ſpiritibus & viuentibus ſemper eſt auxiliator. Hæc Mercurius.*

De Spiritualibus ſubſtantijs à Deo rebus præfectis.

CAPVT III.

DRymus. *Hic ergo Spiritus ſolus cæterorum rector erit?* Symbulus. *Ita percepi.* OLISTVS. *Non obſcurè patet vtique quomodo ſpiritus ab vno ſpiritu dependeant: eius mentionem facit Gen. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Hic ſpiritus adduxit ſpiritum ſuper terram & imminutæ ſunt aquæ. Ideò inquit Exod. In ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ: ſtetit vnda fluens, congregatæ ſunt abyſſi in medio mari: Paſſim ſacræ literæ refertæ ſunt ſpirituum officijs: imò verò & numerus Septenarius 3. & 5. Apocalip. traditur. Ait enim, ſeptem ſpiritus Dei miſſos in omnem terram: quos & angelos*

gelos.8.cap.appellat:qui à vetuſtioribus Philoſophis & illuſtrioribus poëtis nomine Iunonis expreſſi ſunt:quos ex ſecretiori Philoſophia rectiſſimè Abbas Tritemius ſeptem intelligentias ſeu Angelos poſt Deum orbes mouentes nuncupauit. Quemadmodum enim Platonici, ita & noſtri crediderunt, varijs mundi huius corruptibilis,ſicut ipſe quoq; Picus refert, rebus varias ſpiritales ſubſtantias à Deo præfectas.Quocirca & Auguſtinus nullam eſſe viſibilem rem apud nos,cui non præſit angelica poteſtas: & corpora omnia per rationalem ſpiritū vitæ regi conſtanter aſſeruit:id quod & Gregorius poſtea confirmauit.Origenes ſimiliter in commentarijs in librum numerorum,Opus eſſe,inquit,mundo angelis:qui beſtijs præſint & animaliū natalibus virgultorumq́ etiam & plantationū & cæterarum rerum incrementis.In qua ſententia cùm eſſet & Damaſcenus:credidit angelū qui peccauit ex his fuiſſe qui deſpicatiſſimæ notæ ſint, & terreſtri ordini præſint. Hactenus Picus.

De vaticinio Iouis & Iunonis.

CAP. IIII.

DRymus.*Antequam officia horum ſpirituū exponas, vaticinium illud interpretare.*Symb.*Audiamus Oliſtum.*OLIST.*Quum poſt Iouis & Iunonis coitum cōuentum & ductum,Iupiter quidem in Olympo manet,Iuno verò ad inferiora tendit,ſignificatur quomodo vniuerſi exordium à diuina exeat mente.Reſpicit enim tetractys ad ſui eſſentiam, quæ eſt primo vnitas omnium productrix: & ſimul origenem ſuam à primo producto reminiſcitur:ſiquidem binarius eſt. Sic procedendo ſemel vnum,bis duo, mox ſurgit quaternarius,ſummā complectens in cacumine ſui verticis vnitatem: ſuper quam lux radians formā & Speciem facit ignis incorporei, propter Iunonis diſceſſum*

ad hæc inferiora: vnde confeſtim oritur natura luminis eſſentialis non vſtiui, ſed illuminantis, vt Capnion refert. Hanc formã ignis deſcribit timæus Locrus, Pythagoreus in lib. de anima mundi ἐξ ὧ ἁ πυραμὶς πίσαρας βάσιας καὶ τὰς ἴσας γωνίας ἔχουσα συντίθετη, εἶδος πυρὸς εὐκινατότατον καὶ λεπτομερέστατον. *i. ex quo pyramis quatuor baſes & æquales angulos habens componitur forma ignis per quam mobiliſſima & tenuiſſima. Hæc, inquam, eſt illa lux eſſentialis ſeparata, proxima Deo: & vita ſempiterna. Hæc iam omnibus adeſt ſeq́ue omnibus exponit: quam nos turpiter proſtituimus, & pedibus conculcamus nosq́, ad omne genus ſcelerum, ipſa ſpreta & reiecta, conuertimus, Hæc deſcendit & nos inuitat: at mẽs eſt qui hãc exaudiat: omnes obdurant corda, & grauiſſimis tentationibus mẽtes ſuas implicãt. Huius vaticinij tempus nõ iam inſtat, ſed extat. Abuolauit hæc ſponſa in deſertum, quam vidẽtes non vidimus, & intelligentes nil minus quàm intelleximus. Ideò iam iam ira domini effundetur ſuper nos: iam iam compræhendent nos mala ineuitabilia. Præſens eſt vltio diuina: Occidimus ſanctos eius: Repletus eſt numerus ſanctorũ. Adimpleta iniquitas: Calamitas grauis: tempeſtas intollerabilis deuorabit nos. Aperuit beſtia guttur ſuum: veloces pedes ad effundendum ſanguinem inſtituit. Cognouerunt hæc olim Philoſophi, prædixerunt Poëtæ. Nos verò dies noctesq́, ſacras literas terẽtes, neglexinus aduentum Domini? in ſcortis, aleis, commeſſationibus, ebrietatibus, dies noctesq́ue triuimus? iam iam inſtat tempus, & dicemus, cadite ſuper nos montes, & ecce plaga nos horribilis appræhendet. Mortem exoptabimus: ſed mors nos fugiet. Adhuc ſurdi ſumus, adhuc cæci? An hucuſque nil vidimus? tardi corde, & graues mente. Quibus adhuc aliquid ſcintillæ, ineſt diuinitatis: quibus curæ nonnihil incumbit ſalus animæ: ad Dominum reuertamur, & ipſe nos ſaluabit. Pœnitentiam agamus, quoniam ſecuris ad radicem poſita eſt. Adhuc modicum ex-*

pectat,

pectat, & non tardabit Dominus ſed veniet qui venturus eſt, & iudicabit viuos & mortuos, per ignem. Mittet bonos & ſanctos ſuos in cœlos, vbi eſt vita æterna: malos verò in infernum vbi eſt mors perpetua, fletus & ſtridor dentium. Cæterùm quid antequã extremus ille & horribilis dies malis: delectabilis verò bonis, & quàm horrendæ afflictiones nobis omnibus immineant, niſi miſereatur noſtri Deus: ſicut & Niniuitis, & noſtræ pœnitentiæ locũ tribuat, vt exponamus, incumbit. Et ne in vanum quæ ſequuntur fiant, imprimis officio ſpirituum, quibus poſt Deum motus orbium commiſſus eſt, paucis attingamus. Drymus. *rectè: nos auſcultabimus diligenter.*

De orbium poſt Deum gubernatoribus

CAP. V.

OLISTVS. *Mercurius Triſmegiſtus hoſce ſpiritus, ſeptem mundi gubernatores vocat, & ſecretiores Theologi aiunt eos omnia regere viciſſitudine quadam horarum, dierum, & annorum: quod & Aſtrologi de planetis quibus præſunt, tradũt. Antiqui Hebræorum patres, nomina tribuunt angelorum præſidentium planetis: Saturno Zaphkiete: Ioui Zadkielem: Marti Camaelem: Soli Raphaelem: Veneri Hanielem: Mercurio, Michaelem: Lunæ Gabrielem. Hi ſunt ſpiritus illi ſeptem vt Cornelius recenſet, qui ſemper adſtant ante faciem Dei: quibus credita eſt diſpoſitio totius regni cœleſtis & terreni, quod ſub orbe Lunæ eſt. Abbas tritemius paulò diuerſis nominibus ſtellis illos adſcripſit, dicens, quòd Saturno præſit intelligentia nomine Oriphiel: Ioui Zachariel: Marti Zamael: Soli Michael: Veneri Anael: Mercurio Raphael: Lunæ Gabriel. De iſtis ſpiritibus præſidentibus planetis meminit etiã Ioannes in Apocalypſi*

inquiens. Et à ſeptem ſpiritibus qui in conſpectu Throni Dei ſunt. Daniel Michaelem vnum ex primis principibus appellat. מיכאל אחד השרים הראשונים: *meminit & Gabrielis. Ita fit vt non ſit dubium, hæc nomina vera & non fictiua eſſe: officij tamen, non naturæ, vt Tritemius inquit, ſpiritibus ratione actionis attributa.* Drymus. *Hac de re non dubitamus. Sed reuolutionis planetarum expone ſeriem.*

De reuolutionibus Saturni.

CAP. VI.

OLISTVS. *In prima reuolutione Saturni habuit homines rudes, agreſtes: more beſtiarum ſolitudine commorantes, vt vel ipſe textus Geneſeos habet. In ſecunda multiplicatæ ſunt gẽtes: diuiſa terra in regiones: inſtituta multa regna & vt Tritenio placet, Turris Babel conſtructa, linguarum facta cõfuſio, homines in omnem terrã ſunt diſperſi, cœperuntq́ homines terram accuratius colere, agros inſtituere, frumenta ſerere, vineas plantare, arbores infodere, & quicquid ad victum veſtitumq́ attinet diligentius acquirere, hic nobilitatis cœpta eſt diſcretio, orbis cognitio, multitudo regnorũ & varietas linguarũ. In tertia reuolutione cœpit bellum Punicũ inter Romanos & Carthaginẽſes, Roma igni & aqua penitus ferè conſumpta fuit, magna portenta videbantur, Coloſus & Carthago deſtruuntur, Hieroſolyma intenditur, Machabei bellum gerunt. Pari ratione Mithridates Germanica clades aduerſus Romanos fit: tres ſoles Romæ apparuerunt. C. Cæſar Octauianus, Cæſar Romanorum imperiũ vſurpauit, Emanuel Ieſus Chriſtus naſcitur. Proprietas huius planetæ eſt, vt efficiat triſtes, raucos, graues, tardos & coarctatos.*

De re-

De reuolutionibus Veneris.

CAPVT VII.

DRymus. *Quem iſta non permoueant, niſi truncus ſit, & validus fuſtis, humi defixus, non video.* Symb. *Ita ſanè eſt: quare vt cœpiſti perge.* OLISTVS. *Scio pulchra eſſe, ſimul & ardua: at pleriſq; inuiſa fortè ignorantibus.* Symb. *Iſtorum iudicia nil moreris: nobis loquere potius.* OLISTVS. *In prima reuolutione Veneris, homines cultiores eſſe cœperũt: domus extruere atq; vrbes: artibus mechanicis ſe exercere, Luxui indulgere, Vxorum formoſitatẽ obſeruare, Dei obliuiſci, à naturali ſimplicitate recedere, Ludis, cãtilenis, & inſtrumẽtis muſicis oblectari: & in ijs quæ ad venerẽ pertinent per omnia laſciuire. In ſecunda reuolutione cœpit idololatriæ incrementũ: Bellum itẽ ſuſceptũ eſt inter Zoroaſtem Bactrianorũ Regẽ, & Ninum Regẽ Aſſyriorũ. In tertia reuolutione multæ perſecutiones aduerſus Chriſti Eccleſiam floruerunt: multi viri in omni genere ſcientiarum claruerunt. Conſtantinus magnus, fit Chriſtianus: vnius Dei cultus reſtauratur: Cometes inſolitæ magnitudinis apparet: Arriana hæreſis turbat Eccleſiam ſanctam: Cruces in lineis hominum veſtibus videntur: Francorum germanorum origo naſcitur: inclinatio Romani imperij oritur: Gothorum Vandalorũ Hunnorumq; irruptiones vigènt. Veneris proprietas eſt, vt efficiat, laſciuos, luxurioſos, molles, & voluptuoſos, & in circumferẽtia diſſolutos dilatosq;.*

De reuolutionibus Iouis.

CAP. VIII.

DRymus. *Sed reuolutio Iouis nonne & ipſa propriũ habet effectum?* Symbulus. *Sile pauliſper & hunc audies*

audies. OLISTVS. *In prima reuolutione Iouis, primum homines dominari cœperunt, venationes exercere, tentoria facere, varijs indumentis luxuriari, bonos à malis ſeparare, integritatẽ morum amplecti, legibus parere, artes variæ pullulare. Hic Adam primus homo moritur. In ſecunda reuolutione aurea tempora naſcũtur, humanæ ſalutis reſtaurationem Deus pollicetur: Iupiter Rex Archadiæ ex heber filijs, videlicet Ierari ortus claret. Promotheus filius Athlantis floret: qui primus & vſum anuli, & inſignia regalia inuenit. Pari ratione & Phoroneus primus Græcis leges tulit. In tertia reuolutione multi amore Chriſtianæ philoſophiæ ſe ad heremum conferunt, multa etiam apparent portenta Cometes, terræmotus, pluuia ſanguinis : Mertinus naſcitur: Arcturo ter dena regna ſeruiunt. Monachorum ordines multiplicantur: Boëtium conſulem Theodoricus Rex noſter antiquus proauus occidit. Imperium ſimul & Eccleſia perturbantur: Clodoueus Rex Francorum fit chriſtianus: multa regna intereunt. Iuſtinianus Imperator rempub. legibus ornat. Coſdrai Perſarum Rex Hieruſalem capit: quem paulò pòſt Eracleus occidit. Machomet Arabs Saracenorum ſectam introducit. Dagobertus Anglos interficit. Cruces apparent in veſtibus hominum: imperium Romanũ diuiditur, & transfertur Monarchia ad Francos in Carolum. Proprietas Iouis eſt imperia mutare & regna.*

De reuolutionibus Mercurij.

CAP. IX.

DRymus. *Miranda hæc temporum varietas* Symbulus. *imò & ſuſcipienda.* OLISTVS. *In prima reuolutione Mercurij literæ inſtar arboris & plantarum excogitantur, Muſices inſtrumenta multiplicantur, mercantiarũ commu*

commutatio adinuenitur. Nauigandi exordium ſumitur. In ſecunda reuolutione ſapientiæ ſtudium floret. Mercurius, Bacchus, Omogyrus Iſis, Inachus, Argus, Apollo, & complures alij eminentiſsimi viri viuunt. Moſes legiſlator Iſraëlem à ſeruitute Aegyptiorum in libertatem vindicat. Ianus in Italia primus regnat. Saturnus ſtercore agros pinguere docet. Cadmus literas græcas inuenit: & Carmentis filia Euãdri latinas. Lex diuina per Moſen enucleatur. Sybilla Erythrea Delphica, Phrygiaque cum cæteris floret: Prophetæ item, Arioli, Aruſpices, Magi & vates. In tertia reuolutione Imperij vires extenuantur: ſanguis per triduum in Italia pluit. In Saxonia villa quædam horribili terræ hiatu cum omnibus ædificijs et hominibus in momento abſorbetur. Italia deficit ab imperio Francorum: proprioſq; ſibi reges conſtituit. Imperium Romanum transfertur ad Germanos. Sub Ottone primo Imperatore Monarchia reformatur. Hungari ad Chriſtianorum fidem conuertuntur.: Electores Imperij inſtituuntur. Hieruſalem iterum à Saracenis capitur: portenta multa in cœlo, terra, mari, & aquis videntur. Terra ſancta & Hieruſalem per Comitem de Bulien recuperatur: multa mala Tartari Imperio Romano faciunt, Soles tres, totidem Lunæ videntur. Egiani & Lituotrij ad fidem Chriſti conuertuntur. Proprietas Mercurij eſt vt reſiduum Iouis perficiat, remiſsiores item multiplices & cum quadam ſtrenuitate lætos & iucundos faciat.

De reuolutionibus Martis.

CAP. X.

DRymus. *Ecce quanta planetarum eſt virtus.* Symbulus. *Propter intelligentias.* OLISTVS. *Grauiora mox Martis Intelligentia aperiet. In prima enim eius reuolutione diluuium vniuerſale fit. In ſecunda reuolutione excidium*

Troianum in Aſia minore & monarchiæ mutatio exoritur. Luthetia Pariſiorum, Moguntia, Carthago, Neapolis, & aliæ multæ Ciuitates de nouo inſtituuntur: Regna quoq; plurima, vtpote Lacedemoniorū, Corinthiorū, Hebræorum &c. Bella, prælia regū & gētiū, variæq́ mutationes imperiorū. Saul primus Rex Hebræorum iungitur David ſequitur. Solomon templū Dei Hieroſolymæ cōſtruit. Homerus ſcriptor Troiani excidij, Daces Phrygius & Dictis Cretēſis, qui excidio ipſi interfuerunt, viuunt. In tertia reuolutione Imperator primus Fridericus cum Romanis proceribus prælia magna gerit. Romanorū multa milia pereunt. Mediolanum & Leodium deſtruitur. Hieruſalem à Saracenis iterum capitur. Imperiū Tartarorū initium ſumpſit. Rumores bellorum vigēt Argentinæ, Coloniæ, Leodij, VV ormatiæ, Spyræ, & in tota Germania. Mendicantium ſecta inſtituitur: in Aſia & Aphrica fides deficit Chriſtiana: Conſtantinopolis à Germanis capitur. Paſtores ex Hiſpania Pariſijs ſeditionem aduerſus clerum mouent, Eclipſis & terræ motus, multa hominum millia opprimunt. Tartari Hungariam deuaſtant, quam Philippus & Bartholomeus Scalichij ſaluarunt: atque Poloniam: Armenia maiori prius & multis ſuperatis regionibus. Romani Pontifices Fridericum Imperio deijciunt. Rodolphus Comes de Habſpurg Imperator conſtituitur. Ordo Templariorū deſtruitur. Epantus Pragenſis in Archiepiſcopatum erigitur. Ioānes Hus comburitur. Conſtantinopolis à Turcis capitur: Chriſtianorū inuicem bella ſuboriuntur in Gallia, Anglia, Saxonia, Vueſtphalia, Pruſſia, Flādria, Sueuia & alijs locis, Ars impreſſoria Moguntiæ de nouo inuenitur. 40000. hominum ex terræ motu in Regno Neapolitano pereunt. Moguntia capitur & ſpoliatur. Turci multas Chriſtianorum Ciuitates capiūt, Nigropontum in Euboia: Regnum quoque Boſneū ſiue Romæ cuius primus rex Stephanus Scalichius fuit: Ducatum de Spetis, Achaiam, Mytſenam, & plura

regna

regna in oriēte. Concurſus ſtultorum in Francia Germaniæ ad Niclaushauſen fit. Proprietas Martis eſt, ſicut veteres tradiderunt Philoſophi: Quoties Rex eſt orbis, toties Monarchiæ notabilis alteratio ſurgit. Religiones variantur & ſectæ, mutantur leges: principatusq́ue ad extraneos transferuntur: & Regna. Plerunque in medio regiminis intenſiſſimus eſt, ſicut & reliqui ſpiritus.

De reuolutionibus Lunæ.

CAPVT XI.

DRymus. *Quis crediſſet Martem tantum poſſe?* Symbulus. *Plurimum reuera* OLISTVS. *Plura docebit proceſſus. In prima reuolutione Lunæ, multiplicantur rurſus homines, & varias condunt Vrbes. In ſecunda reuolutione clarēt apud Hebræos prophetæ, Helias, Heliſeus, Micheas, Abdias, & alij cōplures. Lycurgus iura & leges Lacedemonijs dat. Reges Italiæ, Capetus, Lyberiꝰ, Romulus, Procas & Numitor, florēt. Monarchia Aſſyriorum in Sardanapolo deficit. Regnum Macedoniorum conſumitur. Hominibus variæ leges imponuntur. Veri Dei cultus negligitur. Falſorum Deorum religio nimis propagatur. Vrbs Roma conſtruitur. Thales, Solon, Chilon, Periander Cleobolus, Bias, & Pitacus ſeptem ſapientes in Græcia clarent. Romulus imperat fratricida & cultor ſeditionis. Numa Pompilius cultum Deorum ampliat. Nabuchodonoſor Rex Babiloniæ Hieruſalem capit, & deſtruit Sedechiam Regem, & omnem populum captum abducit. Hieremias propheta claret & hoc excidium prædicit ſimiliter & ex Babylon futuram liberationem. Tertia reuolutio eſt inſtantis temporis. Proprietas Lunæ media eſt inter Martē & Saturnum.*

De reuolutionibus Solis.

CAPVT XII.

DRymus. *Quàm cupiam hæc quæ præſentis ſunt temporis audire, vix exprimere poſſum.* Symbulus. *aſſentior.* OLISTVS. *Nihil eſt, qua in re vos non reddam certiores, dummodo patienter audiatis. In prima reuolutione Solis Reges inter mortales primum eſſe incipiunt, primus Nemroth libidine dominãdi ſuper ſocios imperiũ tyrannidis inuadit, Cultus Deorum ſtultitia hominum inſtituitur. Principes vt Dij adorãtur: Mathematica, Magia, & variæ artes adinueniuntur. Vnius Dei cultus diuerſis exhibetur creaturis: cultus Dei paulatim obliuioni traditur. Architectura inuenitur: homines morib. & inſtitutis adornantur. In ſecunda reuolutione Euil Merodach Rex Babylonis libertatẽ & Regem populo reſtituit Hebræorum: Monarchia incipit Perſarum. Cumana Sybilla claret. Romani abrogatis Regibus duos per annum conſules conſtituunt. Phalaris tyrannus Syciliam occupat. Magia apud Perſas floret: Pythagoras quoque apud Græcos. Templũ Hieroſolymis & ciuitas reædificatur. Eſdras propheta libros Moſis combuſtos à Chaldeis, qui & Babylonij fuerunt dicti, memoria vſus ꝑ Archetypo, reparauit. Xerxes aduerſus Græcos exercitus ducit. Roma capitur, incẽditur, & deſtruitur à Gallis: Athenienſiũ bella vigent. Socrates & Plato philoſophi florẽt. Romani abrogatis conſulibus Tribunos & Aediles inſtituunt. Alexander Magnus in Macedonia regnat, Monarchiã Perſarum in Dario deſtruit, & ſuo Imperio totam Aſiam cum parte Europæ ſubiugat, apud Hebræos pro ſacerdotio ſummo concertatur, Regnum Syriæ inchoatur. Proprietas Solis eſt, vt venerabiles, intentos, puros, & cum gratia dulces efficiat.*

Chronographia Nouiſsimorum dierum.

CAP. XIII.

DRymus. *Hæc de officio ſpirituum, & tota chronographia iuxta priſcorum ſententiam, & præſertim Tritemij dicta ſint: reſtat iam vt quæ nouiſsimorum temporum ſunt dicas.* Symbulus. *Certè aliunde commodius id fieri haud poteſt, quàm ex collatione temporum, & Spirituum gubernatione opinor, qua probè obſeruata nulla difficultate, de vltimis temporibus certi quid colligi poterit, & quis ſtatus Mundo immineat, exprimi.* OLISTVS. *Scimus ex ſuperioribus reuolutionibus omnes abſolutas eſſe, excepta tertia Lunæ & Solis. Martis enim cauda duntaxat reliqua eſt, quam vbi penitius inſpicio, conijcio perditionem plurimorum imminere: tranſlationem Monarchiæ vel magni alicuius regni. Secta religionis iam, quam portendebat, conſurrexit magna, & veterum deſtructio religionum, quod & Abbas prædixit: & reuera, vt idem, ait, timendum eſt ne caput vnum amittat beſtia quarta, cuius & Daniel apertam ſatis facit mentionem. Si enim expenderimus, quomodo in Samuele Mars primò prædixit diluuium: ſecundò Troianum excidium: facilè depræhendemus tertiò magnum vnitatis imminere detrimentum: & nunc qui habet oculos, conuertat eos ad præſentem ſtatum, & an vera dicamus vel idiota iudicabit. Rectè prophetauit Abbas Non cōſumabitur, inquit, Martis hæc tertia reuolutio ſine prophetia & nouæ alicuius inſtitutionis religione: Id quàm verùm ſit, luce meridiana clarius eſt. Cæterùm initium malorum inſtat. Nam cruces dictæ in veſtimentis hominum, grauem oſtenderunt iam, & longè grauiorem effectum oſtendent. Calamitatibus refertiſsimum quod & in Epiſtola ad Romanum Antichriſtum, & in chorea Monachorum ſatis dilucidè interpretati ſumus. Certè ni-*

tè nihil aliud eſt illud Abbatis: Iure citatus, locum dabis neſcienti, maior poſt fata reſurges mihi in tertio niſi licet nebula tegas: quam quod in Epiſtola ad Antichriſtum prædiximus: Cede maiori & meliori te, quia dominus tranſtulit regnum tuum in Orientem, vbi eſt commotio ignis deuorans vniuerſa. Ideò lugeat Occidens: erit enim tribulatio, qualis non fuit ab initio vſque modo: niſi enim .y. reducatur Deo miniſtrante, ad algos, dicit Abbas, erit perditio multorũ. Hic enim eſt cõſiliarius mortis, cũ quo occidenti æterna tribulatio habẽda eſt. Huc quoq; quadrat illud, in epiſtola eadẽ. I. genus nequitiæ, catulos paſcens, quod in quinq; ſceptra Romã diuidit: cõturbat nomina & 36. annis miſerrimè ambulat. Primus filius ferè habens quinq; filios, à figuris medi⁹ eſt. ærea aũt ciuitas barbaros in ſe recipit. Porrò vidẽs Vrſam matrẽ Canũ, miſerabiliter luget in altitudine Cœli. Multos decipiet miſer ſub aliena pelle manebit immutãs faciẽ. Manifeſtabũtur cogitationes: ſerpens aũt oẽs velociter cõſumet cũ his quos lactat hypocriſis ſua oſtẽdetur, habens faciẽ canis. Hoc vaticinium facilè eſt ſi quatuor Beſtias in Daniele videas & intelligas. Caueat ſibi Aquila nigra ne à dextra Bonifacij cõprimatur et ſiniſtra collum eius ſtranguletur, & tota deplumetur. Gallum enim feriet, & columbæ comminabitur. ſed de ijs plaulò poſt clarius.

De Euentis Monarchiarum.
CAP. XIIII.

DRymus. *Si iſtis annecteretur vaticinium Monarchiarum, exiſtimarẽ haud parũ lucis adferre.* Symbulus. *Id examinare vel propter opus Dei & cognoſcendum & honorandum oporteret meo quidem iuditio.* OLISTVS. *Benè depræhendo ego Deum quatuor Monarchijs Mundum retineri voluiſſe, vt politia, iuſtitia & vindicta inter homines conſeruarentur. Eam ob rẽ multa paſsim de his Monarchijs in ſcripturis ſacris*

prodita

prodita ſunt. Danieli propoſuit Deus has Monarchias ſub imagine viri grandis, cuius caput aureum: pectus argenteũ: venter & femora ænea: tibiæ ſeu crura ferrea: pedes partim fictiles, partim etiam ferrei erant, Ac vt innoteſcat nobis mundi conſummatio, adiectum eſt, quo pactò reſectus lapis abſque manibus percuſſerit imaginem, & pedes eius tam ferreos quã fictiles comminuerit. Hãc viſionẽ ipſemet interpretatur Propheta de quatuor Monarchijs. Aureũ enim caput Aſſyriorũ Monarchiam exponit: Argenteũ pectus Perſarũ regnum: Ventrẽ æneum Græcorum Imperiũ: Ferrea crura Romanorũ regnum: ferrei & fictiles pedes præſentẽ Romani Imperij ſtatum adumbrant, veluti multò anguſtius & infirmius q̃ olim fuerit. Petra Chriſtũ ſignificat, qui conterat pedes Viri, vt corruat ipſe, ac ita mũdus ceſſet. Pari ratione quatuor animalib. figurãtur hæc regna, Danieli paulò poſt oſtẽſis. Leo enim Aſſyriorũ robur ſignificat: vrſus Perſarũ Imperium: Pardus Alexandrũ. Quarto animali Romani ſignificantur, & quod ꝑter Romanos exoriturũ, vt potè Machometicũ crudelitate refertiſſimũ. Ita patet diuinitꝰ hãc temporũ diſtinctionem datã eſſe, vt cognitis totius mũdi hiſtorijs intelligamꝰ proximè adeſſe cõſummationis horã. Et ſiquidẽ manifeſtè apparet elapſas eſſe fermè omnes Monarchias nosque in vltima & circa finem nouiſſimæ huius Monarchiæ verſari: nam & Babylonicum Regnum, & Perſicum, & Macedonicum: quin & Romanum ferè occidit: Vtique omnes prophetiæ, omnia Vaticinia quæ nondum ſunt adimpleta iam immineant oportet. Et vt clarius qđ volo exprimã: Daniel reuera de hiſce temporib. vaticinatꝰ eſt: fuit enim Daniel ſub Nabuchodonoſor, q ſub imperio Gabrielis ſpiritu Lunæ regnabat. Ideò quoq; in ſua prophetia Gabrielis viſiones declarantis, ſæpius meminit, & Michaelis, quẽ vnũ ex primis principibus veniſſe vt ſibi auxiliaretur expreſſè teſtatur. Eò quòd Daniel ſub vtriuſque regimine fuerit, ſub illius fine, & ſub huius

prin

principio: ijs ita intellectis perfacilè eſt futuræ ſeriei prophetiam in ueſtigare. Quæ partim per quartum regnum à propheta deſcribi tur, partim per quartam beſtiam, Et hæc quarta Monarchia dili- gentiùs quàm reliquæ exponitur, eò quòd ſub illa Chriſtus in car- nem eſſet venturus. De hoc dicitur quòd tãquam ferrum omnia ſit domiturum: futurumq́ue ſit vt in ſe ſcindatur, neque vllus ſangui- nis aut affinitatis habeatur reſpectus, grauiſsimis cladibus obruē- dum: in ſua tamen fragilitate diu perſeueraturum. Id patet ſi tem pora à Conſtantino & Carolo Magno hucuſq; diligenter conſidera uerimus: quomodo præſertim Iulij & Auguſti temporibus, ne iura quidem propinquitatis quicquam obſtiterint quò minus ſciſſum fue rit. Hæc concuſſio etiamnum regnat: hoc bellum in hanc vſque ho ram durat: hic tyrannus hucuſque ſæuit, & vnitatem Eccleſiæ cru deliter ſcindit & diſpergit. At ſuſcitauit ſibi Deus-Regnum, non armis aut vi bellica: non theſauris, neque inſidijs, ſed virtute diuina, interibat tunc gloria mundi, & deſinebat in lutum, vbi re- gnum aderat, quod in ſeculum non corrumpetur, quantumlibet por tæ inferi conentur illud euertere. Lapis enim abſque manibus ſe- ctus, lapis, inquam, angularis, repentè in iuditio apparebit, de mon te cœleſti: & comminuet atque rediget omnia in nihilum, vt ipſe ſolus ſit omnia in omnibus. Hæc quoque poſtrema Monarchia nō ſine cauſa quartæ Beſtiæ aſsimilatur: ſiquidem cæteris magis ſæ- uijt: præſertim ſub Iulio, Tiberio, Nerone & ſimilibus tyrannis. Huic Regno non eſt aliud niſi Chriſti ſucceſſurum. Huius beſtiæ cornua decem, totidem reges ſunt, iuxta angeli interpretationem quæ impetant populum Dei. Porrò Regnum Antichriſti & Sa- tanicum per cornu paruum accipiēdum eſt, quod inter Chriſtianos à domeſtico hoſte exile initium ſumpſit: ſed paulatim in magnam creuit potentiam: id quod in Mahumete & peruerſis Chriſtianæ religionis antiſtitibus videre licet. Iſtius beſtiæ cornu paruū, ocu- los habe-

los habere ſcriptura commemorat, hoc eſt, antichriſtianorum fictam & ſimulatam religionem & ſanctitatem, quæ omnibus in confeſſo eſt. Os enim habent blaſphemum, & quod loquitur grandia. Quæ cùm Deus diu ferre non poſſit, apparat iudicium, vt cuique pro ſuis meritis retribuat: ſed antequā id fiat, ſublati throni, & ſubuerſæ ſedes omnium regnorum eſſe debent: quibus regnum Chriſti ſuccedat. Reliquum igitur eſt, vt de iſta ſubuerſione veluti ſcopo propoſitum continuemus. Quid ergò dicemus? quòd pax & tranquillitas expectanda ſit? quod iam figura Romani Imperij præterierit? Sanè iam inſtat, imò extat tempus omnis calamitatis, diſſidij, tyrannidis, & horribilis afflictionis. Non abs re, fortior eſt hæc Monarchia reliquis, vt ſæuiat, & omne venenum in Eccleſiam Dei effundat: neq; fruſtrà ſcriptæ ſunt plagæ in libro Apocalypſeos: Oportet vtique vt omnia adimpleantur, & præcedant eum, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & reddere cuilibet ſecundum opera eius. Grauis vox, at grauior longè & amarulentior delictorum pœna. Tempus enim adeſt, vt Dominus patientiam et longanimitatem ſuam grauitate pœnæ compenſet. Quare diligenter aduertamus, quæ & quanta ira Dei ſit, quam effundet in nos, quæ viuos deuorabit nos: niſi conuerſi fuerimus ad eum, vt ſaluemur. Nō eſt qui nos de manu Domini eripiat, quòd vbi ſemel appræhenderit nos Dominus, nulla eſt amplius ſalus, nulla redemptio: ſed terribile iudicium & ignis æmulatio: quæ conſumptura eſt aduerſarios. Iudicabit enim Dominus populum ſuū. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.

De futurorum decem ſeriebus, CAP. XV.

DRymus. *Nonne certi quippiam inde ſtatuere poſſumus?* Symbulus. *Non dubito.* OLISTVS. *Exa-*

minabimus, & intelligemus, quid nam poſtrema hæc tempora ſecum noui adferant. Ecce primò imminet toti Chriſtianitati clades immenſa, idq́ꝫ ex reliquijs Martis: bella, prælia, Regum & gentium, variæq́ mutationes regnorum et potiſsimum imperij. Auſtralis regio ſuccumbet, & longè maius excidium Troiano erit, ſanguinis vndis refertiſsimum, deſertum, & igni conſumptum, continuis bellis ſubiectum. Tam intenſus furor exorietur, vt nulla humilitate placari, nullisq́ precibus poſsit. Ruinā tam ciuibus, quàm ciuitatibus: tam magnatibus, quàm nobilibus minatur: agri nequaquam coli, minus vineæ poterunt. Hinc pullulabit fames, peſtis, et infinitus numerus malorum: fraude & confuſione plena erunt omnia. Secundò clerus ſubuertetur, & fame ferè ſuccumbet. Monaſteria diruentur, & in extremam paupertatem redigentur, nō reſtabit clero locus vbi tutò conſiſtat: Purpura, Domaſco, Raſo & ſimilibus, quæ ad amictum exultum ac exquiſitum attinent, nequaquam veſtietur. Sedes Romani ſcorti deſtruetur. Curia, cleri faſtus & pompa ludibrio expoſita diffugiet, & vix ei reſiduum erit quo tegatur. Malis tandem ingraueſcentibus vermis conſcientiæ non morietur: imò verò fornicationis, auaritiæ, ſuperbiæ, et infinitorum malorum teſtimonium feret. Ita fiet, vt non parum territus, poſt longam ſatis perſecutionem ad ſe ipſum redeat: ipſeq́ꝫ velit, nolit, ſuæ nequitiæ arbiter exiſtat, atque fateatur iuſtam pœnam delictorum ſe iuſtè perferre. Tum demum clerus reformabitur & in priſtinum ſtatum, hoc eſt, primitiuæ Eccleſiæ, ſine labe & macula, ſemota omni pompa, et introituum magnitudine, reſtituetur. Tertiò ſectæ naſcentur, & ritus nouus inde ſequetur, contaminabitur domus, atrium interfectis implebitur, furor Domini ſuper vniuerſum populum effundetur, iniquitas domus augebitur, terra ſanguinibus implebitur, & ciuitas replebitur peruerſo, lingua prophetarum & populos & vrbes terrebit: Multitu-

titudine peregrinorum Europa abundabit. Quartò Vermiculi exigui aut nullius roboris, tantam virtutem conſequentur, vt etiam Leones & Dracones facilè ſuperabunt: veluti certiſsima ſigna anxietatis, tribulationis, & perſecutionis, quæ Principibus & nobilibus oborietur: tot denique & tam diuerſis fallacijs & proditionibus abundabunt, vt nulla fidei ratio locum inueniat: neque ſit aliquis quantumuis propinquus, & ſummo vinculo coniunctus, cui tutò vel minimum ſecretorum committi poſsit, adeò fides nuſquam tuta eſt futura. Quintò Machomet per omnes partes diffundetur, & Chriſtianos magna tyrannide infeſtabit. Regna, Prouincias, ciuitatesq́ue deuaſtabit, & populum captiuum abducet, præſertim Italiam & reſiduum Hungariæ, magnam quoque partem Germaniæ. Sextò præter peſtem multæ tempeſtates, & terræ motus exorientur, magna cœleſtibus inſita ſigna videbuntur, aquæ in multis ciuitatibus, perinde ac diluuium exorientur, per diuerſa loca populi diſſenſio fiet, potiſsimum in Italia: & Gallia extinguetur. Charitas prorſus & funditus eradicabitur. Patres comedent filios, & filij patres ſuos: tertia pars morietur peſte, conſummenturq́ue fame: tertia pars per circuitum in gladium cadent, & tertia pars ſpargentur in omnem ventum. Beſtiæ malæ venient quæ deuorabunt eos: ſed & ſanguis per eos tranſibit. Septimò Germanicus furor ſectam fabricabitur, & proprias effundere ſanguinis vndas gaudebit: naufragia varia naues in æquore patientur. Validis vndis agri implebuntur. Agricolarum ſedulus labor fruſtrabitur, Ventorumq́ue rabies totam flumine terram vaſtabit. Excelſa diſsipabuntur, Cadauera Chriſtianorum tradentur Idolis, Oſſa eorum per circuitum ſpargentur: qui longè abſuerit, peſte morietur, & qui propè, in gladium cadet: Qui autem relictus fuerit & obſeſſus, fame morietur, & furor Domini complebitur. Octauò Rex

 nouus

nouus per omnem Chriſtianitatem ab oriente ad occidentem vſq; fulminabit, & ad maximam inopiam atq; tribulationem inhabitantes terram rediget, nil intactũ & intentatum relinquet, nemo ei reſiſtere, nulla propugnacula quantumuis marmoreis & quadratis lapidibus extructa, contrà niti poterunt, deuorabit omnia, & funditus delebit. Nonò ventura tempora peiora prioribus inſtant: Pſeudoprophetæ enim multis miraculis & ſignis clarebunt. Satan omnem lapidem mouebit, vt pios fallat: At excitabit Dominus organa, quibus mediantibus malignitas hæc inhibeatur, in virtute Domini, & digito Dei altiſsimi Sabaoth. Surgent autem duo viri, quos nulla vis obruere poterit, hi reſtaurabunt verum puri Dei verbi cultum. Decimò quidam imperator, cui vniuerſus mundus morem geret, cuius poteſtas extendet ſe à minimo ad maximum vſque, cuius virtus omnibus innoteſcet, omnium amor erga eum ardentiſsimus eſt futurus exorietur: Diadema capiti ſuo nunquam apponet, Vnitatem Eccleſiæ celebrabit, Concordia, pax, & tranquillitas maxima erit: arma periculoſa auferentur omnia, Machometiſtæ conuertentur ad Chriſtum: ſancta item terra vera religione dotata recuperabitur.

De quintæ conditionis euentis, & ænigmatico Mirandulani Principis ſcrupo,

CAP. XVI.

DRymus. *Horrenda audiuimus.* Symbulus. *vtiq; tremenda.* OLISTVS. *Sanè non conſummabitur reuolutio hæc tertia Martis, ne principium quidem Lunæ inchoabitur, quin omnia adimpleantur. Nam Mars ex more omnem conceptum transfundit in Lunam. Nota ſiquidem eſt Samaëlis virtus, & quid Gabrieli tribuat, quod vel luſtrum luſtro collatum*

latum ſatis maturè oſtendet. Perpendat quiſpiam res in quinas conditiones diſtributas, & nulla difficultate quàm vera ſunt quæ dicimus, & per omnia conſentiant naturæ curſui depræhēdet: numeret elementa, elementata, animas, cœleſtia corpora, & ſupercœleſtia: Coniungat genera tam generaliſſima quàm ſpecialia: ſpecies tam ſpecialiſſimas quàm ſubalternas, indiuidua, eorumq́ materiam vnde conſtant, & formam ſimulatq́ proportiones: Poſtremò contractiones, quæ differentijs, proprietatibus, & accidentijs conſtant. Huc ſpectat ænigmaticus ille Scrupus à Mirandulano Comite inter nonningentas concluſiones ſuas et à nobis inter Myſticæ philoſophiæ Theſes propoſitus: Qui ſciuerit quid ſit denarius in Arithmetica formali, et cognouerit naturā primi numeri ſphærici, ſciet ſecretum quinquaginta portarum intelligentiæ, & magni Iobelei, & milleſimæ generationis, & regnum omnium ſeculorum. Vbi enim vis & natura intelligentiarum fuerit intellecta, quid obſtabit, quò minus ſeptem ſpirituum curſum & effectū cognoſcamus? vltrò deinde quod retulimus ſe offeret. Ne verò delicatulas aures, ad res grauiores & magis arduas tardas offendere videar, vnde meri calumniatores naſcuntur: quæ enim non intelligunt, nō modo ea, verùm etiam ſcriptorem abſq; vlla præmeditatione admodum præcipitanter damnant: quid quodlibet eorū ſit quæ in præſenti ænigmate continentur, dicere inſtitui. Denarius itaq; in Arithmetica formali nihil aliud eſt quàm proportio dupla, primi numeri ſphærici per decem multiplicati, in ſe multiplicata. Primus aūt numerus ſphæricus eſt quinarius, & velut centrum circuli, à quo ſi ducatur linea, & diameter à minimo ad maximum tranſeat: videlicet ſeptem et tria, denarium præciſè conſtituunt: diuiſæ deinde æqualiter quinario diſtant. Hoc numero ſphærico multiplicato per decem, in promptu erunt quinquaginta portæ intelligentiarum, ſeu anni Iobelei, cuius proportio dupla reuera

 eſt

eſt formalitas arithmetica: qua in ſe multiplicata milleſimam generationem procreabit, & hac multiplicata, producet infinitum, quod eſt regnum omnium ſeculorum, ab Hebræis עבשם *nominatum: quod Capnion nil aliud quàm deitatem ſine indumento, hoc eſt, lumine, interpretatur, Siquidem cœlum ſeu mundus intelligibilis inde promanat: quem Deus amictus lumine ſicut veſtimento produxit. Cœlum enim, Eliazer inquiente,* ביאור לברשו לחח, *id eſt, de lumine veſtimenti ſui ſumpſit. Hic mundus reuera Idæarũ, angelorum, & felicium animorum eſt, quem Caſtilienſis lumẽ veſtimenti eius. Sabbathum ſabbatorum. Iobeleum ſuperius & milleſimam generationem appellat. Hinc ſeptem illi ſpiritus, orbes poſt Deum mouentes oriuntur, ac omnem virtutem ſortiuntur, quam in hæc inferiora transfundunt, veluti lumẽ de lumine, ideoq; cum veſtimenti ſui lumine creauit Deus mundum intelligibilem, ſpirituum ſeparatorum & inuiſibilium. Hoc lumen eſt prima ianua intelligentiarum: non* תחיית, *id eſt, viuificatio vt quidam opinantur: ſed* יהוה *Dei nimirum eſſentia, hoc ſymbolo tetragrammato expreſſa, mundus videlicet incomparabilis, nulla comprehenſibilis proportione. Hinc eſt vt hactenus in tranſlatione initij Geneſeos* ברחשית *plurimi errauerint: quòd ſi quis diligentius intueatur, ſapientiam Dei ſignificabit: qua de re ſub finem Theſium noſtrarum plura diximus.*

PAV-

PAVLI PRINCIPIS DE LA SCALA ET HVN. MARCHIONIS VERONAE, &c. DOMINI CREVTZBVRGI IN PRVSſia. Miſcellaneorum de rerum cauſis & ſucceſsibus, Liber quintus.

De euentis primi Geneſeos diei,

CAPVT I.

DRymus. *Ego non quieſco animo imò ſingula rimor diligenter.* Symbulus. *Atque ego.* OLISTVS. *Sanè firmiora argumenta ad noſtrum propoſitū aliundè haudquaquā commodiùs, quàm ex operibus ſex dierum, vbi omnium intelligentiarum abſolutus numerus continetur, deſumi poſſunt: Operæpreciū eſt, vt in eam harenam deſcendamus, ac quidnam inde eruere liceat experiamur. Exiſtimo autem ibi reconditiſsima myſteria & omnium ætatum indubitatas prophetias contineri, à Moyſe velatas, ne rudi & agreſti populo, vel non intellecta vileſcerent: vel idololatriæ occaſionem præberent. Scimus enim Deum in momento, in ictu oculi, in inſtanti, vt aiunt, omnia condidiſſe, ſicut Eccleſ. expreßè habet: Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul,* ὁ ζῶν εἰς τὸν αἰῶνα ἔκτισεν τὰ πάντα κοινῇ. *Hoc in loco, etſi quidam* κοινῇ *haudquaquam ſimul interpretentur: tamen cùm non videam rationem conſonam qua id dicant, ego ex mente Græcorum, vtiq;* κοινῇ, *idem quod ſimul rectiſsimè verſum, defendo.* κοινῇ *enim Græcis idē ſignificat, quod cōmuniter, ſimul, publicè, generaliter, in ſumma quod vel ipſa ratio omnipotētiæ ipſiusq; creatoris, ſicut et Auguſt. ſenſit, abundè ſatis patefacit: ideq; mos loquēdi Græcis requirit, ſic loqtur*

Xenoph.

Xenoph. κοινῇ σὺν τοῖς φίλοις, *ſimul cũ amicis: Ariſt.* κοινῇ ξυνέβημεν *ſimul conuenimus. Plato in Epiſt.* διοθα ἐμέ σοι κοινῇ πραγματευσάμενον ὀλίγα *noſti me tibi ſimul pauca tractantem, hoc eſt, tecum vnà, tecum ſimul. Miror igitur quid homines ſua illa battologia moliantur, qui vbi multa ſe dicere opinantur, tum reuera nihil dicunt: ſed nihil moror eos qui nihil rectè dictum niſi ipſi emendauerint exiſtimant. Certum enim eſt Deum omnia ſimul creaſſe. Quòd autem opus illud Dei altiſsimi, ſex dierum ſpacio à Moſe diſtinctum tradatur, nihil aliud eſt: vt Decreta veteris Hebraicæ diſciplinæ, itẽ ex iunioribus Gerundinenſis teſtatur, cuius & D. Hieronymus in expoſitione illius Pſal. qui Moſi inſcribitur, meminit: Pico referente: quàm ſex mille annorũ prophetia: ſinguli etenim dies Millenario correſpondent: In eam ſententiam Propheta inquit: Vnus dies apud Deum ſicut mille anni, &c. & primi diei opus reuera eſt primi Millenarij vaticinium: ita ſequentes ex ordine pari ratione, ſicut mox clarius patebit: & vt res ordine perſtringatur. Primi diei prophetiam enarrare primum ſtatuimus.*

De euentis Creaturarum,

CAPVT II.

PRymus. *Primi diei in ſacris Biblijs opera hæc traduntur. In principio creauit Deus cœlum & terram. Terra autem erat informis, & inanis: & tenebræ erant ſuper faciem abyſsi: & Spiritus Dei mouebat ſe ſuper faciem aquarum, Dixitq́; Deus fiat Lux, & facta eſt Lux, & vidit Deus lucem quòd eſſet bona: & diſtinxit Deus inter lucem & inter tenebras, Vocauitq́; Deus lucem diem, & tenebras vocauit noctem: & fuit veſpera, fuitq́; mane dies vnus.* Symbulus. *Verba quidem ſimplicia, ſenſus autem haud dubiè profundiſsimus.* OLISTVS. *Huius diei*

ius diei ſeu millenarij quatuor ſunt ex ordine motores ſecundi, ſeu angeli præſidētes, videlicet quos ſuperius Saturni, Veneris, Iouis, & Mercurij Spiritus expreſſimus. Primus enim vtpotè Oriphiel, hoc eſt claritas Dei, lux & ſplendor (hæc ſiquidem nomina officij non naturæ ſunt) poſtquam omnia eſſent creata, Viſibilem hunc mundum regere, quem Moſes nomine terræ expreſſit, Deo ſic volente, cœpit: ac ea quæ in principio, ſeu in ſapientia ipſa creata ſunt à Deo, quæuè præuiſa & præſcita atque deſtinata mundo ſeu terræ diſtribuere. Potiſſimum autem id muneris commiſſum eſt Oriphieli quòd primò mundo innoteſceret claritas & maieſtas Dei. Nam antequam eſſet creaturarum quicquam, nihil erat niſi Deus, & nomen eius Tetragrammaton יהוה *& ſapientia eius in qua mundus Archetypus, hoc eſt cœlum & conclaue angelorum, iuxta Thargū Hieroſolymitanum, à Deo Tetragrammato, creatum eſt. Ideò loco* בראשית *id eſt in principio habet* בחכמותה *id eſt in ſapientia Quamuis breſchit idem ſignificat ſi rectè expendatur: Patefacit etenim quomodo pater in filio & per filium, principium & finem, ſiue quietem, creauit caput, ignem, & fundamentum magni hominis fœdere bono, ſicut Picus ex huius dictionis reſolutione & compoſitione ſapientiſſimè diſſerit: innuens, Deum in ſapientia quam filium appellabat (filius enim ſapientia patris eſt) & per eam veluti principium & finem (eſt enim vt Ioannes inquit, alpha & ω,) creauiſſe ſubſtantiam magni hominis, id eſt, maioris mundi, ad cuius differentiam &* Μικρόκοσμος *id eſt homo, paruus mundus: quia Mundus magnus homo dicitur. Caput, id eſt, mundum intelligibilem, quia in capite eſt Cerebrum, fons nimirum cognitionis: ignem id eſt mundum Cœleſtem principium vitæ, motus, & caloris, in qua ſol vti cor, quod aliâs & ignis dici poteſt, in pectore dominatur: & fundamentum, id eſt, mundum Elemētarem principium nempe generationis & corruptionis. Creauit ergo hæc fœdere bono, quia in-*

ter ea fœdus pacis & amicitiæ ex naturarum cognitione & mutuo conſenſu, per ſapientiæ Dei legem ſancitum eſt. Cæterũ ne vel hîc defuiſſe videar, ordo, quo Picus in huius dictionis בראשית *breſchit id eſt in principio reſolutione & compoſitione vtitur, talis eſt* אבבבר ראשית שבת בראראש אש שתרבאיש ברית תב *Quod autem hic* תב *pro* טב *ponat. fit primò dictionis & myſterij ergò: deinde proprietatis. Nam Euphoniæ duntaxat gratia, id quod frequẽtiſſimum eſt apud hebræos,* ת *in* ט *elementũ mutatur. Iam ergò cõſideranti & conferenti, manifeſtum eſt, totam hanc orationem ex vnica dictione breſchit promanare & illud idem ſignificare, quod ſupra dictũ eſt. Nam* אב *idem eſt quod pater* בבר *in filio & per filium.* ב*. enim litera vtrumq; ſignificat, per* ראשית *principium* שבת *quietẽ* ברא *creauit* ראש *caput* אש *ignẽ* שת *fundamentũ,* רב *magni* איש *hominis* ברית *fœdere* תב *pro* טוב *bono. Ita in cõfeſſo eſt vel ex prima illa Geneſeos voce, tota Creaturarum ratio: Cuius gubernationi præfectus eſt primum Oriphiel, vt illuceſceret creaturis ſplẽdor & claritas Dei, & intelligerent Lucem Dei altiſſimi, & in ea ambularent. Porrò cùm primi parentis caſum procurauiſſet Satan, & præuaricatus eſſet Adam per Heuam, Lumine illo confeſtim ad tempus deſtituti ſunt, donec veniret tempus adimpletionis, hoc eſt vera lux de lumine, lux Dei & lux gentiũ, propter quã omnis prophetia inſtituta eſt, propter hanc Regius propheta Dauid ad Deum ſic exclamat: Mitte lucem tuam id eſt meſſiham: qui comparatur luci, quia ſcriptum eſt: paraui lucernam Chriſto meo, Et Iſaias ait: Dedi te in fœdus populi in lucem gentium: item Ambulabunt gentes in lumine tuo. Nam ſine hoc lumine videri nihil poteſt. Et Rectè Ariſt. viſionẽ non poſſe fieri niſi cum lumine in libro de anima ſcripſit* ὀυδὲμ ὁρατὸμ ἄνευ φωτὸς *id eſt nihil viſibile ſine luce. Hinc eſt vt dum hac luce deſtitueremur, Patriarchis & Prophetis diuinitus nobis adhibitis, ne fortè in tenebris ambulantes oſ-*

tes offenderemus pedes ad lapidem, regendi traditi ſumus, quibus & ipſis diuina Eloquia habentibus, & ſummi Dei voluntatem ſignificantibus, vbi morem gerere nolebamus, & contra apertum mandatum Dei niteremur: factum tum demum eſt ſicut Apoſtolus I. *ad Rom. inquit, vt traderemur in paßiones, ignominiæ turpitudinem operaremur & mercedem erroris in noſmetipſos reciperemus. Traditi enim in reprobum ſenſum faciebamus ea, quæ nō conuenirent, repleti omni iniquitate, malicia, fornicatione, auaritia, nequitia, inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, obtrectatione, contumelijs, ſuperbia, odio erga Deum, inuentione malorum, inobedientia erga parentes, inſipientia &c. Ideò cùm talia ageremus, digni eramus morte: ſed cùm Dominus nolit mortem peccatoris, quin vt potius conuertatur: varijs ſignis & prophetijs ad pœnitentiā clementißimus ac benignißimus pater nos vltrò per omnē ætatem inuitat: maliciam noſtram multis exemplis caſtigat, omnia agit, vt à prauitate & malignitate nos auocet, & petulantiā coerceat. Et ſiquidem hanc ingratitudinem præſciuit & præuidit, vt rectè poſtea diceret pœnitet me feciße hominem: ideò ſapientibus ſicut & Apoſtolo, concredita ſunt Eloquia Diuina: vt Diuina ira malis, & beneplacitum Cœleſte bonis annunciaretur. Boni in pietatis perſeuerantia confirmarentur: mali verò in prauitate ſua terrerentur. Eam ob rem haud abs re, quinimò magno conſilio & æterno, hæc rerum & temporum vicißitudo ſapientibus Dei detecta erat. Cùm autem iam in ſeneſcente, imò vltima hac ætate verſemur, audite hæc ſex dierum Myſteria, & inde per collationem, quæ noſtris immineāt ceruicibus intelligite.* Drymus. *audiemus patienter.* Symbulus. *Imò attenßimè.*

De Euentis mundi ſenſibilis.

CAP. III.

OLISTVS. *Itaque Oriphiel nihilominus ſuo fungitur officio, & ſuum curſum abſoluit, ac ſingula ordine gubernat & exequitur. Primo inane, quod naturales philoſophi materiam trino dimenſu protenſam, rudem, formarum expertem, idoneam quidem omnibus formis ſuſcipiendis: ſua tamen natura omnibus priuatam notari putant. Hebræi* תהו ובהו *id eſt informe & inane, idem quod græci* ὕλην *vocant. Symbolicè Capnion exiſtimat materiã ſignificari & eam quidem primam* הומר הראשון. *At vbi intellexerimus quid per cœlum, quid itẽ per terrã prophara denotet: tum nulla difficultate primum hoc myſterium vltrò patebit. Complectitur aũt, quicquid eſt in rerũ natura, Cœlo, & terra, cùm dicit:* הארצ בראשית ברא אלהים את השמים ואת *id eſt. In principio creauit Deus cœlum & terram. Quare per cœlum nihil aliud quàm Archetypum: per terram verò Mundum hunc viſibilem, vt paulò ante diximus, ſignificat. Non hanc ſaltem quatuor elementorum confuſionem quam Gerundinẽſis* הבלבל *appellat, verùm etiam quæ hæc aut præcedunt aut conſequuntur, hoc eſt Sphæras octo poſtremas: quoniam huius numeri extrema ſibi terræ appellationem vendicant, qualia ſunt Luna, & cœlum ſtellatum. Illam Ariſtoteles Pythagoricos imitatus: qui eam & terram cœleſtem & terreſtre cœlum appellat, terræ ſimilem dixit. Ratio idem docet: Nam Luna inter ſydera, ſicut terra inter elemẽta, opaciſſima eſt, deinde octaua & inerratica pari ratione, tum quòd ordo computationis ſic poſtulet: tum quòd illi ſtellæ infixæ ſint, perinde ac animalia, arbores, & ſimilia terræ, & noſtri viſuri radij vlterius non pertingant, ſed ibi quodammodo finiantur & reciprocentur, opaca, & quæ nobis non tranſpareat, ſit. Si enim proceſ-*

proceſſeris ordine à Luna, ignem in ſole ratione manifeſtiſſima de præhendes: ſi verò ab inerratica ordiaris, in Marte ignẽ collocabis. Cùm igitur vtrinque vniuerſa hæc ſeries binis terris concludatur: vtique Symbolicè non ineptè per terram, octo hos orbes figuratos à Moſe depræhendimus.

De euentis mundi Archetypi.

CAPVT IIII.

DRymus. *At cœlum Empyreum cui præſidet?* Symbulus. *Exiſtimo nouem corporibus.* OLISTVS. *Rectè nouem ſibi ſubiectis corporibus præſidet: in eo ſunt theſauri lucis, & quicqnid habetur luminis, viſiturque in corporibus quaſi à primo corpore in cætera deriuatur, licet natura hoc cœlum verè corporeum non ſit. idem videtur in Phœnicum Theologia Iulianus Cæſar ſignificaſſe in oratione de ſole, cùm inquit lucem corpoream ab incorporea natura emanare. Meritò hoc cœlum reliquos quaſi Monados typum generans denarium implet, quod iure in ſacris literis oliuis: reliqui verò lucernis & lampadi comparantur: ſicut Zacharias per aureum candelabrum Septẽ lucernis diſtinctum, in cuius capite lampas, & ſuper lampadem oliuæ duæ ſunt, figurauit: vtpote ſeptem planetas ſuper eos videlicet octauã Sphæram, & duas Superiores ſphæras, vnde in inferiores oleum, hoc eſt, lux defluat. Iam clarum & manifeſtum, quid propheta per cœlum, quid item per terrã ſignificauerit, cùm ſit vſqueadeò obſcurum, quid vtrũque, & tertium vtpote inane ſibi adiectũ portendat: imò perfacilimum, ſi quæ dicta ſunt expendantur haudquaquam eſſe poterit. Ita enim Deus aptiſſimo ordine & certiſſimo ſingula etiam minima quæque, dum ſuperiora ab inferioribus inenarrabili ſuo ab æterno cœpto conſilio ſepararet: & tamen om-*

nia mirando vinculo & vnanimi conſenſu atque nexu inſueto iun geret complexus eſt, vt nihil vnquam perfectius, & ne ea quidem perfectio humana ratione aſſequi poſſit: quin potius certitudo vera & ordinatio firma atque inconcuſſa: à qua, quicquid indubitati habemus, dependet, ſit oportet: & quæ humanarum actionum vel ſola autoramentum quamuis non coactum exiſtat. Hunc ordinem cœlo & terra vt dictum eſt, legiſlator propriiſſimè, quòd Empyreum illud puriſſimo lumine conſtet, & omnibus inferioribus communicet, expreſſit: innuere volens non modò lumen inde terræ quæ inanis & tenebroſa eſſet, verumetiam motum & influentiam, veluti potiſſimas conſeruatrices vitæ partes promanare. Condito cœlo & terra propheta cœlorum deſcriptionem non niſi ſub velamento cōpoſitionis et reſolutions, vt paulò antè meminimus, reconditam, ne tam alta tamque profunda myſteria apud rudem & indoctam plebem vileſcerent, liquit: Terræ porrò vel ſolius naturam prolixè ſatis, cùm inanis, vacui, abyſſi, & ſimilium meminit, vt innoteſcant inhabitantibus terram mirabilia Dei, & per hæc viſibilia, ad inuiſibilium amorem rapiantur, declarare videtur: potiſſimum autem, quæ cuiuis ætati immineant, prophetico more ſignificare. Atque hic eſt præcipuus noſtri inſtituti finis, quo ex collatione temporū, liceat nouiſſimorū dierum ſucceſſus venari: & non aſtris ſaltem, quibus ſapiens dominatur, ſed diuinis quoque eloquiis irrefragabilibus fidem facere: cœlum ſiquidem & terra tranſibunt: verba autem Domini in æternum perſeuerabunt: veluti certiſſima indicia iræ Dei: quam delictis noſtris, non obtemperando mandatis eius, prouocauimus.

De po-

De populi primæ ætatis vaticinio.

CAP. V.

DRymus. *Mirum eſt, quod hæc tã perſpicuè in Moſe depræhendantur,* Symbulus. *Non miraberis ſi expendas eum Dei digito ſingula complexum eſſe.* OLIST. *Vlterius quomodo rudem illum populum depingat aduertite. Inquit enim terram informem & inanem, ſeu vt Onkelos Caldæus, ſqualidam, deſolatam, & vacuam vertit, quid aliud quàm primæ ætatis populum rudem, vtpote rudi maſſa ortum, ſignificauit? nonne eius maſſæ fructu primus homo, boni & mali expers, verum lumen inſufflati Spiraculi neglexit? an non pro lumine perfecto intẽſiſſimas tenebras, non modò ſuper ſeſe, verumetiam ſuper totam poſteritatem, quouſque veniret qui venturus erat, induxit? nónne vacuos & inanes ſuo caſu miſerabili ſqualidos & deſolatos, donec exorietur vera lux de lumine, quæ nos ab eo piaculo, morte, & inferno liberaret: quæ nos ſuo ſplendore infinito & æterno afficeret, reddidit? reuera homines eius ætatis, Tritemius meritò rudes, et agreſtes more beſtiarum in ſolitudine commorantes tenebroſo illo corpore indutos nuncupauit. Non tam quòd inanes, lucis nondum propagatæ, reliquarumq; virtutum informes ſua culpa, et vetuſtiſſimi ſerpentis inſtinctu facti: quàm quòd vacui, hoc eſt, continuæ tranſmutationi et priuationi dediti eſſent. Nã paulatim ita à vero Deo deflectere, et voluptatib. carnis peramplius indulgere, ac quicquid ad Venerẽ attineret, colere cœperãt, vt in eis hæc vitæ laſciuia ad Diluuiũ vſque argumentũ prauitatis ſuæ ſumens: in commutatione naturalis ſimplicitatis, obliuione Dei, fornicatione, illicitis ludis et cantilenis, et id genus alijs durauerit. Atq; hoc vacuum per prophetam notatum, ſub Anaēlis gubernatione impletum eſt, cui etiam abyſſus, aquarũ profunditas, ipſe nimirum appetitus naturalis et ſenſi-*

& ſenſibilis acceßit quem apoſtolus & animalem, qui prorſus quæ ſpiritus ſunt appræhendere nō poteſt, appellare ſolet: ſuper quem tenebræ omnem veritatem, quo minùs cerneretur, non ſecus, ac ſuper materiam trino dimenſu in altißimas profunditates extēſam: priuatio nempe principium apud Peripateticos celeberrimum, hoc eſt ipſa inchoatio formæ, occupabant. Facies enim abyßi, ipſa videlicet altitudo & mira orbium profunditas, quid aliud eſt, quā intellectualis proprietas, profunda quæque penetrans & perſcrutans? Super hanc, vt doctißimè Mirandulanus ille Comes in Heptaplo habet, tenebræ ſunt, donec ſpiritualium notionū, quibus omnia videt & intuetur, radijs non illuſtratur, hoc eſt, quouſque lux illa vniuerſo mundo non affulſerit, intellectus noſter denſißimis tenebris immerſus eſſe debet: qui meritò terræ, ſpinas & tribulos proferēti, veluti reprobæ & màledictæ proximæ, cuius finis in adustione, aßimilatur. Quid enim terra aliud eſt, quàm hoc corpus terrenum inane vita, vacuum ſenſu, ſuperq́ue ipſum tenebræ, nempe mors, torpor, vt idem teſtatur, inefficatia, immobilitas, & inſenſatio? Hoc, inquam, corpus terrenum, ipſamet non modò terra, quæ quidem ratione actus inanis: ratione verò lucis vacua: ſed facies quoque abyßi vtpote tenebrarum receptaculum dicitur. Drymus. Quid obſecro clarius dici & manifeſtius de priori ætate, nēpe Oriphielis curſu, poterat? quiſue certius infallibili hoc Dei verbo euentum hominum præcedere? Symbulus. Sanè nihil.

De euentis quatuor Elementarium ſignaculorum.

CAPVT VI.

OLISTVS. Sed videamus vlterius quid ſub prima Anaëlis gubernatione fieri debuiſſe innuat: Et ſpiritus, inquit, Dei mouebat ſe ſuper faciem aquarum. Id vbi ſuperiori-

rioribus quiſpiam rectè coniunxerit, quatuor elementorum ſignacula, veluti portas quatuor deprehendet. Purum namq; elementum ignis apud Moyſen Amaimon, ſecundo perplexorũ. Caput 26. tenebræ nuncupatur. Spiritus, aër, aqua, humor Elementaris, & quæ præceſſit terra. Quemadmodũ hæc generationem producunt: ita Spiritus ſanctus calore ſuo confuſa corpora cœli & terræ calefacit & animat, aquas item, fluxas quaſi diſpoſitiones materiæ et reuera cauſa agens, & organum diuinæ artis exiſtens, mouet. Vtq; credamus inter octauam ſphærã & ſedes Empyreas orbem intercedentem: à Propheta per aquas figuratum eſt cœlum, quod conſonè à iunioribus, quibus et Picus aſſentitur, Chryſtallinum eſt nuncupatum. Super hunc הרחפ מ, id eſt, ferebatur, aut vt Syrus Effren tranſtulit huic ſpiritus Domini, quem Iacobus patrem luminum appellat, incubabat, id eſt, ſicut Picus interpretatur proximè adhærens ſpiritalis Olympus, ſedes ſpirituum Domini, fouebat eum ſua luce viuifica, quàm rectè nomine amoris exprimere poſſumus: quòd ſpiritum ſcientiæ non ita propriè Domini ſpiritum (ſcientia enim quandoq; à Deo: Amor verò ad Deum ſemper ducit:) dicendum exiſtimemus. Hoc amore Dominus redemptionem generis humani: & noſtri intellectus illuſtrationem, vt aliquando conuertamur ad Deum, & ſaluet nos ſignificauit, ipſe enim nos dilexit, antequam ipſum diligeremus, hoc eſt, ante iacta mundi fundamenta, vt Apoſtolus docet, & mentem noſtram ad Deum conuertens, totum opus opifici charitatis nexu adiungit. Patris poteſtate omnia producit: ſuamq; omnibus vnitatem largitur, atq; filij ſapientia ritè omnia diſponens: omnia inuicẽ vnit & copulat, quæ omninò à commertio corporis cùm ſit diuerſa: haud aliter tamen iungi corporibus atq; ars in mente architecti, cemento, lignis, & lapidibus intelligitur. Itaq; natura humana ſiquidẽ è veſtigio peccauit, cuius facies ipſa nimirum ratio peccati tenebris infecta, &

ſordibus notæ originalis obducta fuit: meritò inanis, & originali iuſtitia vacua erat: tamē ſpiritu Domini, & lumine diuini vultus, quòd ſignatum eſt ſuper nos & diuinæ prouidentiæ cura, humanū genus nequaquam deſtitutum erat: quin potius ſpiritus ille, qui intercedit pro nobis, gemitibus inenarrabilibus, aquas fouebat: & aſsiduè quo pacto illas per antiquum ſerpentem infectas purificaret, cogitabat.

De euentis humani vinculi,
CAPVT VII.

DRymus. *Nonne ideò dixit Deus fiat lux: & facta eſt lux?* Symbulus. *Sed de qua luce hic ſermo?* OLISTVS. *Hæc lux non Solis aut ſtellarum quæ nondum eſſent: ſed quæ & Solem & ſtellas præceſsit: rectè ἀπὸ τῆς λύκης dicta, quòd λύκην veteres Græci, quemadmodum Hebræi אור primam lucem, quæ præcedit Solis exortum appellarint, intelligitur. Hæc ipſa lux reuera forma ſubſtantialis: ſpecies & decor tenebrarum, ex vi cauſæ efficientis ſeu iuſſu Dei artificis orta, veluti exquiſitiſsimus formæ ſplendor dicitur, qui vel propterea nobis inuiſibilis eſt, quòd corpulentia ſolidiore non terminetur, & quòd faciem ſpecierum intelligibilium obtineat, ob id rectius vinculum: quo inter cœleſtem animi ſubſtantiam, & terrenum corpus ad tam diſtantes naturas inuicem copulandas opus fuit, nuncupatus: qui eam ob cauſam & tenue, atq; ſpiritale corpuſculum: etiam à Medicis & Philoſophis, veluti diuinior natura elementis, & cœleſtium proportio vocitatur. Hoc ipſum vinculum ſubſtantiam, Iudæi Philoſophi, item Abunaſar & Alpharabius in libro de principijs, ſpiritum Domini appellant: vt intelligamus ſpiritum Domini, etiā antequàm homo ex animo & corpore, vinculo lucis conſtitutus eſſet, intellectui noſtro adfuiſſe: veluti certiſsimum*

mum argumentum, quo deſtruitur eorum opinio, qui animam ex traduce putant. Non enim ſine cauſa Propheta delationis ſpiritus ſuper aquas ante ortũ lucis meminit: & falſa vel hinc Moſis Aegyptij, & Abubacher Arabis ſententia, Pico & Orthodoxis viris aſſentientibus, confutatur atque exploditur. Hic ſiquidem ſpiritus à Iacobo ideò & pater luminum, à quo mox ſuper aquas, id eſt, ſuper puras & angelicas mentes lux intelligibilium formarum exoritur, eamq́; voluptas maxima, veriſſima & permanentiſſima conſequitur. Nam per ſolam lucem, ſicut per cœlũ, ſubſtantiæ ſpiritali iungimur. Itaq; ſi rectius negotiũ expenderimus, quid aliud eſt, cùm iubet oriri lucem, quàm veram Dei cognitionẽ, poſt diu ſatis exercitatam malitiã, noſtris mentibus, gubernante Zachariele, infundi? an fruſtrà ſpiritus Domini mouebatur ſuper aquas? operatus ſanè eſt nõ incaſſum: quando ſuo amore intellectum noſtrum illuſtraret: nos ſemitas ſuas cognoſcere, ac in eis ambulare, iuſtitiam, pietatem, religionem, fidem & futuram vitam intelligere doceret. Sub hoc vaticinio vixit Hænoch vir iuſtus et pius in ſumma religione, fide, & patientia, prædicans verbo, et oſtendens exemplo, aliam eſſe vitam, quàm hæc ſit. Et licet humanum genus damnatum fuerit, propter peccatũ Adæ ad mortem: in hoc tamen ſancto viro argumentũ nobis exhibetur à Deo futuræ reſurrectionis & immortalitatis: quodq́; Deus poſt hanc vitã aliam præparauerit ſuis ſanctis, in qua cum ipſo viuant. Neq; huc vel ratione cõputationis habita, tempora Abrahæ, minus legis naturæ abſolutio, et de diuina lege meditatio, vt quidam volunt quadrare poſſunt: licet transferri ab Henoch hæc lux ad Abrahã: ſicut ad diſcipulos Domini, ꝗ ab eo omnes lux mundi ſunt appellati, poteſt. Primus.n. Hænoch poſt præuaricationem in ſumma religione vixit, verbo & exemplo commonefaciens proximos de vita futura: vt meritò lux ſit cognominatus. Hænoch non minus à tenebris

 quoq;

quoq; diſtinctus fuit, ſicut textus habet: Et diſtinxit Deus inter lucem & tenebras: Vidit item Deus lucem quòd eſſet bona. Hinc manifeſtum eſt tenebras eſſe malas, cùm eadem ſit ratio contrariorum: neque ſcriptum eſt, quòd creauerit tenebras, ſed erat, inquit, terra informis & inanis, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Hæc diſtinctio manifeſta eſt in Hænoch, qui et cum Deo ambulauit: vtpote vir iuſtus, raptus eſt, ne malicia, quæ ſuo tempore ſummopere vigebat, intellectum eius mutaret, & vt ſcriptura habet לקח אתו אלהים i. tulit eum Dominus. Hinc eſt vt Aben Ezra & Salo: ante tempus ſuum, eum per montem exceſſiſſe putarint, Ita etiamnum Deus malos à bonis ſeparat: zizaniam à tritico, & illam in ignem, hanc in horreum mittit. Illos tenebrarum nomine: hos lucis intelligit. Dicit porrò Propheta: Vocauitq; Deus lucem diem: quæ maximè confert ad cognoſcendum quod, quid, eſt, & tenebras vocauit noctem: occultas nimirum proprietates, & cuius cuſtodia in nocte, pro nihilo habetur. Pſal. 89. ſic loquitur Dominus. 9. Ioan. Me oportet operari opera eius: qui miſit me, donec dies eſt: Venit nox quando nemo poteſt operari, quàm diu ſum in mundo, lux ſum mũdi. Idem Apoſt. ſatis clarè patefacit 1. Theſſ. 5. Vos autem fratres non eſtis in tenebris, vt vos dies illa, tanquam fur compræhendat: omnes enim vos filij lucis eſtis, & filij diei: non ſumus noctis neq; tenebrarum. Quo fit, vt cùm Apoſtolus imò Dominus ipſemet hunc locum explicet, non eſt opus vlteriori declaratione, niſi accommodatione, quòd vaticinium tempore Hænoch cœperit, & in Noach finierit. Segregatus enim eſt Hænoch, vtpote dies illa à nocte, id eſt, à malis poſt carnis illecebras diſcurrentibus. Tum demũ veſpera ipſa, videlicet corruptionis via, vtq; pœniteret Dominum feciſſe hominem, facta eſt: quæ per totũ tempus quo Raphaël & Samaël ad principium vſq; primæ gubernationis Gabriëlis durauit, & per diluuium conſumpta eſt: iuxta il-

illud

lud 89.Pſal. Veſpere decidat, induret, & areſcat. Deinde mane exortum, id eſt, via generationis, iuxta eundem Pſal. mane floreat: item repleti ſumus mane miſericordia tua, & propagationis humani generis, in Noach: Totum ſiquidem genus humanum: imò quicquid particeps eſſet vitæ in terris, corruerat, et tandem à Noach, vtpote viro iuſto atq; perfecto in generationibus ſuis: quiq; cũ Deo ambularet rurſus propagatum. Poſtremò dies vnus ſecutus, qui certa ratione licet non dies primus nominatur, ſed vnus: velut compoſitus & in lucem æditus, quia per lucis & ſuperni influxus receptionem, primi & poſteriores ſeu inferiores cœli: ſicut ex intellectu & intelligibili, vtpote magis vno, quàm ex materia & forma fœderantur, At vbi ſequentia cum priorib. collata fuerint, vtpote ſecundus, tertius, quartus, &c. omninò numerus ordinis, et illud vnum primum quoq; eſſe dicendum deprehenditur. Verùm vtcunq; ſit dies ille vnus, Millenarij complementum, ſicut mane et veſpera diei iuxta Pſal. 89. Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna, ſignificat. Iam vaticinium ex operibus primi diei, quid toto illo millenario contigerit, in genere dixiſſe, quibus ſpecialia facilè accommodari poſſunt, ſufficiat. Drymus. *Reſtat vt pari ratione & ſecundum examinemus.* Symbulus. *Ego nil magis cupio equidem.*

De euentis ſecundi Geneſeos diei,

CAPVT VIII.

OLISTVS. *Verba Prophetæ ſic habent: Et dixit Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & faciat diſtinctionem inter aquas et aquas. Et fecit Deus firmamentum, diſtinxitq́; inter aquas, quæ erant ſub firmamento: & inter aquas quæ ſupra firmamentum: factumq́; eſt ita. Et vocauit Deus Firmamentum cœlum, & fuit Veſpera, fuitq́; mane dies ſecundus.*

cundus. Aquarũ nomine omnes formas materiales à Platonicis, generationis nota compræhenſæ: quibus & Salomon aſtipulatur, inquiens: Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem ſtat in æternum, intelligit. Hinc eſt vt Heraclitus ſenſibilium rerum ſubſtantiam mare vocauerit, & Poetæ poſt Saturniam vnitatem, ipſam mundi videlicet intelligibilis vnionem, Ioui, Platoni, & Neptuno adſcripſerint. Sed quæ per aquas ſupra firmamentum ſignificata ſint, paucis oſtendemus: tum ex ordine & reliqua examinabimus. Aquæ igitur ſupra firmamentum, rerum vniuerſalium ſpecies. Iouis nempe cœleſtẽ regionem, cui proportionatur æther, vtpote ſuprema pars aeris, & puriſsimi ignis exprimunt: Deinde ſupremam Hierarchiam, quæ vt Dionyſius habet, ſoli contemplationi vacat, ſuper omnia conſtituta, Deum perenni ſono indeſinenter laudat. Hanc verè in nobis intellectus, quo vel ſolo mediante ſocietas noſtra cum angelis eſt, diuinarum illuminationum radijs maximè peruius, & veluti fons incorruptionis, refert. Poſtremò non præter rationem populus Dei Iſraeliticus, qui ſolus, vt inquit Hieremias, ſigna cœli non timet, ſolus ſtellarum cœliq; autorem ac Dominum & agnoſcit, et agnitum colit, ac veneratur, per aquas ſupercœleſtes, figuratè intelligendus venit. Cæterum quomodo ſupercœleſtes aquæ ſecundi millenarij vaticinium fuerint: non erit adeò difficile, ſi temporum rationes & perſonarum diligentius expenderimus. Antequam enim Adam ex hac vita in alterã commigraret: cunctis diebus vitæ ſuæ prophetiæ ſpiritu clarebat: in pœnitentia ſumma viuebat: & filios quò minus cũ Cayn, eiusq; poſteritate, conſortio fruerentur, aut matrimonio iungerentur, arcebat. Hic poſtquam 930. annos compleuerat: obdormiuit in domino, in Ebron ſepultus, & reliquit ſeminaria veritatis, veras aquas ſupercœleſtes, vnde facilè bonis et pijs futuræ ſalutis cõſolatio adeſſet. Primus aũt horum Seth, gubernante adhuc Ioue,

pro

pro oleo miſericordiæ impetrãdo, Paradiſum adijt: ideoq́ Hebræis idem quod poſitus ſignificat. Hunc ſequitur Enos primus qui ſub angelo Mercurij, Raphaële videlicet, nomen Domini inuocare cœpit. Primus item ſub finẽ eiuſdẽ Hænoch iuſtus placuit Deo, quòd vel ex vi nominis non difficulter conſtat: quoniã propriè idem eſt quod dedicatus, eam ob rẽ, et tulit eũ Dominus. Licet Hænoch ſub Zachariele quoq; fuerit: nõ ſecus tamen q̃ prout à malis diſtinguebatur: hic verò ea ratione qua tulit eũ Dominus. Samaële deinde ſpiritu Martis ſuccedẽte curioſiores facti homines, declinare à veritate cœperant: ac primus Lamech contra naturã et mores bygamiã, adulterium committendo, inſtituit. Ipſe quoq; Cayn quamuis non voluntariè occidit: nã prouectiori ætate & caligantib. oculis, à puero vbi duceretur, falſus ſub ſpecie feræ Cayn ſagitta traiecit, quamobrem & puerũ ad mortem vſq; afflixit. Hunc aiunt poſt mortẽ primi patriarchæ Adã, conatum ad ſe transferre totũ mundi imperiũ: prudentiſſimum itẽ fuiſſe, à quo & res pecuaria, et modulatio inſtrumentorum muſicorũ, & ars fabrilis deſcendit. Quapropter ſub huius Samaëlis gubernatione vtpote anno 1536. à condito mundo incipiunt illi centum & viginti anni, quòd Deus dedit mundo pro tempore reſipiſcentiæ. Gen. 6. Non rixabitur, inquit. Spiritus meus in homine, in perpetuũ, eò quòd ipſe eſt caro, eruntq́ dies illius centum & viginti anni. In hoc loco explicando placent mihi qui non ad determinatũ tempus hominum, ſed ad tempus pœnitentiæ duntaxat hoſce annos referunt. Manifeſtum enim eſt vel ex ipſo textu, Dominum tam prauas hominum et malignas actiones voluiſſe vlciſci. Porrò ne miſericordiæ, iuxta Domini ſententiam, Nolo mortẽ peccatoris, ſed vt potius cõuertatur et viuat, &c. quæ immenſa eſt, obliuiſcatur: tempus pœnitentiæ p̃figit, quo nemo niſi Noach cum ſuis ad Dominũ redeunt. Ideò nemo ſaluatur: quin potius omnes diluuio excepta domo Noach pereunt. Ab initio aũt

con-

concionis Noach, quam antequàm vxorem duceret, cœperat, ad diluuij tempora, anni centum & viginti fluxerunt. Iſti ergò anni non tempus vitæ hominum, ſed pœnitentiæ ante diluuium ſignificabant. Vnde clarũ eſt homines intelligentes, & quos Deus amaret, ac planè à malis ſeiungeret, quos deinde per diluuium è medio ſuſtulit: verè per cœleſtes aquas quæ ſupra firmamentũ eſſent, deſignari. Cæterùm per firmamentum quod Poëtæ per Neptunũ expreſſerunt, Horizon æternitatis & temporis, meditullium ſeu intercedens regio aëris, in erratica ſphæra, media Hierarchia, cœleſtibus officijs delegata, humana ratio lex & Chriſtus benedictus, intelligi debet. Quare Horizon æternitatis temporis, quemadmodum nihil aliud eſt, quàm circulus ille, vel cœli terminus, quodam circo deſignatus, qui ſuper terram videtur, quem ſibi vniuſcuiuſq; circumſcribit aſpectus, & quædam cœli concluſio, diſtinguens incorporeas et angelicas ſubſtantias à corporeis: ita Noach eſt veluti finis, & terminus humani generis, & medius inter Adam & Chriſtum Dominum, propagator. Adam enim ſemine deleto, per iuſtum Noach rurſus auctum eſt, deinde & Noach poſteritate deprauata, per Chriſtum repurgata et regenerata eſt. Hic Noach meditullium veluti intercedentem regionem aëris: ipſam nimirum nauem fabricauit, quæ non minus, ac media regio aëris, quò minus exhalationes & vapores craſſi ad ſuperiorẽ penetrent, omnibus hominib. impuris, & peccatis immerſis, diuino iuſſu, prohibet ingreſſum, in qua vel ſola humanum genus conſeruatur, ac extra eam quicquid eſt, perit. Hæc eſt illa nauis tanquam ſphæra inerratica, quæ vnanimi motu ab occidente in orientẽ vergit, hoc eſt, à morte ad vitam ducit. Siquidem perinde ac media Hierarchia cœleſtibus officijs: non ſecus ſalus hominum officio huius nauis delegata & deputata eſt: vt viuant ſecundum rectam rationem: neq; altum ſapiant, ſed timeant: neq, terreſtribus nimis inhæreant,

ant,ſed intellectualia magis ac magis ſectentur, veluti qui intellectuales & mortales ſint futuri. Lex porrò, videlicet pædagogus, quam Christus adimpleret, per ea quæ dicta ſunt figuratur, qua de re ſuo loco. Hoc aduertendum eſt, quòd ſinguli dies, ſingulis per communicationem quandam, ſicut patebit, ſint attribuendi.

De euentis ſubcœleſtis exercitus.

CAPVT IX.

DRymus. *Porrò quid eſt, quod per aquas ſub cœlo intelligit?* Symbulus. *Hic locus mihi multum negotij faceſſit.* OLISTVS. *Nihil hîc eſt difficultatis, ſi intellexiſti ſuperiora. Aquæ enim ſub cœlo id eſt influentiæ cœleſtium corporum naturales, quas Poëtæ Plutoni attribuunt, Philoſophi infra aëris meditullium, vbi mixta omnia ex feculenta craſſioreque parte mundani corporis conſtant, ponunt: Septem ſyderibus proportione certiſſima influentiarum motus & lucis, attribuuntur. Non minus quoque vltimæ Hierarchiæ, quæ licet natura ſupra omne ſit corpus ſupráque cœlum: curat tamen ea quæ ſunt ſub cœlo, accommodatur. Nam iuxta doctrinam Dionyſij, cùm diuidatur in principatus Archangelos & Angelos, omnium horum operatio omnis circa ea eſt tantum quæ ſunt ſub luna, vt Pici noſtri verbis vtar: Principatuum circa res publicas & reges ac principes, vt ex Daniele cognoſcimus, Archangelorum circa myſteria & ſacras Ceremonias, Angeli priuatis ſtudēt rebus, & ſinguli ſingulis homini bus adhibentur. Rectè igitur hîc ſubcœleſtis exercitus per ſubcœleſtes aquas eſt figuratus: qui & rebus præeſt fluxis, atque caducis: & illi ordini ſubeſt, qui verſatur circa cœleſtia, hactenus Picus. Hinc eſt, vt per iſtas aquas in homine ſenſuales vires, quæ ſub parte ſunt rationali, non præter rationem, ſi quis & huius rei pro-*

portionem expendat, vtpotè corruptibiles, viſibiles, mutationi obnoxiæ, variæ, miſtæ & diſsimiles, intelliguntur, Per iſtas quoque aquas, Gentes, quando & dæmones caliginoſi aëris incolas, quæ regio ſupra aquã eſt, adorant & colunt: & viſibile cœlum, ſydera, & planetas ſibi Deos faciunt, ac dominos: aptiſsimè figurantur. Quas vbi diligentius expenderimus, nullo labore per eas Diluuiũ ſignificatum fuiſſe, & quicquid poſt diluuiũ ad tempora vſq; Abrahæ agitatum eſt, intelligemus. Præfigitur enim tempus. 6. Gen. vt meminimus, à Deo pœnitentiæ: ſed Plutoni, hoc eſt, ſubterraneis rebus magis addictos, vbi Mammon regnat, fœculentos, craſſos & putridos factos, vagos, nunc huc, nunc illuc, inſtar planetarum & incõſtantes, quorum intellectus, cum ea quæ Dei ſunt ſpectare deberet æſtuante corde in cupiditatibus mundanis, tenebris obductus eſt. Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, iuxta Apoſtolũ, vt faciãt ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, cõtumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſq; fœdere, ſine miſericordia. Qui cùm iuſtitiam Dei cognouiſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolum qui ea faciũt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Eam ob cauſam Diluuio & facientes & conſentientes, quiué pœnitentiæ nullum tribuerent locum funditus deleuit & penitus extinxit, quod anno mundi 1656. ſub finem vt rectius 1657. dicas, poſt mortem Mathuſalach, vbi Noach in arcam à Deo eius mandato extructam, vocatus, ſimul ac ingreßus eſſet, cum vxore ſua, & filijs ſuis, & mulieribus filiorum ſuorum, vniuerſam terram occupare cœpit, ſicut 7. & 8. Gen. patet. Ita facilè eſt videre, quanto Deus odio proſequatur peccatum: rurſus quanta ſolicitudine, quantaque cura foueat pios. Fouet

autem

autem ſupercœleſtes aquas, qui cœleſtia ſequuntur, & non terreſtria: qui, non dæmones caliginoſi aëris incolas, aut cœlum, ſiue Sydera & planetas ſibi deos faciunt: ſed Deum vnicum omnium conditorem adorant & colunt: Contrà odit Idololatras & ſimiles. Ideò diſtinxit hos ab illis, & perpetuò firmamento ſuo diſtinguit, hoc eſt, verbo ſuo æterno, quod nunquam interibit: imò perpetuò durabit, in quo quicquid eſt creauit, ac omnium quæ & ſunt, & non ſunt dominatur. Inundatione tandem decreſcente, arca in altiſsimo monte Armeniæ hæſit, quam Noach à Deo iuſſus integro anno tranſacto, cùm deſeruiſſet: Iterum, quaſi nouum mundum inſtituit Deus. Primum verbum promiſsionis velut beneuolentiæ & miſericordiæ ſuæ erga genus humanum certiſsimum ſignum fidei exercitandæ donauit, eiuſque certitudinis teſſaram addidit Iridem, deinde libertatem veſcendarum carnium, qua ſancti patres ante diluuium nunquam vſi erant, permiſit, præcepta quoque adminiſtrationis externæ dedit. Cæterùm ne hanc quidem Dei bonitatem & clementiam homines retinuerunt, vt meritò deinde eos ad malum natura propenſos & inclinatos pronunciauerit. Sub gubernatione enim Gabrielis ſpiritu Lunæ, primus Chã videns verenda patris, fratribus deridendum nunciauit: qui & maledictus eſt, omnibus deriſoribus horrendum præbens exemplum: tametſi reliqui non conſenſerint, ideò benedictiones acceperunt. Ionicus cuius Moyſes non meminit, excelluit in Aſtronomicis, & futura quædam, potiſsimum de ortu quatuor regnorum & occaſu præuidit, & acceptis à patre ſuo Noach munere in terram Ethan ſe recepit: hic fertur primus Nimrod conſilium regnandi dediſſe: Sem biennio poſt diluuium Arphaxat genuit, quem Melchiſedech fuiſſe aiunt, & primum qui poſt inundationem vrbem Salem ipſam nimirũ Hieruſalem condiderit. Arphaxat à quo Chaldæos deſcendiſſe opinantur, Salach Samaritarũ

& Indorum propagatorem genuit. Salach deinde Heber, à quo quidam Hebræos dici putant, procreauit. Heber Paleg generante, terrarum orbis diuiſio inter filios & nepotes Noæ facta eſt. Iaphet natu maximus Europam & Septentrionaliores partes Aſiæ, cum minore Aſia, & mediterranei maris Inſulis, ſorte obtinuit. Aſiæ maioris reliquam partem à termino Aegypti, & per meridiem vſque ad indiarum fines, ſors ipſi Sem poſsidendam dedit. Cham verò Africam cum omnibus ſuis regionibus pro ſe & poſteritate ſua poſseſsione accepit: imò hac non contentus, multas alias fratrum ſuorum prouincias ſibi ſubegit. Cæterùm facta diuiſione diuinitùs per Noach, filij eius progreſsi ab Armeniæ montibus, in locum nomine Sinnear deuenerunt: vbi ob amœnitatem loci vnà ad triceſimum fere annum commorati ſunt, Facta autem nimia hominum multitudine, naſcentibus ſubinde liberis, diuidi cogebãtur. Vnde in confeſſo eſt prophetia ſecundi Diei, quæ etiamnum per diſtinctionem aquarum ſignificata, durat. Nimrod dux, maximusque eius loci videlicet Sinnear, tyrannus, gloria dei poſtpoſita, vna cum ſuis, propriam in extructione turris & Ciuitatis Babel, quam ad poſteros tranſmitterent, quærebant. Hinc eſt, vt in pœnam peccati confuſæ ſint linguæ & diſperſi per totum mundum. Porrò malitia Nimrodi primi Regis Aſsyriorum nequaquam ceſſauit, imò poſt confuſionem linguarum, vt quidam aiunt, ad Perſas ſe contulit, eos ignem colere docuit, filio Belo Babiloni relicto, qui primus pro Deo adorari voluit, in eumque vſum templa extrui curauit, cuius deinceps poſteritas totũ illud regnum, vſque ad. 4. chiliad. ſecundum Methodium obtinuit: Auguſtinus verò eum inde fugatum, & à filijs Aſſur illud regnum annis 1305 poſſeſſum dicit. Alij, poſtquam. 56. annos Nimrod regnaſset, eum ſubito non comparuiſſe, tranſlatum à dijs aiunt. Alij verò forte à Dæmonijs malis ob maximam ſuam impietatem. Sed reuertamur ad aquas,

quomo-

quomodo adhuc durant? Firmamentum vtique eſt verbum Dei, quod diſtinguit Noach & Paleg filium Heber, ſic dictum, quòd ſuo tempore linguarum confuſio ſit facta, quaſi ipſe ab alijs diuiſus ſit, & in cuius domo lingua mãſerit priſtina: quod in ea conſpiratio ne non fuerit. Vnde ſecundum Auguſt. non paruum in hoc iuſtitiæ veſtigium apparuit. Domus enim iſta, ac ſi non fuerit particeps culpæ, ab hac pœna liberata eſt, diſtinxit, inquam, hos veluti aquas ſupercœleſtes, ab aquis ſub firmamento, id eſt reliquorum delictis. Noach vbi quiſpiam vitam inſpexerit: facilè eum aquis ſupercœleſtibus parem iudicabit. Quantas per omnem ætatem miſerias pertulerit, dum ante diluuium peccata hominum, mox ineuitabilẽ pœnam, hacq́; vix amota, filium ſibi illudentem cerneret. Spretus deinde ferè à poſteris omnibus ſuperbia quoque inobedientiam eorum in Sinnear, perferre coactus eſt. Quamuis ſtatim vltionẽ, ſubſequente pœna cum linguæ cõfunderentur, videret: tamen ſuorum tantas crudelitates, tyrannicas dominationes, ſanguinis innoxij profuſiones, cædes, tot bella, tot odia & huiuſmodi plagas, innumerabiles, non tantum audire, ſed pleriſq́; in locis præſentem eum videre oportuit: Imprimis autem Semiramidis mulieris ſceleratiſsimã cum vitam, tum dominationem, idololatrias, contemptum quoque Dei altiſsimi: quantumuis à Carione laudetur. Inſpice obſecro, ex Noach tota poſteritate tempore cõfuſionis linguarum vnicum Paleg, per quem & linea Chriſti continuata eſt, & lingua priſtina cõſeruata, relictum fuiſſe depræhendes, admodum paucos ſemper extitiſſe, qui vera pietate adficerẽtur, Exceptis igitur iſtis, reliquos omnes, per aquas ſub firmamento, vbi omnis colluuies malorum cõſiſtit, intelligere oportet. Ita patet, Deum ſuos nunquam relinquere, ſed diſtinguere malos à bonis, medio virtutum, quæ ex verbo æternitatis, velut fonte inexhauſto procedunt. Etſi verò impietas hominum diluuio grauiter, deinde confuſione linguarum punita

ſit:necdum tamen prauis actionibus pertinax populus valedixit. Nam ſub gubernatione prima Michaëlis, ſpiritu Solis, Seba filius Raëmæ filij Cham, cum filio ſuo Gog felicem Arabiam inuadunt et occupant, ex quibus Saraceni orti, & duce Machomete pſeudopropheta, Eccleſiæ hoſtes facti, ijsq́ populi Magog iuncti ſunt. Triton Lybiam: Getulus Getuliam, vterq́ Aſsyrij obtinuerunt, eo tempore quo Comerus Italiæ Colonias, legē & iuſtitiam docuit, & Tubal Celtiberos, in ea regione, quæ nunc Hiſpania dicitur, condidit. Atque Oceanus Aegyptum circa Nilum quando & Chus pater Nimrodi Aethyopiam detinuit & Ganges in India ſedem firmauit. Itē Sagæ, id eſt, ſacerdotes Armenij multiplicati omnem Caſpiam regionem, ab Armenia vſque in Bactrianos poſsiderunt, Coloni aliquot ex filijs Gomeri in Bactrianis ſibi ſedes quæſiuerunt. Ianus Ianeos colonos in Hircaniam traduxit. Anamœon, Mœones à ſe dictos in Celtiberia & Græcam gentem condidit. Saturnus, Babyloniæ Rex, Nimrodus, magna tyrannide pios patres & eorum filios oppreſsit, qui tot annis in Babel quaſi ſeruire coacti ſunt. Miſit enim principes coloniarum Aſſyriū, Medum, Moſcum, & Magogū in Aſiam: Moſcum verò ſimul in Aſiam & Europam, vt Beroſ. li. 5. habet. Circa hæc tempora natus eſt Sarug pater Nahor, & paulò poſt regnum Sicyoniorum in ea regione quæ poſtea Peleponeſus dicta eſt, cœpit: tum Nahor genuit Thara, quando & Belus libidine dominandi torquebatur, & Hamnon Tritonis filius, rex Lybiæ, pater Dionyſij, qui & Bacchꝰ dicitur, regnauit. Succeſsit Belo Ninus Adhiæ puer, pro quo Semiramis mater regnauit, eo nimirū tempore, quo Chameſenuus Gomeros, Italos, corrūpere nitebatur, & Tubal Celtiberos & Samotes Celtas legibus format, atq; Phoroneꝰ in parte Hellinica quæ poſtea Græcia dicta eſt, regnauit, ſtatim deinde Thara genuit Abraham, cū virgo Palladem, quā Græci Mineruam vocāt ad Tritonidem lacum infantula ex poſita, & à Dio-

à Dionyſio Ioue libico, Ammonis filio, in filiam adoptata eſſet, qui armis ſumptis Rheã & Chameſenuũ paterno regno pellens, & ſecum Oſirim retinens in filium adoptauit, cui totius Aegypti regnũ tradidit. Iam manifeſtum eſt vſq; ad Abraham, quàm impia gens, quã denique omnibus perturbationibus apta, quæ nullis pœnis moueretur, fuerit: & verus cultus quomodo atq; verbum Dei exoleſcere in regno Babylonico cœperit: Ideoq́ Thare ex Chaldea in Meſopotamiã, cum duobus filijs ſuis Abraham & Loth, ne & ipſe impietatis ſuperſtitione, apud Babylonios commacularetur, eſt profectus. Cæterùm viſis periclitantibus hominum moribus & vita, atque inclinatione ad quoduis malum perpetrandum, ac ne in vniuerſum verbum Dei interiret, ex integro promiſſionem De Chriſto deus renouauit, & verbo nouam Ceremoniam adiecit, quæ veluti ſignum in hominum animis memoriam verbi conſeruaret. Propterea hoc ipſum Firmamentũ quemadmodum diuiſit ſupercœleſtes aquas, à ſubcœleſtibus: ita hæc renouatio promiſſionis denuò præcedente diluuio tanquam pœna ſcelerum: confuſioneq́ linguarum ſeparat electos ſuos ab impijs & damnatis: quæ meritò firmamentum, iuxta illud Dauidis: Et opera manuum eius annunciat firmamentum, nuncupatur.

PAVLI PRINCIPIS DE LA SCALA ET HVN. MARCHIONIS VERONAE, &c. DOMINI CREVTZBVRGI IN PRVSſia. Miſcellaneorum de rerum cauſis & ſucceſsibus, Liber ſextus.

De euentis tertiæ diei.

CAP. I.

DRymus. *Et dixit Deus congregentur aquæ ſub cœlis in locum vnum, vt videri poßit arida: factūque eſt ita. Et vocauit Deus aridam terram, & collectionem aquarum vocauit maria: & vidit Deus, quod eßet bonum, Et Dixit Deus germinet terra herbam virentem, quæ ſeminificet ſemen, lignum frugiferum, faciens fructum iuxta ſpeciem ſuam, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram: & factum eſt ita: Et prodire fecit terra herbam virentem ſeminificantem ſemen iuxta ſpeciem ſuam, & arborem faciētem fructum, Cuius Semen fuit in ſemetipſa, iuxta ſpeciem ſuam, & vidit Deus quod eſſet bonum. Factáque eſt veſpera & factum eſt mane Dies tertius.* Symbulus. *Non dubito quin hic pulcherrima quæque contineantur, quare Oliſte obſecro, & hæc ediſsere.* OLISTVS. *Renouatio promißionis Abrahæ cùm eſset 75 annorum, facta ſub reuolutione ſecunda Oriphielis ſpiritus Saturni, (quamuis Tritemi⁹ id ſub Zabariele Spiritu Iouis actū exiſtimet, ſicut meminimus: ſed ei & ordo & officium ſpiritus repugnat, quod vel ipſe teſtatur, dum ait: hæc tempora læta & verè aurea fuiße, iſtud officij maximè non modo conuenit, verumetiam proprium eſt Oriphielis, id eſt claritatis Dei: ſed vtcunq; ſit, nos penitius negoti*

negotium inſpiciendum ſuſcepimus.) Nini regis temporibus, quibus Sabatius Saga Italos agriculturam & religionẽ docuit: Mannus, filius Thuyſconis, apud Rheni Sarmatas regnauit: Iſis Iuno Aegyptia, ex Rhea & Chameſenuo nata eſt: Clarere rurſus verbum Dei & Eccleſia, vtpote regnum ſpirituale cœpit. Vocatur enim Abrã ex Haran, & habitat in terra Chanaan, poſtquam Selchin tertius Sicyniorum Rex, & Apis quartus mortui eſſent, ſub Teſſalion quinto Sicyniorum Rege, decem & octo annis poſt obitum Noach: viginti ſeptẽ annis poſt exceſſum è viuis Nachor: viginti octo annis poſt mortem Peleg, & eligitur Abram, ad annunciandam promiſſionem, quam, vbi reuerteretur, iuſſus à Deo, ex Meſopotamia in Chaldeam, acceperat fore vt poſteri Abraæ terram Chanaan poſſiderent, & in ea imperarent, atq; adeò etiã ſemen Abraæ, nimirum Chriſtum, per quem eſſet benedicturus Deus omnibus populis, venturum. Ideò hoc tertio die iubet Dominus aquas ſub cœlis in locum vnum congregari, hoc eſt, ad communem miſtionis colluuiem confluentes, certis legibus tamen quaſi littoribus præſcriptam in vnam miſtionis formã coaleſcere, quam vegetalis potentia ſtatim conſequitur. Hæc congregatio aquarũ proportionatur ſeptem ſyderibus ſub firmamento, quæ cũ omnem virtutem in vno Sole collectam habeant, ſicut omnes Philoſophi & Mathematici vno ore confirmant, rectè aquis in vnum locum congregatis per μεταφορὰν exprimitur. Et ſiquidem apud Paulum expreſſam mentionem adminiſtratoriorum ſpirituum fieri legimus, qui propter hæreditatem ſalutis capientes mittuntur: vtiq; ſubcœleſtes has aquas, angelicos exercitus per μετάληψιν ad vnum locum, ad vnius ſcilicet hominis bonum ſalutemq; procurandã congregatos, pro qua & mittuntur ad nos, & nunc ſecundũ quietem, nunc etiam vigilantibus nobis, alijs atq; alijs & formis & locis et temporibus, vt Picus inquit, apparent. Quis non videt in ſemine

hoc Abraæ promiſſo, omnes aquas eſſe congregatas? Omnes ſiquidem gentes in Chriſto benedicto, qui eſt ſemẽ Abraæ, congregantur, & ſalutem conſequuntur, iuxta illud Pſal. In omnibus gentibus ſalutare tuum. Item: Omnes gentes ſeruient ei. Deinde: Benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum. Quòd autem per aquas gentes ſignificentur: Apocal. ſcriptum eſt: Aquæ, quas vidiſti, gentes ſunt. Vaticinium ergò certiſsimum futuræ ſalutis omnium gentium, non modò Iudæorum, tertius dies per congregationem aquarum, expreſsit, quem vbi rectius Iudæi expendiſſent, nõ vſqueadeò inſultauiſſent: ſed altum Moſeos myſterium à paucis veſtigatum eſt.

De euentis ſpiritualis regni,

CAPVT II.

DRymus. *Iam primùm, quod hactenus nunquam cogitabam cerno.* Symbulus. *Prophetiam illam gentium clariorem, ne ego quidẽ obſeruaui.* OLISTVS. *Itaq; promiſsionis renouatione Abraæ facta, etſi fame coactus in Aegyptum deſcendit vbi Pharao (puto Oſiridem fuiſſe) Aegypti rex Abraæ vxorem rapuit: à Deo tamen cum domo ſua afflictus, eam intactam reſtituit, & paulò poſt non modo è manu quatuor regum Lot liberauit, et à Melchiſedech benedictionẽ accepit: verùm etiam, vbi Arius ſextus Aſſyriorum Rex, collecto exercitu, poſt patris Niniæ obitum Bactrianos, & omnes Caſpianos ſubegiſſet, circumciſionem, promiſsionis nempe ſymbolũ, & incitamentũ ad credendum, ex mandato Dei, cùm eſſet annorum* 99. *à condito mundo* 2048. *anno ſuſcepit, atq; tum demum facta eſt arida, quæ terra herbis, fructicibus, arboribusq́ fœcunda, & Luna propter diuerſum aſpectũ ab Ariſtotele & Pythagoricis, nuncupatur. Hæc eſt illa terra de qua Dominus in Euangelio: alia inquit, adfert fructũ*

cen-

centeſimum, alia ſexageſimum, alia trigeſimū, Reuera terra animi noſtri de qua Apoſtolus ait: Terra excipiens frequenter venientem ſuper ſe imbrem, ſi generet herbam opportunam, his quibus colitur, percipiet benedictionē à Deo: quæ verò ſpinas & tribulos profert, reproba eſt, et maledicto ꝓxima, cuius finis in aduſtionē, in hac terra, id eſt, in poſteris Abraæ veluti certo populo, ſemper Eccleſia, verbū, et ſpirituale regnū Chriſti permanſit, in qua nonnullos perpetuò, qui verè credentes et pij eſſent, exiſtere oportuit, quorū terra fructū in tempore ſuo, quaſi herbas purgatorias virtutes: ſcientiam & ſapientiā, quaſi maiores frutices: abſolutā perfectamq́ virtutem: quaſi Libani cedros dabat: quorū finis non aduſtio, ſed benedictio erat: ad quos pater meritò dixit: Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, quē Deus benedixit. Atq; hæc eſt illa arida, à primi diei terra maximè differens, quam poſt illam aquarum congregationem, ſtatim viridem & floreſcentē inducit: naſcitur enim Abrahæ iam centenario Iſaac ex Sara nonagenaria, in quo ſemen promiſſionis erat datū. Ex hoc naſcitur Iacob, à quo tandem tribus Iſrael deriuatæ ſunt: ipſe nimirum populus electus, quem Deus ex ſeruitute Aegyptiaca eduxit, in cuius gratiā mare rubrum diuiſit: quem in deſerto manna pauit: cui terram melle & lacte fluentem, purgatam aquis inferioribus, vnde & nitida ſub aſpectum venit, et illuminatā cœleſtibus: imò ſupercœleſtibus, veluti igneo quodam rore atq; viuifico perfectam & fœcundatā tradidit: vt nō ſalutares iam herbas, ſed feliciſſima, ipſum quē Eſaias optabat, germinauerit ſaluatorem, & non vnam virtutem, ſed Chriſtum plenitudinem omnium virtutū in nobis formauerit. Accepta circumciſione non amplius Abram ſed Abrahā: nempe pater multarum gentium vocatur, tum quòd in ſemine eius omnes gentes ſaluarentur: tum quòd præter Iſaac & Agarenos ſeu Iſmaelitas produxerit, qui ſucceſſu temporis in maximam gentem

excreuerunt, & ob diuerſiſsimos affectus, diuerſos cultus excogitarunt, & in varias idolomanias deuenerunt. Quidam enim plus æquo circa mortuos ſuos: quidam nimio timore, aut adulatione apud reges: quidam eximia artificum diligentia, erga ſculpturas afficiebantur. Hinc factum eſt vt Dæmones in Idolis laterent, & reſponſa darent, atq; capitali pœna plecteretur quiſquis ſe ei errori conformem haudquaquam eſſe pateretur. Acceſsit huc Poëtarum laus, ſtulta & fraudulenta, qui damnatos homines ſuis carminibus inter deos referre, & tam horrendum delictum committere non verebantur, ij omnes maria ſacris literis appellantur, diuerſiſsimis fluctibus expoſiti, inuicē fluctuantes, et de vita nedum temporali, verùmetiam æterna periclitantes. Hos ergò fluctus Deus volens compeſcere, & Dæmonum impoſturas impedire: miſit clemēs Dominus angelos ſuos, vt electis etiam viſibiliter loquerentur, ne ſimul tota humanitatis maſſa, tam horrendo errore infecta periret: præſertim autem cùm & clamor & peccatum quorundam multiplicatum eſſet: Dominus non potuit nō vlciſci tot nefanda ſcelera, & vel hac ratione electos & pios ab impijs & damnatis hominibus ſeparare: ne à malis boni, quò minus operentur bonum, impediantur & ſeducantur. Iſtos maris impetus, quis non videt in Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, & Segor? iſtæ enim ciuitates Canaan ob ingentia peccata & ſcelera, igni de cœlo cadente penitus deletæ ſunt. Hinc ſtagnum Aſphaltidis in Paleſtina, ſempiternum huius rei ſignum & monumentum exiſtit. Quis prætereà in Lybia Priſci Hyarbæ armorum ferocitatem, non extimeſcit? Quis Abalij Septimi Aſſyriorum Regis pompas & muliebres delicias probabit? Quis Aurunum, qui in Vetulonia locum ſacrauit Crano, & inter Deos retulit: Iano quoq; Vortumno templum & ſtatuam non procul ab Vrbe dedicauit, & Deo Razenuo in Vetulonia ſacellum condidit, vel propter Idololatriam, quæ in-

de

de ſenſim vires exquiſiuit, non execrabitur? Quis Phaëtontis incendium circa Iſtros, Cymeos & Veſuuios, quæ loca Paleſana, id eſt, regio conflagrata ob id à Ianigenis vocata ſunt, laudabit? Et iam reducat oculos lector ad maris vaticinium, nonne illa tempora peroptimè omnibus maris conditionibus conueniunt? ſi vel Etymon vocis ſpectes, quod, vt puto ab amaritudine dictum eſt, primò piorum mortem ſignificabat: Thara enim circa hæc tempora vita functus eſt, Sara vxor Abrahæ, mortem obijt, Arphaxad diem extremum clauſit: Sarug ante hos ex hac vita migrauit, Sem filius Noach alter ex ſummis Dei martyribus, qui et ipſe innumeras tyrannides, crudelitates, nefandasq́; libidines filiorum & nepotum & cognatorum ſuorum vidit, moritur: Ante hunc Abraham annorum 175. obijt, & plures qui pietatē maximè colerent, & quorum præſentia indignus mundus exiſteret, tum hinc in alteram vitam commigrarunt. Secundò prauorum hominum ortum portendebat: qui quaſuis tragœdias mouerent, & quaſuis turbas atq; tempeſtates excitarent. Talis erat Hyarbas, qui cum Paladius fœminis bellū iniuſtè ſuſceperat. Deinde Aurufnus & Ianus, qui Crano, Vortumno & Razenuo Idola fabricabant, Eſau eo tempore naſcitur, & Abraham paulò poſt moritur. Salach hunc ſequitur. Inachus apud Argos primus regnum, pari ratione Marſus apud Thuyſcones occupant. Armathrites nonus Aſſyriorum Rex, voluptatibus & delicijs ad libidinē ſpectantibus, abundat, pluresq́; inuenit & ampliat, ij omnes & longè plures quos enumerare etiam notos nimis longum eſſet, taceo de ignotis, quorum infinitus eſt numerus, vel ideò maria dicuntur, & ſub hoc nomine compræhenduntur: imò hoc mare non abſurdè hic ille erit Oceanus, qui pater Deorum & hominum ab illis dicitur, qui Planetas Deorum nomine dignati ſunt. Sed mirabitur fortaſsis quiſpiam, cur maria & terrā dicat bona, inquit enim: Et vocauit Deus ari-

dam terram, & collectionem aquarum vocauit maria, & vidit Deus quòd eſſet bonum, &c. quandoquidem maria gentem idololatriæ, et omnibus ſceleribus deditam ſignificet? Facilis eſt reſponſio, ſi expenderit lector, nil diuinitùs creari niſi bonum, neq; à bono, niſi bonum prodire. Porrò quòd gentes ſint malæ id fit per accidens, & propria culpa, partim quòd donis Dei abutantur: partim quòd omninò deſpiciant, & indignos ſe reddant atq; priuent boni illius operatione. Iam clarum eſt, nõ creaturas quas Deus bonas creauit, malas eſſe: ſed opera eorum mala, etiam ſubſtantiam inquinare. Ideò talia hominũ opera maria dicuntur omnibus fluctibus refertiſſima, quæq; omnibus ſceleribus abundent. Obijciet fortè diligens ſcrutator, & qui fit, quòd ſecũdo die obmiſerit quoniam bonum? huic doctiſſimè, Picus occurrit. Quandoquidem ſecundi diei opera potiſſimum in firmamento conſiſtant: Atqui firmamentum iuxta Dauidem: Et opera manuum eius annunciat firmamentum, legem figurat: vtiq; rectè boni non meminit, licet lex non ſit mala: neq; tamen bona eſt ſimpliciter; id eſt, perfecta. Donec Chriſtus venit, qui legem impleuit, iuxta illud prophetæ: dedi eis præcepta non bona, Non dixit præcepta mala, ſed præcepta non bona, id eſt, non perfecta, non abſoluta, nõ conſummata: quod confirmãt veteres Hebræi doctores, qui illud interpretantes Eccleſiaſt. Vanitas vanitatum & omnia vanitas, Vana, inquiunt etiam lex, donec venerit Meſſias. Hactenus Picus.

De euentis ſeminis benedictionis,

CAP. III.

DRymus. *Si placet redeas ad ea, quæ terræ ſunt* Symbulus. *Germinet, inquit Dominus, terra herbã virentem.* OLISTVS. *Quid hic aliud herba virens portendit,*

dit, quàm ſemen benedictionis? Hæc eſt illa herba, quam Apoſtolus opportunam, accipientem benedictionē à Deo appellat. Et Iſaias luce meridiana clariorem reddit, in hæc verba: Ecce ego declinabo ſuper eam, quaſi fluuium pacis, et quaſi torrentem inundantem gloriam gentiū, quam ſugetis, ad hubera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis. Quomodo ſi cui mater blādiatur, ita ego conſolabor vos, & Hieruſalē cōſolabimini. Videbitis & gaudebit cor veſtrū, & oſſa veſtra quaſi herba germinabunt, & cognoſcetur manus Domini ſeruis eius, &c. Herba iſta eſt, ſicut ros Hermon, qui deſcendit ſuper montes Zion, quoniā illic mandauit Dominus, vt Pſal. canit, benedictionē: vitam vſq; in ſeculum. In die ſiquidem illa vt Iſa. habet, erit germē Domini in magnificentia et gloria & fructus terræ ſublimis & exultatio his, qui ſaluati fuerint de Iſrael, &c. Item vir Iuda germē eius delectabile. Hinc abundè ſatis conſtat (cùm inquit: Germinet terra herbā virentem) vaticiniū alicuius viri, in cuius poſteritate perpetuò Eccleſia Dei conſiſteret, potiſſimū autem, quia Maria ſeu gentes ob agnitione Dei & vero cultu declinauerūt, & dijs alienis litare nō deſierunt: imò & eos qui in vero cultu Dei perſiſterēt, perſequebantur, quib. comminatur Iſa. inquiens: Væ qui dicunt bonū, malum, et malum, bonum, & qui ponunt tenebras in lucē, et lucem in tenebras: quiq; ponunt amarum in dulce, & dulce in amarum. Ne igitur prorſus verbum Dei interiret: Electo Abraham, qui annuntiaret renouationem promiſſionis, circumciſio veluti eius ſymbolum et incitamentum ad credendū, quoq; adiecta eſt. Atq; vt certa ſit ſucceſſio & linea Eccleſiæ Dei, in Iſaac filio Abrahæ ſemen illud benedictum poſuit. Ex ſemine enim Iſaac Chriſtus eſt. Iſaac etiam typum præ ſe ferebat, cū, vt immolaretur à patre, Deus iuſſiſſet. Quo ſignificatum eſt, Chriſtū victimam fore, qua peccatū & mors expiaretur. Eſtq; adumbratum in hoc exemplo, iterum Deū peccata

con

condonare velle, reſuſcitare mortuos, donare credentibus vitam æternam. Germinet ergò terra herbam virentem, quid aliud eſt, quàm vt Abraham germinaret Iſaac, tanquam herbam virentem, quæ apta nata eſſet rurſus ex ſe germinare continua ſucceſſione aliam herbam? Ita enim Iſaac Eſau, vnde Edomitæ originem in Arabia, & Iacob vnde Iſraël populus ortum habent, genuit. Quemadmodum verò terra ſeparata eſt, ab aquis, hoc eſt, Abraham, à cæteris gentibus: ita rurſus in poſteritate ſua Eſau à Iacob. Hic enim eſt herba virens: ille verò herba areſcens, de qua Iremias ſic loquitur: Vſquequò lugebit terra, & herba vniuerſi campi areſcet, propter malitiam habitantium in ea? Iacob autem eſt herba opportuna, benedictionem à Deo accipiens: ex eo enim duodecim tribus germinatæ ſunt, atque ex tribu Iuda germen illud delectabile, Chriſtus benedictus, ſalus & vita omnibus credentibus. Diſcendum autem eſt hinc, quàm mirabilis ſit Deus, in conſeruandis ſuis & complendis promiſſionibus: dictum ſiquidem eſt, in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Hoc tempore propter ſenectutem Iſaac, duos tantummodo filios habens, morti proximus decumbit. Horum alter metu fratris in exilium abigitur: alter contumax Deiq́ contemptor. Iſmaël contra multò felicior diem obijſſe videtur: quàm ipſi Iſaac ſperandum erat. Reliquit enim poſt ſe duodecim principes filios ex ſe genitos: qui omnes iam ſuis populis dominabantur. Et cum illi promiſſio de obtinēda terra data eſſet, quis natura & ratione duce ſicut aptiſſimè alij narrant Dei promiſſionibus, fidē habere potuiſſet, cum omnia hîc contraria apparent? At dictum illud Pſal. nihilominus manet: Scitote quòd Dominus mirabiliter ducit ſanctos ſuos. Sepoſita ergò humana ratione, adhæreamus verbo Dei, & haud dubiè non fallemur. Cæterum mirabiliter fortè quiſpiam cur in Iſaac benedictio ſeminus ſit: quando & maledictió eum pari ratione comitetur? an ignoras cum tri-

tico

tico & zizania creſcere? vtique dominus expreſſè præcipit vt ſinãt zizania cum tritico ſuccreſcere ad tempus vſque meſſis: tum demũ hoc in horreum mittetur: illa igni comburentur. Rectè Apoſtolo reſpondit Dominus, ſufficit tibi gratia mea: in infirmitate namque perficitur virtus. Neque quiſpiam niſi legitimè pugnauerit, victoriam conſequetur: & in ſtadio curſu excelluerit, brauium obtinebit. Ideò perpetuo impios permiſit viuere cum pijs, vt pietatem eo conflictu promoueret: & veluti ex colliſis ſilicibus, lucem emicare faceret. Sic in hanc vſque horam: iam autem potiſſimum veritatis candor, multis & varijs opinionibus obductus quidem, ſed non infectus eſt. Iacobo igitur congenitus eſt Eſau contumax parentũ Deique contemptor, qui & edom dictus eſt hoc eſt rufus, propterea quod ius primogenituræ, cui benedixerat Deus, ob pulmentum rufum ſuo fratri, contempta benedictione & beneficio Dei, ventris cauſa, vendiderat. Iacob verò Iſraël: velut princeps Dei appellatus eſt. Iam facilè quiuis intelligere poterit, quomodo Deus herbam virentem ab areſcente, & terram ab aqua diſtinguat: & quam diu patiatur ad plenitudinem vſque nimirum temporis, tum enim ſalus & gentibus imminebat. Hæc ita habere hiſtoriæ plus ſatis teſtantur ſi Lycurgi gygantis mortem in Thracia ab Oſiride illatã: Italiã à tyrannis Enakijs vſque ad Oſiridis aduentum oppreſſam. Nilum per totam Aegyptum exundantem, Taſtaphij & Carſatis aduerſus Phoroneum & Parrhaſios bellum, Menam primi regis Aegyptiorum Idololatriam: Maris in Attica terra exũdationem, & regionis illius vaſtationem: Typhonis Aegyptij fratricidium & & tyrannidem, eius tãdem ab Iſide & Oro filio Oſiridis mortem: Lonninorum in Celtiberia exitium &c. expenderimus. Si Deinde mortem Iſmaëlis, profectiones Iacob, eius filios, eorumque ſucceſſus, & cum Angelo luctam diligenter ponderauerimus : ſanè nunquam prorſus impios deletos, & ſi vltos fuiſſe legamus, deprahendemus

demus. Aduerte rurſus Iſaac, nepotes ſuos omnes ex filijs, & afflictiones Iacob ob amiſsum filium Ioſeph: proſperitatem quoq; filij ſui Eſau, qui iam omnem terram Seir potenter obtinebat, vidiſſe. Quàm igitur mirabilis ſit Deus, in ſubleuandis ſanctis & depriméndis hoſtibus ſuis credendũ potius quàm veſtigandũ eſt. Etſi enim Iacob haberet benedictionem patris: imò diuinam vocem quæ erat, vt maior ſeruiat minori: horum tamen nihil eo tempore: imò cõtrarium apparet. Vtpote Eſau omnem terram ad montes vſque Seir occupauiſſe: Iacob verò vix ſedem, qua tutus habitaret coram mundo obtinebat: imò afflictionem eius afflictio ſequebatur. Porrò ita placet Domino cum ſanctis ſuis & inimicis Eccleſiæ ſuæ hypocritis agere, vſque in finem ſeculi. Ideò de verbo Dei nunquam dubitandum eſt, quin potius voluntati eius & admirando conſilio ſemper mos gerendus.

De euentis 12. Tribuum Iſraël.

CAPVT IIII.

DRrymus. *Exiſtimo hic ſemina, mirabilem anagogian, deſignare.* Symb. *puto tribus Iſraël.* OLISTVS. *Vtique, Nam ſemina pater cœlorum terræq́ iecit, ne herbæ omnes areſcerent: vtq; linea certa, promiſsæ ſalutis, & ſuæ Eccleſiæ conſtaret: cum inquit* מזריע זרע *id eſt ſeminificet, ſeu germinet ſemen, & quidem iuxta ſpeciem ſuam, quæ facta plenitudine in culmos ſurgerent, vtq́ue regnante ea ſpicas illius metere liceret. Hæc ſemina quid aliud ſunt, quàm duodecim tribus Iſrael? vnde continua ſucceſsione populus electus naſceretur: iſque ſecundũ ſpeciem ſuam, qui nimirum ſeruaret legem Domini, promiſsioni eius fidem haberet, & ſpe firma atque indubitata, eum, qui venturus eſſet, expectaret. Ita loquitur ſæpius in Geneſ. ſemini tuo*

dabo

dabo terrã hanc, Item faciam ſemen tuũ ſicut puluerẽ, multiplicabo ſemen tuum, in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Deinde Exod. erat quaſi ſemen Coriandri, & paſsim in ſcripturis vbique hac Μετα-φορᾷ *vtitur, quod vel ex hoc poſtremo exemplo patet. Hoc itaque ſemẽ Abrahamo promiſſum, in Iſaac poſitum, à Iacob diffuſum eſt, ſicut ſacra Biblia teſtantur. Cæterùm ſemen niſi moriatur, haudquaquam aliquid producit. Ideò huic ſemini cauſa corruptionis ipſæ nimirum elementares qualitates adijciuntur, quæ hoc ipſum, ſicut corruptioni aptum: ita & generationi idoneum reddant. Porrò hæ qualitates elementares, quid aliud ſunt quàm tribulationes, quas Iacob varijs peregrinationibus, eiusque poſteritas totus videlicet Iſrael, dum in ſeruitute Aegyptiaca detineretur, perpeſſus eſt. Ergo procul dubio per ſemen tertiæ diei: tertij millenarij propago, & quidem pietatis: non ſecus autem & impiorum, quos areſcenti herbæ per* ἀντίθεσιν *accommodauimus, ex quorum numero ſunt Altades duodecimus Aſsyriorum Rex, Kitin apud Celtiberos & ſimiles, intelligenda venit. Siquidem cum tritico zizania: cum bonis mali: cum pietate ſcandalum: cum herba opportuna, ſpinæ ac tribuli: cum benedictione maledictio, vt probentur fideles, ſicut aurum in igne ſeptuplo purgatum, & ab infidelibus dignoſcuntur, creſcunt. In infirmitate namque perficitur virtus, & quem diligit Dominus caſtigat, omnemque filium, quem recipit, flagellat. Diligenter autem aduertenda eſt prophetæ locutio, cùm dicit, ſeminificet ſemen. (Ita enim verbum verbo apud Hebræos redditur.) Aliud ſiquidem eſt ſemen viueſcere: aliud ſeminare. Hoc enim per annunciationem diuinæ voluntatis, quæ ſuæ ſpeciei, naturæque fructum in homine proferat: illud verò, ſicut Apoſtolus & Diuus Petrus docent, per ſermonem viuentis & manentis in æternum fieri poterit. Quemadmodum itaque ſeminis vis ea eſt,*

vnde motus, cupiens ſui ſimile progignere, oritur, et eò, vt ſui generis fructum proferat, ſeritur: ita verbum quoque Dei operante Spiritu ſancto annunciatum, perpetuam habet virtutem, & cogitationem, fructum in homine, in quo ſeminatum eſt, ſui ingenij & ſuæ naturæ proliciendi. Quod ſi ſecus quàm exiſtimibatur eueniat, iam non viuido ſed putrido ſemini, iuxta illud: exierunt à nobis, quoniam non erant ex nobis, eſt adſcribendum. Sic apud Math: ſemẽ bonum, homines bonos: zizania cõtra prauos, bonis ſemper admixtos ſignificat. Semen bonum ſeminatur in benedictionibus, vt Apoſtolus docet, tale ſemen eſt omnium eorum, qui ex fide non ficta bene faciunt: eleemoſynas piè erogant, & bona vberrimè fratribus communicant: quò de benedictionibus metere, & opima præmia fidei reportare poſſint. Seminatur quoque ad iuſtitiam, apud Hoſ. cum ſanctis cogitationibus fidem ſuam & proximi confirmare, ſeminaque veritatis per verba Dei legendo & prædicando ſpargere, conãtur. Porrò ſemen malum ſeminatur in ventum: iuxta Ezech, Et diſpergam vel ſeminabo omnes reliquias tuas, in omnem ventum &c. & ad nihilum deducitur, ſicut ij quos ventus à facie terræ proijcit & diſpergit. Seminatur item in ſpinas, Hier. Et ne ſeminetis ſuper ſpinas &c. cùm incaſſum & fruſtra alienum laborem poſſident. Id licet ſub Anaële ſpiritu Veneris, ſecundo iam gubernante in Maricaleo, Syro, Mamite Aſſyriorum regibus, nulla difficultate, ſi eorũ hiſtorias euoluas, videre præſertim ſi Craſſum quintum Argiuorum Regem, ſub quo primus Argiuorum ſacerdos, Pyrantis primi filius vixit: & Herculem Alemannum apud Thuyſcones regnantem, & poſtea inter Diuos relatum, cuius numina maximo honore à germanis celebrata ſunt, expendas. Circa hæc tempora Leui annorum centum triginta ſeptem moritur Lugdus regnat, à quò Lugdunenſis prouincia denominat a eſt. Aethiopes ab Indo flumine conſurgentes, iuxta Aegyptum conſederunt

Hebræorum ſeruitus ſub Amenophe Pharaone, & edictum de necandis hebræorum pueris cœpit, & ad centum vſque annos indies grauior durauit. Moſes natus eſt, quartus à Iacob, & ſextus ab Abraham: qui poſtquam quadringentis annis, hoc eſt, ad quartam vſque Iacob generationem affligeretur, ſicut Abrahæ prædictum eſt populum Iſraeliticum cum magna ſubſtantia ex ſeruitute Aegyptica eduxit. Chaldæi contra Phœnices bellum ſuſceperunt, Lis prima inteſtina oritur, pro regno inter Dardanum & Iaſium. Sub hæc ſecunda reuolutione Anaëlis, Mercurius Triſmegiſtus Aegyptiorum Rex, Sacerdos & philoſophus admirãdus, floruit. Regnũ Athenarum incœpit, cui primus Cecrops Rex præfuit. Sparetus Syros & Phœnices ſubegit. Iſraël de Aegypto educitur poſt datam Abrahæ promiſsionem, anno 430. Menſe tertio poſt Exitum, lex Dei data eſt. Cancres Rex Aegypti in mari rubro periјt. Diluuium in Theſſalia fuit, non ſolum ex imbribus, ſed quod obturatis mõtibus caſu flumina impleuerunt, & ſubſecuto terræmotu, apertis oſtijs, montiũ, aquæ in alueos regreſsæ ſunt: quo facto, mox incendiũ in Græcia ſub Phaetonte Rege oritur. Corinthus ab Hellene Deucalionis & Pyrrhæ filio, à quo primum Græci Hellenes ſunt nuncupati, & Ate, à quo Attici nomen habent, condita eſt, quæ prius Ephyrus vocabatur. Hæc omnia diuinitùs partim ob ſcelera hominũ præordinata ſunt: veluti iuſta delictorũ vltio, quo timor Domini, qui verè prima eſt ſapientia, apud homines vigeret, & piorum termini conſeruarentur: partim vt linea inconcuſsa noſtræ ſalutis permaneret, & æternum dei conſilium de reſtitutione hominis, ſuo & quidem determinato tempore patefieret. Vbi ergo quis rectius, quid מיוויעזרע *ſit, inſpexerit, ea quæ à nobis recitata ſunt, nulla difficultate depræhendet, ſed hac de re plura in capite de cognatione dierum.*

De proprietate hominis.

CAP. V.

DRymus. *Quid eſt, quòd ſequitur* עצ פרי *id eſt lignū frugiferum.* Symbulus. *Dicit lignum frugiferum non lignum ſimpliciter, vt Dial. loquitur: ſed lignum ſecundū quid. Nam lignum ſimpliciter, quod Græcis* ξύλον, *ad caduca igniq́ idonea refertur.* OLISTVS. *Licet hanc vocem* עצ *lignum & viride idemq́ue quod arborem vel ſucciſum & aridum: imò generale nomen ad omnia ligna, arbuſta, & frutices quidam interpretentur: ego tamen id niſi ſecundum quid, nequaquam conceſſero. Nullibi enim in tota Biblia* עצ *ſimpliciter viride quippiam ſignificat, ideò dixit lignum frugiferum, lignum quod eſt in agro, ſub omni ligno frondoſo, Item Ieſa: ſicut qui leuet baculum non lignum, vbi lignum non ſimpliciter arborē, ſed reſpectu baculi ſignificat. Ita Thren: exaruit, facta eſt ſicut lignum, expreſſè, lignum poſitum eſſe ſimpliciter & ſignificare aridum, depræhendimus, cui ſententiæ & Varro, qui lignum à legendo deriuauit, quòd ligna caduca in agris legebātur, quibus ad focum vterentur, haudquaquam repugnat. Hoc diſcrimen neceſſarium eſt, & dignum quod obſeruaretur, vt reuera quid lignorū vaticinium ſecū adferat intelligamus. Cùm inquit* התצא העץ עשה פרי *id eſt & produxit arborem faciētem fructum, & hîc nequaquā abſolutè lignum arborem ſignificat, ſed reſpectu eius, quod paulò antè dixit, lignum frugiferū. Hoc autem lignum frugiferum. ſi eius reuolutionem rectius conſideraueris, nihil aliud eſt, quàm homo (vniuerſa enim arbor homo eſt) hoc eſt populus Domini electus popul' Iſraël populus quē potenti manu ex ſeruitute Aegyptiaca liberauit, & omnes aduerſarios eius contriuit, atque comminuit. In eundē modū loquitur & Saluator Domin' noſter Ieſus Chriſtus Matth. Aut*

facite

facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborē malam & fructum eius malum, ſiquidem ex fructu arbor agnoſcitur. Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui cum ſitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo, de bono theſauro profert bona: et malus homo de malo theſauro profert mala &c. Hinc abundè ſatis cōſtat ipſummet Dominū per arborem hominem intelligere. Quod antea & propheta in Leuit: ſignificauit, cum diceret. Quando plantaueritis arbores ad comedendum וערלתם ערלתו *id eſt abycietis præputiū* את פריו *id eſt fructum eius. Potuiſſet Propheta vno verbo quod volebat exprimere, ſi dixiſſet auferetis fructum eius, ſed ante præputij meminit: deinde veluti expoſitionem quandā fructum ipſum ſubiūgit: Mea quidē ſententia nō ſine maximo myſterio. Ita ſolet quoq; Dominus ſæpius fructuum meminiſſe: vt A fructibus eorum cognoſcètis &c. Apoſtolus diligenter fructus iuſtitiæ & peccati diſcernit & ſcriptura paſſim fructuum mentionem facit.* ערל *ſiquidem hebræis nomen eſt præputium habens, id eſt, cuius glans in membro genitali, Cute, ſeu pellicula obducta eſt, & iudicabatur ꝑpterea à Iudæis carnalis, craſſus, prædurus, rigidus, qui figuratè etiā ad aures, labia, & cor transfertur. Hoc inquā, præputium in quotidiano quoque opere frequentius nominabatur, vt eò magis voluntas Dei inculcaretur, & veluti per hæc externa ſigna, interiora animi excitarentur, vt à carnalibus ad ſpiritualia, à corruptibilibus ad incorruptibilia, à ſenſibilibus ad intelligibilia properaremus, abyciendo præputium, quæ præputij ſunt, hoc eſt terreſtria vitaremus, & cœleſtia complecteremur. Ideò Apoſtolus inter ſpiritualem & carnalem hominem differentiam poſuit, inquiens: Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, lignum ergo frugiferū hominem circumciſum, hominem Spiritualē qui ea, quæ ſpiritus Dei ſunt curat: qui dat fructum ſuum in tempore oportuno, & benedictionis*

dictionis particeps redditur: quemadmodum lignum ſimpliciter hominem caducum, hominem nihili, carnalem, & animalem, qui cũ arbore non faciente fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur, ſignificat. Hactenus etenim Deus diluuio vniuerſali, confuſione linguarum, conſumatione Sodomæ et Gomorrhæ, et ſeruitute Aegyptiaca potiſsimis pœnis, et vltus eſt magnitudinem ſcelerum, et potentiam ſuam immenſam patefecit, vt vnicum eum colamus, Deum viuum ac æternum, eumq́ ſolum timeamus, qui omnem timorem et incutere et pellere poteſt, Cui nemo reſiſtere, ſed qũicquid Cœli terræq́ ambitu continetur, quæcunq́ue creata et non creata ſunt, omnia eius voluntati et maieſtati ſubijciuntur. Et quoniam hominem vſqueadeò immerſum peccatis vidit, miſertus ſuæ imaginis ſimilitudinis, quouſque promiſſum ſemen et lux exorietur: Legem veluti pædagogum ei ſtatuit, quam ſuperius per firmamentũ figurauit, vt verbo ſuo, electum populum, ne aut ad ſiniſtram aut ad dextram deflectat, certis terminis incluſum, videlicet lege, præceptis, ritibus, mandatis, teſtimonijs, oraculis, Iudicijs, et obſeruantia tanquam perpetua et optima Dei voluntate, in hoc digito Dei exarata et expoſita per Moſen, vulgataq́ regat, quò omnes homines Dei voluntatem, et quid in omni vita ſua faciant aut omittãt non modo cognoſcant: verum etiam cognitam, toti ab ea pendentes, ita, vt Deus præſcripſit, viuant. Et vt magis perſpicuum eßet, quod præciperetur, docendi gratia, tribus quaſi alueis tota diſciplina expreßa eſt: Morali, quæ dilectionem Dei & proximi complecteretur: Deinde Iudiciali, quæ iuſtitiam publicam, humanitatem, honeſtatem, beneficentiam, & tranquillitatem doceret, conſeruaret ac præciperet: Poſtremò Ceremonia qua Ceremoniæ de ritibus Eccleſiaſticis & ſacris, de cultu Dei externo, déque perſonis & rebus ad cultum illum pertinentibus, miniſtrantibus, & deſtinatis ſacris traditæ fuerunt. Atque hæc om nia eò ſunt inſtituta

vt di-

vt dictamen illud conſcientiæ, et igniculus à Deo hominum animis & cordibus inſitus, facilius, quid vel faciant vel omittant, eos admoneret: vt tum demum quæ ſpiritus ſunt, viuificantem illam fidei vim: imò ipſum Dei ſpiritum, quo dotati ſcimus, quæ per Chriſtum nobis donata ſunt, vita, redemptio, & ſanctificatio, appræhenderemus. Et ſicut Pſal. canit: in lege Domini Dei die ac nocte meditaremur. Circa hæc tempora Tabernaculum in Deſerto erectum eſt. Exploratores in terram Chanaan miſsi ſunt. Natiuitas quinq; librorum Moſis ſcripturæ ſanctæ fons, & initium hîc incepit, Lignum quidem frugiferum, ſed quod nondum fructum produceret. In deſerto enim per annos triginta octo, neq; ſcriptum eſt aliquid neq; actum, niſi ea quæ Numerorum quinq; capitibus leguntur, quibus tranſgreſſor tertij mãdati de ſabbato punitus: Core, Dathan, Abiron, & Eliab coniuratio contra Moſen & pœna eorundem: Item murmur populi, & pœna ſubſecuta: Virga Aaron reuireſcens & fructum producens deſcribuntur, licet illi quadraginta anni pleni magnis miraculis & hiſtorijs, Exodo, Leuitico, Numeris & Deuteronomio compræhenſis, claruerint. Cæterùm Lignum caducum neq; ipſum prætereundum eſt: ſemper enim malum bonum comitatur, et inutilis vtilem arborem, ſterilisq; fœcundam, Hoc quod portendebat, homines carnales, terreſtres, animales, caducos, & combuſtioni proximos. Ex eo numero eſt Dardanus, qui tum temporis Iaſidũ fratrem Dolo peremit, quo Cherres Aegypti, Apteras Sicyniorum, Crotopus Argiuorum, Cranaus Athenarũ Reges, vixerunt. Paulò poſt, Rameſſes cognomento Aegyptus Danaum fratrem ex regno eiecit, à quo & terra Mizraim Aegypti nomen obtinuit: ſed Argiuorum auxilio, Danaus reſtitutus eſt. Non multò antè Troianorum regnum, anno videlicet vltimo Aſcatadis, cum Ato donauiſſet Dardanum parte agri Mæonici cepit. A diluuio autem ad cõditam vſq; Troiam 830. an-

ni numerantur Beroſ. Euſeb. & Annio conſentientib. Porrò Moſes in Campeſtribus Moab, eo tempore quo Dionyſius Nyſam in India condidit, & Thurrenus apud Ianigenas regnauit, ab exitu anno 41. à condito orbe 2494. moritur, cui Iehoſua ſucceßit, & in terram promiſſam Iſraelem duxit, ac præfuit annis triginta duobus, ſeptem annis reges Chanaan deuicit, ſequentibus viginti quinque annis circa diuiſionem terræ fuit occupatus, quo tempore Orcus quoque Moloſſorum rex, Proſerpinam rapuit, Hæc volens in modum ἀντιθέσεως *redigo, vt vtriusq́ ligni prophetia clarior exiſtat.*

De euentis Heroum,

CAP. VI.

DRymus. *Ergò de euentis Heroum dicendũ erit.* Symbulus. *Suſpicor.* OLISTVS. *Maximè, nam penes populum Iſraeliticum, cui Deus iam dedit certam politiam, & peculiare quoddam regnum, in quo nihil deſiderari, quod ad verum cultum Dei, ad ſacerdotium, imò quod ad ciuilem iuſtitiam attinet, poßit: Semper Eccleſia & regnum Dei ac verum verbum vſq; ad paſſum Chriſtum manet, & conſeruatur, Vt meritò Arbor frugifera, cuius ſemen ſit in ſemetipſa, iuxta ſpeciem ſuam, fructum ſuum centeſimum ſexageſimum & trigeſimũ producat. Poſt defunctum enim Moſen, huic populo Principes, partim autoritate prudentium hominum creantur: partim à Deo vocatione peculari excitantur, per quos res inſignes gerat, ſeq́ adeſſe, et ſuos fideliter tueri, etiamſi periculorum fluctibus aliquandiu agitari videantur declarat, ij principes ſunt veluti fundus, in quo veræ politiæ ſemina iacta, in culmos ſurgunt, & arbores frugiferæ ſertæ, fructum abundantem ferunt, ex quo nulla iniuria*

haud

haud exiguum fructum capere, ipſum nempe ſaluatorem licet. Tales erant poſt Moſen, Iehoſua, quo tempore Obed Boas, ex Rahab Ierichontina genuit, Iordanis ſiccatur. Iericho capitur, Sol in cœlo immobilis ſtat. Bithynia condita literas ad ſcripturam, tradidit, & vermiculum, vnde color puniceus dictus conficitur, inſtituit. Othôniel ſeu Athiel annis octo iudicauit, cuius anni adnumerantur annis Iehoſuæ. Hic Othoniel, frater nempè Caleph iunioris, liberauit Iſrael de oppreſsione regis Meſopotamiæ, quem percuſsit. Tunc Ephira ciuitas, quæ nunc Chorintus, à Siſypho condita eſt, & Europa Cretenſium Regina, à qua tertia orbis pars denominatur, vixit. Deinde ſecutus eſt Aehud, qui Eglon regem Moabitarum interfecit, & Iſrael ab ipſorum ſeruitute liberauit, cumq́ terra à tumultibus bellicis libera eſſet, ſtatim hiſtoria Micha & filiorum Dan contexta eſt, eo nimirum tempore, quo Paris apud Celtas regnauit, & Maro Labyrinthum in Aegypto, quem Dædalus imitatus, in Creta regnante Minoe, ædificauit, et paulò poſt nefandum illud ſcelus Gabaonitarum Beniamin, cum vxore Leuitæ peregrinantis perpetratum, accidit, quando videlicet Boreas Aſtræi filius, à quo ventus Boreas dictus eſt, viueret, & propter crimen ſtupri deſtructio Beniamin, & Gabaon veluti iuſtiſsima Dei vltio, ſubſecuta eſt. Hæc vbi diligentius fuerint ponderata, non poterit non æquus lector maximum fructum acceſsiſſe Iſraeli, circa hæc tempora concedere, & rectiſsimè huc Geneſis arborem facientem fructum, quadrare. Nam Moſes eduxit populum, & legem conſcripſit. Iehoſua in terram promiſsionis populum duxit, & cuilibet ex tribulus portionem iuxta mandatum Domini tribuit. Othoniel & Aehud Iſrael ex ſeruitute regum Meſopotamiæ & Moabitarum liberarunt: tranquillitatem omnium maximum fructũ & pacem Iſraeli ſeruarunt. Vt iam nil eis aliud incumberet, quàm vt ſecundũ legem

Domini viuerent, & iuſtitiæ fructum acciperent: iuxta illud Pſal. Vtiq; fructus eſt iuſto. Prouerb. De fructu manuum ſuarum plantabit vineam. Leuit. Et dabit terra fructum ſuum. Quod ſi legem Domini ſpreuerint ſicut Pſal. inquit: Fructus ipſorum de terra auferetur, & ſemen eorum à filijs hominum. Hunc fructum Zachariel ſpiritus Iouis per integram reuolutionem continuat. Samgar enim filius Anath, qui poſt Aehud Iſraelem iudicauit 600. Philiſtæos baculo paſtoris occidit, Tempore Lemanni Celtarum regis, vnde Lemannus Lacus in Heluetijs nomen ſortitus eſt: & Olani Thuſcorum regis, qui Olanum quod poſtea Mediolanum dictũ eſt, condidit: tunc apud Pythiam vates prima Phemonoe hexametris verſibus futura ceciniſſe narratur. Debora & Barach Samgar ſucceſſerunt, & contra Iabin regem Chanaan pugnauerunt. Circa hæc tempora hiſtoria Ruth orta, & Pegaſus equus velociſſimus inuentus eſt. Tandem Gedeon in Iudicem eligitur: qui à ſeruitute Madian percutiendo Zebee, Zeb, Salmana, & Oreb reges populum Dei liberauit, eo tempore, quo Argiuorum regnũ ad Mycenas tranſlatum eſt. Galathes iunior, apud Celtas rex, Sarmatas vicit, Galatasq; Aſiæ condidit, & Midas in Phrygia regnauit. Abimelech tyrannus interfectis ſeptuaginta fratribus ſuis per ſeditionem regnum in ſe tranſtulit: ideoq; & ipſe cùm oppugnaret turrim apud Thebas, à muliere fragmento molæ aſinariæ interfectus, pœnas dedit. Pico iuniore Aboriginum rege dominante, quo tempore & Miletus, patria Thaletis ex ſeptem ſapientibus Græciæ, condita eſt. Hic vnicus hunc eximium fructum arboris frugiferæ impedire conabatur. Verùm enimuerò Deo vindictam & ipſe retribuit, ac in eius locũ Tholam de tribu Iſſachar ſubrogauit. Hoc tempore magna pax Iſrael erat. Phidamon Delphius nobilis habetur, qui primus apud Pythiam Chorum ſtatuit. Linus Magiſter Herculis claret. Atrociſſimũ inter Cretenſes & Athenien-

nienſes bellum fuit. Illi horum filios Minotauro deuorandos crudeliter exponebant. His quoq; temporibus Argonautarum nauigatio, & Orpheus Thrax muſicus celebris habetur. Poſt Tholā Iair Gileadites Iſraeli præficitur, & pari ratione ſub hoc terra Iſrael in maxima tranquillitate vixit. Hoc tempore Lapithæ & Theſſali famoſis nimiū certauêre conflictibus, ij ab illis Centauri, quòd in bello diſcurrentes equites, veluti corpus vnum equorum & hominum viderentur, nuncupati ſunt. Cæterùm cum hæc terra ſæpè venientem ſuper ſe imbrem nō biberet, neq; herbam opportunam generaret, proferēs ſpinas ac tribulos, reproba & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem facta eſt. Ideoq; interregnum in Iſrael, annis decem & octo, quib. Hebræi ſeruire Philiſtæis & filijs Ammon coacti ſunt, fuerat. Dimiſerūt etenim Dominum, atq; idolis Baalim & Aſtaroth, Dijs item Syriæ ac Sydonis Moab & filiorū Ammon & Philiſtijm ſeruierunt. Quare iratus Dominus eos in manus Philiſtijm & filiorum Ammon miſerrimè affligendos tradidit. Circa hæc tempora Hercules Cacum interemit: Ilium cepit: Laomedonta interfecit: Priamum occiſi filium regem Troianorum fecit, Qui Ilium ita exornauit vt nulli maximarum vrbium ornatu, & potentia cederet: Androgeus Athenis interfectus eſt: Scythæ Aſiam vectigalem, duce Tanahe Gothorum rege, fecerunt. Vbi verò Iſraelitæ oppreſſi valdè magnam pœnitentiam agerent, idola proieciſſent, & ad Dominūm clamarēt: tunc Iephtah, Gileatides Spurius, facto ſuper ſe ſpiritu Domini, regem Ammon, et ſeditioſos de monte Ephraim, vbi quadraginta duo milia Ephraitarum interierunt, percuſſit, filiamq; vnicam ſtultè immolauit. Hiſce diebus Menelaus Lacædemonum Rex: Theſeus Athenienſibus exoſus, ad Lycomedem Syriorum regem confugit, à quo doloſè ſaxis præcipitatus interemptus eſt. Lampetho & Marpeſia primæ Reginæ Amazonum vixerunt,

& bellum Amazonum contra Thebas viguit. Theſeus Helenam rapuit: inde ab Aidoneo Moloſſorum rege captus, per Herculem liberatur. Poſt Iephtah Ibzan ſeu Abeſſon, quē nonnulli Hebræorum Boas ſeu Booz patrem Iſai, auum Dauidis, qui Ruth vxorē duxit, exiſtimant, iudicauit, tempore Latini regis Aboriginum, hinc & Latini Originem traxerunt, Item Mini in Sicilia aduerſus Dædalum arma corripientis, à filiabus Cotali interfecti, quando et Hercules ob morbum peſtilentem ſe in flammas iecit, fatoq́ functus eſt, & Græci Helenam, quam Alexander, qui & Paris filius Priami dicitur, Menelai Spartanorum regis vxorē rapuit, à Troianis repoſcunt, qua negata, bellum contra Troiā per quinquennium, ſeu vt alij per decenniū parant. Deinde Elon ſeu Aialon de tribu Zabulum in iudicē Iſraelis ſufficitur, cum Græci nauibus mille ducentis & duabus Troiam appuliſſent, Mopſus in Cilicia regnaret, Protheus Aegyptius Sacerdos Prothei magni clarus haberetur, & Diluuiū Pharonicū, in quo Pharon Inſula Aegypti aquis tecta eſſet, exoriretur. Tum demū Abdon filius Elel Pharathonites Iſraeli iudex præficitur, eodem anno quo Troia capta eſt. Sub Abeſſon, Aialon et Abdon tempora tranquilla fuerunt. Vnde idololatria etiamſi in Iſrael increbuit, Abimelech quoq; tyrannidem exercuit, vltione tamen inflicta diuinitus, & pœnitentia excitata, nequaq̄ tribulos ſpinasq́ producere terrā & ſterilem ſinit: quin potius conuertit Deus populum, Deut. per tribulationes, & conuerſis. Reg. ad ſe pepercit, vt fructum. Pſal. ſuū daret in tēpore ſuo. Cuius miſericordiā immenſam ſub tribus iſtis Iudicibus plus ſatis videre licet. Nam extra populum Iſraeliticum inteſtina bella & variæ atq; acerrimæ conflctationes vigebant. Iſrael verò quietiſſimus toto illo tēpore durauit. Quis iam nō videt fructū tertiæ diei, huic tertio millenario per omnia non correſpondere? imò certiſſimum fuit vaticiniū, ſicut vnanimiter oēs hiſtoriæ

faten-

ſatentur. Itaq; poſt defunctū Abdon, Sāſon ſiue Simſon filius Manoach, de cognatione Dan, fortiſsimus Iſraelis Iudex eligitur, isq; denuò Iſraelē 40. annis afflictū propter pctū, quo offenderant Dominū, anno 7. Diapolitanorū, quo Aſcanius apud Latinos regnauit, de manu Philiſtæorū liberauit. Hoc tēpore Homerus primus, patria Smirnenſis floruit, & Oreſtes Pirhū in templo Apollinis interfecit. Poſt Samſonē Eli ſacerdos iudicat. Huius ignauiā, neglecta filiorū pia educatio, ſatis arguit, ideò vnà cum filijs à Domino eſt punitus, ſub hoc natus eſt Samuel, primus prophetarū. Circa hoc tempus Amazones templū Dianæ Epheſi ſuccēderunt. Aſcanius nouam vrbem Albā longam, relinquens nouercæ Lauiniū, cœpit condere. Reges Sicyniorū defecerunt, et poſt eos ſacerdotes carni ſunt inſtituti. Hic finit Zachariel, et Raphael ſpirit⁹ Mercurij gubernationē ſuſcipit, qui & ipſe per 150. annos hunc fructū celebrat. Samuel.n. populo Dei præeſt, anno 70. poſt captam Troiam, quando & Dores Peloponneſum obtinuerunt, & Sicyniorū regnum Argiuorumq; ceſſat. Quoniā verò 20. annis arca Domini exulauit, Iſrael pœnitentiā egit: ac rurſus per Samuelē à ſeruitute Philiſtinorū liberatus eſt. Tum demū Iſrael regem petit à Samuele: cui diuinitus datus eſt Saul, primus rex Iſrael, de tribu Beniamin, qui propter inobedientiā à Deo abiectus, quo tempore Peloponnenſ. contra Athenienſ. dimicāt, & Dauid à Samuele electus, in regemq; vnctus eſt, quādo Homerus Chius magica arte clarus floruit. Hic Dauid 2. Rex Iſrael fuit ex tribu Iuda, ex qua ſalus mundo ꝓmiſſa erat, cui rurſus, poſtq̄ Iſboſeth filius Saulis interfectus eſſet, & regnū vniuerſum ad Dauidē relatū, promiſsio de futuro Meſsia facta eſt, paulò poſt Codri vltimi Athen. regis mortē. Et qs hîc maximi regis fructū nō admirabitur? Chriſtus.n. ex lumbis Abrahæ, ex tribu Iuda, ex ſtirpe deinde Dauid, ſpirpe nimirū regia oriri voluit. Hic eſt ille fruct⁹ tertij millenarij, 3. die exp̄ſs⁹,

quo

quo tertius dies ſicut clauditur: ita tertius millenarius finitur, & qualis hic fructus eſſe debeat, exponit. Quemadmodum enim antea per Abel, Noach, Abraham, Iſaac, Iacob, &c. deſcriptus eſt: ita hic melius depingitur per Dauidem. Sicut enim Dauid Rex et Propheta erat, & ab Abſalon filio multa perpeſſus eſt, qui non modo Ammon fratrem occidit, verùm etiam ſeditionem aduerſus patrem mouit, paulò poſt Epheſum ab Andronico conditam: Ita Chriſtus Rex Iudæorum & verus Propheta, vtpotè filius Dei altiſsimi exiſteret, Deinde à proprijs filijs multa pateretur, quod vel in Iuda proditore patet. Et vt magis futura ſalus credentibus innoteſceret, vmbram futurorum bonorum ſuo populo adijcit, velut ſignũ, quo facilius recordari poſsint futuri Meſsiæ, eumq; agnoſcere, & recipere, Salomoni filio Dauidis regnum tradit, & templi ædificationem, quod Chriſti corpus figurabat, committit, anno duodecimo Hiram regis Tyrij, paulo poſt conditam Carthaginem à Carcedone Tyrio. Et licet ob Idololatriam Salomonis, cuius tempore Ionathas, Iddo, & Abija Siloriotes prophetabant, regnum Iſraelitarum ſciſſum eſſet, defecerunt enim decem tribus à Rehabeam filio Salomonis, ad Ieroboam filium Nebath: nihilominus tamen Iuda & Beniamiti partes Rehabeam Semaiahu & Iddo, prophetantibus, propter Dauidem, ex cuius ſemine Meſsias eſſet oriturus, ſequebantur. Et ſiquidem huius Rehabeã ſiue Roboam impietas, in oneribus & exactionibus regni, quòd conſilijs maiorum parere haudquaquam voluerit (ſequebatur enim conſilia iuuenum, neq; pro æquitatis ratione quicquam remittere volebat) effecit ſeueritate ſua, quòd mutatio non modo regni ſubſecuta ſit, imò & Seſac Aegypti rex templũ & Hieruſalem ſpoliauit. Ideoq; hoc damnum ſecutum, & nouum regnum in Samaria auſpicatum eſt, non ſine ingentium bellorũ vtrinq; occaſione. Verùm etenim in tribu Iuda, poſteritas Dauidis, imperium retinuit, & re-

gem

gem Iuda, tribus Beniamin ſecuta eſt. Quantumuis autem Reges Iuda, ferè non minus, ac Iſraëlis, in Idolorum cultu eſſent occupati, relinquentes verũ Dei cultum: vtroſque tamen ad pietatem & veri Dei religionẽ hortari Deus nequaquã ceſſauit. Nam Iſraëlis impietatem & iniquitatẽ quæ cum Ieroboã primo Iſraelis rege, qui ſimulac regnum acceperat, nouam religionẽ excogitauit, & populũ à Deo ſuo ad vitulos aureos abduxit, cœpit: Deus Iehezkeli, ſeu Ezechieli portandã, vt deinde patebit, imponit: quæ durauit annis 300 vſq; ad 23 Nabuchodonoſoris annũ, in quo reliquiæ tam Iudæ quã Iſraelis adductæ ſunt. Cæterũ Iudæ trãſgreſſiones & rep̃hendit cõtinuò & puniuit. Abijachu enim regnante, quã diu veſtigia veræ religionis ſecutus eſt, in bello & ſermone longo contra excercitũ Iſrael, Iddo prophetãte, victoria diuinitùs data potitus eſt: vbi verò ad idololatriã ſe conuertit, nõ modò captus ab Ieroboam, verumetiam ob tantã ingratitudinem percuſſus à Domino, parũ regnauit. Quare Aſa filius eius Azariachu filio Odad, Hanani Vidente, & Iehu filio Hanani prophetãtibus, in Regnũ ſucceſſit, & magnã laudẽ, quòd impiũ cultum Dei, qui cõtra verbum Dei inſtitutus erat, abrogauit adeò etiã quòd ne matri quidẽ ſuæ, in hac parte pepercit: nã & illa peculiarem quendam cultũ Dei ſequebatur, meruit: eoq; nomine Deus eũ aduerſus Arabes: quos pugna vicit, fortunauit. Tandem & ipſe ob conſpirationem quandam, quam relicta fiducia in Deũ inierat, poſtquã Baeſa percuſſerat Nabad, punitus eſt. Ita ſatis ſuperq; patet Vaticiniũ fructus Arboris tertio die Creati, quem mirabili ſuo & æterno conſilio aduerſus oẽs calamitates & perſecutiones omnium impiorum Deus conſeruat. Quomodo autem hic fructus exoriatur, & quæ eius officia ſint in quarto Die docetur: qui & ipſe quarti millenarij certiſſimam prophetiam continet.

PAVLI PRINCIPIS DE LA SCALA ET HVN. MARCHIONIS VERONAE, &C. DOMINI CREVTZBVRGI IN PRVSſia. Miſcellaneorum de rerum cauſis & ſucceſsibus, Liber ſeptimus.

De euentis quarti diei.

CAP. I.

DRymus. *Quartus autem dierum quidnam?* Symbulus. *Hunc ego exiſtimo medium ſeculorum.* DOLISTVS. *Benè: eſt enim quartus millenarius. Eius Euentum propheta ſic patefacit: Dixit verò Deus: fiant luminaria in firmamēto cœli, & diſtinctionem faciant inter diē & inter noctem & ſint in ſigna, & in ſtata tempora, & in dies atq; in annos. Et ſint in luminaria in firmamento cœli, vt lumen præbeant ſuper terrā, & factum eſt ita. Fecit aūt Deus duo luminaria magna: luminare maius in Dominiū diei, & luminare minus in dominiū noctis, & ſtellas, poſuitq́; eas Deus in firmamento cœli, vt lucē præberent ſuper terrā. Et vt dominarentur ipſa die, atq; ipſa nocte, & diſtinctionē facerent inter lucem et inter tenebras: & vidit Deus quòd eſſet bonū, & fuit veſpera, fuitq́; mane dies quartus. Quandoquidē rurſus tenebræ filios Dei, et quidem denſiſſimæ etiā poſt legem latam inuaſerunt, adeò vt legē quoque Dei ſpernerent, & lucem primi diei iam olim pulſam, Dæmoniorum cultibus, & grauiſſimis delictis nō ſecus ac in tēpore inani deditiſſimi, nihil minus quā cernerent. Voluit Deus immenſam ſuam miſericordiā hac in parte quoq; patefacere, atq; luminaria in firmamento cœli creare, quæ diſtinguerent diem à nocte: ipſam nimirū lucem à tenebris, hoc eſt, voluit legi, quæ per firmamentū figurata, eti-*

ta, etiam ſuperius eſt, addere luminaria, hoc eſt, prophetas, qui pios ab impijs diſcernerent & ſegregarent: qui iuſtitiam Dei eiusque voluntatem docerent, atque cultū alienorum Deorū improbarent, & omnem Idololatriæ anſam, & quamtumuis minimam occaſionem auferrent: atq; præpararent viā domino, & in ſemitis eius ambularēt. Hic dominus figuratur per ſolē: reliqui verò prophetæ, qui nocti præſſent, hoc eſt, ijs qui ſub lege tanquā ſub pædagogo verſarentur, per lunā & ſtellas: reuera enim tempus legis nox eſt, reſpectu temporis gratiæ, ſicut ſuo loco patebit. Dixit ergò Deus fiant luminaria in firmamēto cœli, quaſi dicat, ob tanta & quidē horrenda ſcelera filios hominū primò diluuio perdidi, ſecūdò per confuſionē linguarū diſperſi, tertiò quoſdā igni deuorandos in exemplum aliorū permiſi, quartò varijs peregrinationib. & ſeruitutibus affeci, nōnullos terræ abſorbendos cōmiſi, bellis item excitatis in Alienigenarum manus tradidi, Regnum Dauidis diuiſi, vt iam non vnum regnum, ſed diſtinctum in regē Iuda et Iſraelis eſſet, vtrinq; ingētium bellorum occaſione exhibita. Hæc omnia ideò feci, quoniam nō coluerunt Dominū Deum ſuum, qui creauit cœlum et terrā et quæcunq; in eis ſunt, qui populum elegit, et ex ſeruitute Aegyptiaca liberauit: qui eum in terrā lacte et melle fluentē introduxit, anteaq; in deſerto manna pane angelorum pauit, qui omnes inimicos ſui populi ante pedes eorū proſtrauit. Cùm igitur ad alienos Deos ſe conuerterēt, et corda indurarēt, meritò hæc feci. Cæterū ne et hîc meo muneri defuiſſe videar: miſericordiam meam non auferam ab eo, cui miſereor, et in quo miſerebor. Propter hunc ergò in quo miſerebor, creo luminaria, quò huic tam tetræ nocti, ne intercipiatur linea promiſſæ ſalutis, luceant, et firmamentum aſpicere, imo cernere valeant, hoc eſt, mitto ſeu adiungo illis prophetas, qui declinantes commoneant et erigant, eisque legem in qua lucent, conſpiciendam tradant, id eſt, quæ lege compræhenſa ſunt doceant.

Ita Paulus Corinth. inquiens. Quoniã Deus eſt qui iuſsit è tenebris lucem illuceſsere, reddidit, quæ vt Ieſa: habet, Obſcurata eſt in influentijs, ideò rurſus dicit: Et iudicium meum in lucem populorum ſiſtam Nam prouerb. Lux Lætificabit & pſal. Lux orta eſt iuſto & rectis corde lætitia. De hac loquitur Ieſa. Dabo te in lucem gentium. item pſal. in luce tua videbimus lucem & יהוה *eſt lux mea. Propter hanc lucem ergò creauit reliqua luminaria præter ſolem, quæ haudquaquam lucent niſi nocte, & ſicut Ezech. inquit. Luna non illuminabit luce ſua. Quid poteſt dici clarius? luna, inquit, non illuminabit luce ſua: Vtique ergo luce ſolis. Quis eſt iſte Sol? Sol vtique iuſtitiæ, datus in lucem gentium. Huius lucis beneficio videbimus, inquit pſal. lucem. Nam Dominus lux mea: Luna verò & cæteræ ſtellæ eò lucent vt aptos & idoneos reddãt eos, qui in tenebris ambulant ad conſpiciendam veram Solis in luce lucem, vtq; tum demũ tenebræ, quod etiã pſal. canit, ſicut lux ipſa, ſint. Eã ob cauſam fecit Deus luminaria. Huc reſpiciens Apoſtolus ad Philippenſ. inquit: inter quos lucete tanquam luminaria in mundo ſermonem vitæ ſuſtinentes. Quid clarius dicere apoſtolus potuiſset? Certè manifeſtè per luminaria miniſtros Dei ſignificat. Quare cum prophetæ miniſtri Dei, & qui populo rectores à Deo dati, ſint: rectiſsimè per luminaria prophetas intelligit: qui & cum quarto hoc millenario cœperunt, niſi quis prophetas à Moſe numerare incipiat. Idem etiam ab Adamo licebit, ſed diſcrimen hîc habendum eſt. (Saul enim quoque erat propheta) inter ſpiritum propheticum politicæ gubernationi conuictum, & ſeparatum, ac nulla difficultate, cur iudices prophetas antecedant, & tempore primùm Salomonis prophetæ cœperint vt* נסחרעלםזוטא *habet, intelliget.*

De e-

De euentis ſignorum & prophetarum.

CAPVT II.

DRymus..*Quando mutationes ſecutæ?*Symbulus. *Anno duodecimo imperij Aſa.*OLISTVS. *Vtique. Nã tribus millibus annorũ expletis, hoc eſt media parte totius ætatis mundi, maximæ ſtatim & repentinæ mutationes in omnibus imperijs acciderunt bella & cædes exortæ ſunt, non aliundè quàm propter populi Iudaici Idololatriam, quam Deus & pœnis varijs afficere, & prædicatione prophetarum priuare voluit. Ideoq́ potiſſimum prophetas, quos luminaria denotant, eis adiecit, vt ſint veluti ſignacula promiſſionis Diuinæ, qui teſtimonium perhibeant de futuro Meſſia. Hinc eſt vt Dominus ipſe dicat: Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me. Item: Nolite putare quia ego accuſaturus ſim vos apud patrẽ, eſt qui accuſat vos Moyſes: in quo vos ſperatis. Si enim crederetis Moyſi, crederetis forcitan & mihi: de me enim ille ſcripſit. Si autem illius verbis non creditis, quomodo verbis meis creditis? Petrus idem in hæc verba ait: De qua ſalute exquiſierunt atque ſcrutati ſunt prophetæ, qui de futura in nobis gratia prophetauerunt, ſcrutantes in quod vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti: prænuntians eas quæ in Chriſto ſunt paßiones, & poſteriores glorias: quibus reuelatum eſt, quia non ſibimetipſis vobis autem miniſtrabant, ea quæ nunc nuntiata ſunt vobis, per eos qui Euangelizauerunt vobis &c. ſic Prophetæ ipſi erant in ſigna, qui ſigna certiſſima futuri Meßiæ darent, vt Eſa. propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce virgo concipiet & pariet filium & vocabitur nomẽ eius Emanuel. Itẽ: Et erit Dominus nominatus in ſignum æternum, quod non auferetur. Ad eundem modum & Apoſtolis, vt Apoſtolus ad Corinh. Signa*

tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigijs, & virtutibus. Et vt clariꝰ, quomodo prophetiæ in ſignũ ſint, fiat, apoſtolus ad Corinth. ita loquitur: Itaq́ linguæ in ſignũ ſunt non fidelibus ſed infidelibus: prophetiæ aũt nõ infidelibus ſed fidelib. Sunt ergo prophetæ reuera in ſigna, vt ſint iuxta Apoſtolũ ad Rom: inexcuſabiles, quicunq; intelligũt quæ Dei ſunt, neq; tamen ea faciunt, ſed euaneſcunt in cogitationibus ſuis. Propterea pſal canit. Signa noſtra nõ videmus, nec eſt amplius propheta &c. Nã prophetæ diuinitùs ſigna faciebant, & per eiuſmodi ſigna voluntatẽ domini annunciabant. Cũ ergò populus domini vſqueadeò à Deo ſuo declinaret, vtiq; hiſce luminarib. & quod diuinitùs proficiſcerẽtur, ſignis cœlitus per prophetas datis egebat, partim vt per prophetas ei totius religionis ſtatus, pactũ & Symbolum ſubinde innoteſceret: partim vt per eos miracula inſolita & portenta fierent, vtq́ exemplo, recordationi, & experiẽtiæ omnibus exiſterẽt. Quod ad priorẽ partem attinet, ſi quis ſcripturarũ penetralia cõſulat obſcurum non erit, prophetas eò populo datos, vt fœderis & ſymboli, quod cũ patribus pepigerat Dominus, frequentẽ mentionẽ facientes, circumciſionẽ, & agni paſchalis manducationẽ ſolennẽ cõmemorando, populũ in officio retinerẽt: quib. dominus atteſtatur futurorum bonorũ promiſsionẽ, quòd ipſe in ſuo filio in perpetuum ſanctificator ſit cõſummaturus, & ab omni labe & macula, ipſaq́ ruga purificaturus, & liberatos à Sathanæ vinculis in æterna tabernacula perductur ꝰ. Eſt aũt ſignum cũ aliud quippiã, per hoc quod videtur, indicatur, ſiue id propriè, vt apud Lucã: Eſt in ſignũ cui cõtradicetur: ſiue per tranſlationẽ, vt Bouem triturantẽ non infrenabis. Sunt ergo prophetæ reuera ſigna & inditia diuini amoris erga pios, & iræ erga impios, quòd ab illis recipiantur: ab his nõ modò reijciantur, verumetiã neci tradantur: atq; hoc ſignum per oẽs prophetas, clarũ & manifeſtum eſt, vt nõ ſine cauſa apud Lucã dominus

dicat.

dicat: Hieruſalē, Hieruſalē, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te. Quomodo aũt hæc ſigna ſe mutuò conſequãtur apud Math. ſatis manifeſtè Dominus docet. Quum autē tempus fructuum appropinquaſſet, miſit ſeruos ſuos ad agricolas, vt acciperēt fructus eius, Et agricolæ appræhenſis ſeruis eius, alium cæciderũt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt, vltimò appræhenſum quoq; filium eiecerũt extra vineam, & occiderũt. Hic dominus ſuccesſionem ſigni ad ſuum vſque aduentũ expreſſit. Quemadmodum enim per cœleſtia ſigna varia nobis imminent, ita per prophetarũ vaticinia varia ſignificantur: vt reuera non minùs prophetæ & ſerui Dei hominibus, atq; ſol cæteræq́ ſtellæ in firmamento lucerent, ſicut ſcriptũ eſt: Luceat lux veſtra corã hominibus. Hæc lux extincta, ſicut & Aſtrorũ priuata, quò minꝰ luceat, magnæ cuiuſdã mutationis & calamitatis ſignũ erat, vt Dominus ipſe ibidē inquit. Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnũ Dei, & dabitur genti faciēti fructũ. id licet videre in Saul, Rehabeã, Abyachu, in ipſo quoque Aſa, qui prophetam Hanani, à Domino miſſum, vt conſpirationē & fœdus quod inierat cum Rege Syriæ Benadab propter Baaſa regem Iſraël exprobraret, Carceribus incluſum ad podagrã vſque detinuit. Licet deinde Aſa eadē pœna affectus, eo tempore, quo Roma deſtructa eſt, Nepher, Cherres, Aegypti rex & Calpetus Syluius nouus rex Latinorũ regnabant, obijt. Cæterũ quod attinet ad alteram partē, quæ prophetas eò quoq; diuinitùs miſſos, vt per eos miracula inſolita & portēta fierent, continet: paucis & quidem ordine initium à miraculis facientes, exponemus. Manifeſtũ enim eſt Eliam & Eliſeum ad hoc munus obeundum, ſecundo huius ætatis anno natos: cum Sera ſiue Zareia Aethyops, contra Aſam aſcendit: quem Dominus mirabiliter profligatum in fugam conuertit, quando Phelletes Aſſyriorum rex fratrem Aſtartinum interfecit, & Capis Syluius Latinorũ rex Capuã condidit, & tempore

Ioſaphat

Ioſaphat atque Ioram regum, quo & alij prophetæ, puta Iechu filius Hanani, Obadia, Micha, Iechiel filius Zechariæ, & Eleazar filius patrui vixerunt non modo doctrina, verùm etiam miraculis inſignes fuiſſe. Atq; hic eſt ille magnus propheta Elias, quē ſub Ioſaphat, quando Achab occiſus Ieroboamq́; domus deſtructa eſt, obq́ue huius regis, ſtudium religionis, & quòd magna ſedulitate omnia officia regia, cuique hoc nomine Deus & præclaras victorias donauit, adminiſtraret, in initio mediæ mundi ætatis, Dominus vt verbum & promiſsio de Christo ſubinde innouaretur exſuſcitat: ſub quo etiam reliqua tria millia annorum, quo certiores ſimus, luminaria quarto die creata, inceperunt. Hic Elias propter impietatem Achab qui ſucceſsit Baaſa, Ela, Zambri & Amri, qui antequā reædificaretur Iericho, vxorem Iezabel duxit, iuxta oris ſui verba, certis annis pluuiam & omnem rorem prohibuit, ideò torrens, dum paſcebatur à coruis, ſiccatus eſt: Viduæ Sidoniorum Sareptanæ farinæ pugillum in hydria, & paululum olei in Lecytho habenti, per totum illud tempus, quo non pluerat, inexhauſtum reddidit, eiusq́ue filium mortuum Oronem ſuſcitauit: quadraginta Baal ſacerdotes interficit, qui tum demum fugiens Iezabel ab angelo paſcebatur, mortem Iezabelis prædixit, Achab ad pœnitentiam conuertit, licet poſtea ſicut & Micheas prædixit, interierit, cui ſicut Ochoſias, ſic ipſi Ioſaphat Ioram ſucceſsit, Spinace Aegyptiorum Rege, Mezade Athenienſium iudice & Tyberino Syluio, Latinorum rege viuente, cum & Agelas apud Corinthios regnaret, & poſtquam Ochoziam lapſum è cænaculo & Beelzebub conſulētem corripuiſſet, ac quinquagenarios igni cōſumpſiſſet mortuoq́ue ochozia, Ioramq́ue fratre eius ſuccedente, viuus curru igneo, & equis igneis ab Eliſeo diuiſus, per turbinem in cœlum, Archelao ſeptimo Lacodemoniorū regē imperāte, ſublatus eſt. Eſt autem memorabilis hiſtoria per quam Deus, poſt Diluuium, in altero

mundo

mundo, exemplum & ſpem melioris vitæ, poſt hanc vitam dare voluit. In primo mundo ante diluuium Dominus hanc futuram & beatam vitam, in Henoch nobis commendauit. In ſecundo exemplum Heliæ dedit. In tertio, ipſum Chriſtum liberatorem noſtrum aſcendentem ad cœlos, cum alijs multis ſanctis, illuſtrius exemplũ habemus. Porrò Eliæ Eliſeus, filius Saphat de Abelmeula, quem Elias arantem repererat, & pro ſe Prophetam vnxerat, & ipſe doctrina pariter atq; miraculis clarus, Perſuſenne apud Aegyptios regnante, ſucceſſit, aquas mortiferas dulces reddidit, quem vbi pueri irriderent, ab vrſis lacerati ſunt: Regibus Iudæ, Iſrael, & Edom à Deo aquas impetrauit: pauperculæ viduæ oleum, & Sunamitidi hoſpitæ ſterili filium à Deo impetrauit, eumq́; mortuũ oratione ſuſcitauit: amarum pulmentum dulce fecit, viginti panibus hordeaceis centum viros pauit, & plures ſupererant: Naaman Syrum à lepra curauit, ferrum ſecuris natare fecit, Syros obcæcatos in mediam Samariam duxit, Deinde per vnum ex filijs prophetarum Iehu filiũ Ioſaphat, filij Namſi, regem ſuper Iſrael eo tempore, quo Mettinus rex Tyri imperauit, inunxit. Vixit autem Eliſeus vſque ad Amaſiæ regis Iuda regnum, ac quinto anno eiuſdem, hoc eſt, ſub Ioas regis Iſrael anno ſexto, cum Cephrenes rex Aegyptiorum ſecundum ingrederetur regni ſui, & Auentinus Syluius Latinorum rex tertium annũ, mortuus eſt, cuius cadauer mortuum hominem alium, à quo fortuitò tangebatur, vitæ reſtituit. Hinc manifeſtum eſt, quomodo luminaria creata ſint, in ſigna miraculoſa & inſolita, ſuſcitare enim mortuos, in cœlos ſubleuari, exiguis panibus multos paſcere, lepram curare, & ſimilia ab Elia & Eliſeo facta, exercere, non poteſt non eſſe niſi miraculum & inſolitum quippiã. Sed hactenus de ſignis miraculoſis, quæ fidelium imbecillitatem nonnihil firmant, infideles excæcant, & in teſtimonium damnationis, vt patet in Pharaone, Iezabel, &

Eee ſimili-

ſimilibus, fiunt. Reliquum eſt, vt de ſignis portentoſis nonnihil dicamus. Significat autem hîc portentum futurorum euentum, quòd portendat aliquid futurum, cuius ſignificationem veteres ex augurijs & auſpicijs accipiebant. Quare latinè, dicta prophetarum, portenta, quia porrò, hoc eſt, de longè tendebant, id eſt, futura diuinabant, non erit abſurdum dici. Talia ergò ſigna, quæ de Chriſti aduentu, morte, reſurrectione, in cœlos aſcenſione, & ſimilibus ſcriptis tam maiorum quàm minorum, Prophetarũ continentur, ſigna vtiq; prophetica ſeu portentoſa dicuntur. Et, vt ab Eſaia filio Amos exordium ſumamus, qui Hieronymo non prophetiam texere, ſed Euangelium viſus eſt: Ingratitudinem Iudæorum prædicit, cùm inquit, cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit, &c. afflictiones Iudæorum, credentium, Apoſtolorumq́; exiguum numerum relictum, & cauſam cur à ceremonijs & ſacrificijs Iudaicis Deus abhorreret, præuidet, verum Dei cultum, pœnitentibus remiſsionem, non pœnitentibus exitiũ præſcribit, peccata Ieruſalem deplorat: ſententiã laturus in impios ingemiſcit, conſeruatis pijs, Ieruſalẽ in priſtinum ſtatum reſtituendã, Eccleſiam primã in Ieruſalem, montem, gentiumq́; ingreſſum, & doctrinam Euangelij, doctore Chriſto, ex Sion proditurã, Iudæorumq́; abiectionem docet. Solitudinem & vaſtitatẽ quanta eſſet futura, quã denunciauerat Iudæis, deſcribit: ſimulatq́; quàm grauis & horrenda vltio populo immineat, oſtendit, Chriſti aduentũ & eius regnum, quodq́; gentes Euangelium ſuſcipiant, Euerſionẽ quoq; decem tribuum Iſrael ob ſuperbiam eorum in Deum vaticinatur, Chriſti natiuitatem ex radice Ieſſe, opera et fructus Euangelij, vocationem gentium, Iudæ & Iſraelis, à captiuitate ad Euangelium, veram reductionẽ, & Apoſtolos adducentes omnes ad Euangeliũ prænunciat, Chriſtianorum gratiarum actionẽ pro

Dei miſericordia per Chriſtum eis facta, Deſtructionem Babylon eiusq́ onera & afflictiones poſt reuerſionem Iudæorũ ex captiuitate, excidium Philiſtæorũ ſiue Palæſtinorum, Moabitarũ, Aſſyriorumq́ ruinam & Damaſcenorum Aegyptiorumq́ vaſtationẽ, atq; horum ad Chriſtũ conuerſionem prædiuinat, Idumeæ et Arabum ruinam, obſidionẽ vrbis Ieruſalem à Sennacherib, Tyri excidium & reparationem, Euerſionem terræ ſanctæ ob Chriſtum non receptũ, prædicit. Synagogæ & populi Iudaici vaſtationẽ, eorum conſeruationem per Chriſtum, Eccleſiã item Chriſti, Impiorum cæcitatem, flagella non videntium, pacem fidelium, et conſolationem deſcribit. Iudiciũ Dei & vniuerſum regnũ Sathanæ depingit, Irã Domini Iſraeli primùm, deinde Iudæis impendere oſtendit. Deſtructionẽ Ieruſalem, Excæcationem Iudæorũ, eorumq́ reiectionem, doctrinas hominũ mandato Dei præferentium, regnũ Euangelij à Iudæis ſuperbis, ad gentes cæcas cõuerſum præuidet, lætitiam et conſolationem credentib. in Chriſtũ promittit, ſignaq́ aduentus Chriſti & Chriſtũ viam ad patrem docet, victoriã Ezechiæ prænunciat, Ioannis Baptiſtæ aduentum & Chriſtum paſtorem annunciat. Chriſti aduentũ dæmonibus maximè terribilem, & omnes peccatores exiſtere, eoq́ iuſtificatore egere, qui patri placet, fœdus noſtrum, gloria, & laus Dei eſt, exponit. Orientales Chriſto credentes, redemptionem Eccleſiæ & liberationem gentium in vnius Eccleſiæ congregationem, externum cultum fide deſtitutum, & reiectum, dimiſsis peccatis, abundantiam donorũ ſpiritualium, reſtitutionem Iudæorum per Cyrum, Chriſtum conſputum & alapis cæſum, Chriſtum innocentem victorem, Inimicis Chriſti pœnitentibus veniã, finem tribulationis, prædicatores ad euangelizandum miſſos, Chriſti paſsionem et glorificationem, Chriſtum iuſtitiam noſtram, plures ex gentib. Chriſto credentes q̃ ex Iudæis, verbũ Dei prædicatũ fructificans, vaticinatur. Iuſtorũ

finem incognitum, impiorum iudicium, ſperantium in Domino vitæ æternæ hæreditatem, Chriſtum ſiue vnctum miſſum ad prædicationem Euangelij, Exultationem Eccleſiæ in ſpe promiſſionum Dei lætantis, regnum Chriſti pacatiſſimum, præuidet. Ieremias, quem Hieronymus virgam nuceam, & ollam ſuccenſam à facie Aquilonis, & Pardum ſpoliatum ſuis coloribus, & quadruplex diuerſis metris alphabetum vectare aſſerit. Ieremias, inquam filius Helciæ, dè ſacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth, in terra Beniamin, Propheta gentium, imminentem Iudæis deſtructionẽ, Paſtorum qui veram Dei ſcientiam habeant, doctrinam prædicit. Ferocitatem Chaldæorum, à quibus paſſuri ſunt meritò Iudæi, & rationem cur Deus Iudæos affligat, ipſas nempe incircumciſas aures, auaritiam, dolum, contemptus in Deum, deſcribit, & aduentum Babyloniorum prænunciat. Sacrificia Dominum à Iudæis non requirere potiſſimum, ſed vt obediant verbo eius, docet. Tempus viſitationis prædicit. Non eſſe metuendas ſyderum conſtellationes aſſerit. Maledictionem eorum, qui non obediunt verbo pacti diuini, conſpirationem Iudæorum in Chriſtum, atque excidium Iudæorum ob Chriſtum traditum in manus gentiũ, præuidet. Impiorum proſperitatem, tametſi Deum iuſtum fateatur, vehementer admiratur. Vicinis gentibus Iudæam infeſtantibus à Domino interitum minatur, non modo interitum omninò Iudæis, ſed etiam diſperſionem & futuram ſiccitatem in Iudæa præfigurat. Denuò vaſtationem & calamitatem Iudæorum annunciat, captiuitatem Babylonicam, & populi liberationem ab ea. Ipſamq́ gentium vocationem, Ieroſolymitanum excidium, ob contemptum verbi Dei, cuius rei ſymbolum eſt diſſipatio lagenæ fictilis, quæ ſemel fracta inſtaurari non poteſt, prædicit. Sedeciam capiendum, & vrbem exurendam, item captiuitatem Iechoniæ vaticinatur. Chriſti veri paſtoris aduentum prædicit. Partem populi à captiuitate reducendam,

dam, Sedeciam verò & reliquos populi perdendos, duabus viſionibus ſignificat. Captiuitatem, ob verbi Dei contemptum, ſeptuaginta annorum, ac tum demùm Babylonios deſtruendos, imò omnium, ad quas miſſus erat, gentium, deſtructionem prædicit. Hananiæ Prophetæ ob falſam prophetiam mortem prænunciat. Natiuitatem Chriſti, nouum teſtamentum, remiſſionem peccatorum, regnum Chriſti in Eccleſia nunquam interiturum, & reædificationem Ieruſalem præuidet. Per agrum à ſe emptum iuſſu Domini populum reuerſurum in poſſeſſionem terræ ſuæ ſignificat. Aegypti vaſtationem & cladem, Iſraeliq́ liberationem prædicit. Ezechiel filius Buzi ſacerdos in terra Chaldæorum ſecus flumen Chobar, quem Hieronymus principia & finem tantis habere obſcuritatibus inuoluta, vt apud Hebræos iſtæ partes cum exordio Geneſeos ante annos triginta non legantur, aſſerit. Similitudinem quatuor animalium, & rotam in rota, earumq́ motum, et gloriã Dei, videt. Ieruſalem obſidionem, diuturnitatem captiuitatis, Iſrael et Iuda, & famem futuram in captiuitate prædicit. Aenigmate pilorum vaſtationem populi ſignificat. Propter peccatũ idololatriæ populum percutiendum, pœnitentiam reliquiarum populi, & liberationem, obſtinatorumq́ interitum prædicit. Finem totius terræ Iſrael repentè venturum, qui & omni præſidio, ne poſſit aduerſarijs reſiſtere, deſtituetur, & ſummam imminentium malorum annunciat. Similitudinem Dei videt. Virum è medio rotarũ & Cherubin prunas accipiente in ſignum exuſtionis vrbis Ieruſalem, videt. Diſperſionem eorum qui populum Ieruſalem ſeducebant vaticinatur. Propter mortem pheltiæ reliqui populi exitium timet. Parabola duarum aquilarum Sedeciam, contra iuſiurandum, relicta amicitia Nabuchodonoſor, ſe ad regẽ Aegypti tranſtuliſſe, & ideò perijſſe ſignificat. De Chriſto prophetat. Ab vnoquoq; pœnam peccati ſui eſſe portandam denunciat: et reſipiſcenti ſalutem

promittit: ſicut iuſto à via recta ſe auertenti mortem prædicit. Captiuitatem Ioachaz & Ioacim per leunculos & leonem ſignificat. Præteritam vrbis Ieruſalem felicitatem, & præſentem calamitatem deſcribit. Per ſaltum comburendum incendium vrbis deſignat, Gladium vrbi minatur. Deſtructionem filiorum Ammon prophetat. Poſt aliorum cædem ipſi Nabuchodonozor à Domino interitum minatur. Per ollam liquefactam incendium Ieruſalem probat. Tyrum euertendam, quòd inſultauerit deſtructæ Ieruſalem, prædicit. Aegypti deſolationem & Aegyptiorum diſperſionem, eiuſque reſtitutionem poſt annos quadraginta prænunciat. Quemadmodum excellentiam Pharaonis cum Aſſyriorum ſublimitate contulit, ita ſimilem eius interitum prædicit. Vaſtationem Aegypto à rege Babylonis venturam præuidet. Euangelici paſtoris officium deſcribit. Verum paſtorem Chriſtum, & cum eo pacem promittit. Decem tribuum cum duabus vnionem, & Chriſtum vnius populi Chriſtiani regem, & paſtorem vnum atque æternum oſtendit. Gog & Magog venturos cum inſtructo exercitu in terram promiſſionis, eorumq́ conatum, & interitum à beſtijs nimirum & volucribus deuorandos, vaticinatur. Reſtaurationem ciuitatis, & templi eiusq́ diſpoſitionem, & omnium ad id pertinentium, præuidet. Gloriam Dei templum ingredientem, à quo antè receſſerat, videt. Aquas è templo manantes, & Baptiſmi gratiam intuetur. Daniel quem Hieronymus extremum inter quatuor prophetas, temporum conſcium, & totius mundi philoiſtora appellauit, lapidem præciſum de monte ſine manibus, & regna omnia ſubuertentem claro ſermone pronunciat. Captiuitatem Ioachim regis Iuda refert. Somnium Nabuchodonoſor reſerat. De regno Chriſti æterno & lapide Chriſto. Somnium ſecundum Nabuchodonoſor de amiſſione regni, & habitatione cum beſtijs, interpretatur. Regi Baltaſar viſam manum ſcribentem

ad

ad parietem, & legit & interpretatur. Viſionem quatuor beſtiarum de potentia & incremento Antichriſti, & de regno Chriſti æterno interpretatur. Viſionem item pugnæ inter arietem & hircum, de conflictu regis Medorum & Perſarum, deq́; rege Græcorum, nec non de rege impudenti Antichriſto, declarat. Viſionem deinde ſeptuaginta hebdomadum, vnctionem Chriſti, Reædificationem Ieruſalem ſub Nehemia, Chriſti mortem, & abiectionem impiorum Iudæorum ediſſerit. Virum ad ſe miſſum, lineis veſtibus indutum, & eius aduentus cauſam declarat. De regibus Perſarum, regno Græciæ, & Aegypti fœdere eius, & bello cum regno Syriæ vaticinatur. Per Antiochum Antichriſtum figurat, Mortuorum reſurrectionem, Doctorumq́ue claritatem prædicit. Cæterùm, duodecim Prophetæ, vt Hieronymus inquit, in vnius voluminis anguſtias coarctati, multò aliud quàm ſonant in litera, præfigurant. Oſeæ crebrò nominat Ephraim, Samariam, Ioſeph, Iezrahel, & vxorem fornicariam, & fornicationis filios, & adulteram cubiculo clauſam mariti, multo tempore ſedere viduam, & ſub veſte lugubri, viri ad ſe reditum præſtolari. Hic Oſeæ filius Beeri, accepta vxore fornicaria, idololatriam populi ſignificat. Iehu poſteritatis, & Iſraelitarum exitium, Iudæ abiectionem, Gentium vocationem, & vtriuſque populi coniunctionem ad vnum caput Chriſtum prædicit. Vltimam populi conuerſionem, pacem in regno Chriſti, Iuſticiam, Iudicium, Miſericordiam, fidem & gentium conuerſionem prænunciat, Iſraelis & Iudæ deſtructionem, propter Idolorum cultum, famem Iſraeli, & captiuitatem, eiuſque interitum, & decem tribuum exitium præuidet. Victoriam mortis & inferni per Chriſtum, & Samariæ interitum prædiuinat. IOEL, filius Phatuel, terram duodecim (vt Hieronymus habet) tribuum deſcribit, eruca, brucho, locu-

locuſta, rubigine vaſtante conſumptam, & poſt euerſionem prioris populi, effuſum iri ſpiritum ſanctum, ſuper ſeruum Dei & ancillas, id eſt, ſuper centum viginti credentium nomina & effuſum iri in cænaculo Sion: qui centum viginti ab vno vſq; ad quindecim paulatim, & per incrementa ſurgentes, quindecim graduum numerum efficiunt, qui in Pſalterio myſticè continentur. Hic Ioel parabola propoſita, deſtructionem Ieruſalem, Hoſtiumq́ aduentum & crudelitatem prædicit. Doctorem Eccleſiæ Chriſtum Dominum, laudem, miſsionem ſpiritus ſancti, & veram inuocationē Dei, vaticinatur. Iudicium gentium, prædicationem verbi Dei è Sion per Apoſtolos, Iudæos & Eccleſiæ æternitatem præuidet. AMOS paſtor Thecue & ruſticus, ruborum (ſecundum Hieronymum) mora diſtringens, paucis verbis explicari nō poteſt. Quis enim dignè exprimat tria & quatuor ſcelera Damaſci, & Gazæ & Tyri & Idumeæ & filiorum Ammon, & Moab: & in ſeptimo & octauo gradu Iudæ & Iſrael? Hic loquitur ad vaccas pingues, quæ ſunt in Samariæ monte, & ruituram domū maiorem, minoremq́ teſtatur. Ipſe cernit fictorem locuſtæ, & ſtantem Dominum ſuper murum litum vel adamantinum, et vncinum pomorum attrahentem ſupplicia peccatoribus: & famem in terram nō famem panis, nec ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei. Itaq; Amos aduerſus Moab et Iudam, hoc eſt, regnum duarum tribuum, & aduerſus Iſrael, hoc eſt, regnū decem tribuum prophetat. Domus Iſrael ingratitudinis arguit, æquiſsima in eam flagella pronuncians, ſub typo vaccarum pinguium in primates inuehitur, ſimul atq; eorū pœnas prædicit. Caſum Iſraelis luget: ad reſipiſcentiam vocat. Odium populi in prophetas, ob quod & pauperum oppreſsionem, eius infelicitatem prædiuinat. Die Domini mala, feſtiuitates, & ſacrificia abijciens, deſcribit. Per locuſtam, videns totius Iſraelis abſumptionem, oratione ſua eam auertit. Aduer-

ſus Amaſiam prophetat: & populi captiuitatem prænunciat. Finem regni Iſraël pauperumq́ oppreßionem, acerbitatem deinde Iſraeliticæ calamitatis, famemq́ue verbi Dei deſcribit & prophetat. Duarum tribuum & templi euerſionem, Eccleſiæq́ue inſtaurationem prænunciat. Abdias qui Hier. interpretatur ſeruus Dei, pertonat contra Edom ſanguinem, terrenumq́ hominem, fratris quoque Iacob ſemper æmulum, haſta percutit Spirituali. Hic deſtructionem Edom ab Iſraelitis, præuidet: & de Chriſto atque Eccleſia prophetat. Ionas *quem Hierony. pulcherrimam columbam appellat, hic naufragiō ſuo paßionem Domini præfigurat. Mundum ad pœnitentiam reuocat: & ſub nomine Niniue, Gentibus ſalutem nūciat. Micheas Moraſchites à Hierony. Cohæres Chriſti nūcupatus, vaſtationem filiæ latronis annūciat, obſidionem contra eam quòd maxillam percußerit Iudicis Iſrael, ponit. Peccata populi recēſet, ob quæ etiam flagella, vtpotè Ieruſalem deſtructionem, prænunciat. De Chriſto, Eccleſia, verbo Dei prophetat, & vocationem Iſraelitarum in regnum Chriſti Eccleſiæq́ue confirmationem aduerſus hoſtes prædicit. Chriſtum, ducem reliquiarum Iſraël, exaltationem carnis, fiduciæ ablationem, & Eccleſiæ proſperitatem præuidet* Nahum. *Elceſæus, quem Hier. conſolatorem orbis nuncupat, ciuitatem ſanguinum increpat, & poſt euerſionem illius loquitur: Ecce ſuper montes pedes euangelizantis, & annunciantis pacem, Dei vindictam in Aßyrios, & bonitatē in Iudæos: ipſamq́ue liberationem ab Aßyrijs prænunciat. Victoriam Chaldæorum aduerſum Aſſyrios, eorumq́ue ſuperbiam irridens, deſcribit, & Niniuem vrbem illam ſanguinum euertendā prædicit. Habacuc Hier. luctatorem fortem & rigidum, appellat, ſtantem ſuper cuſtodiam ſuam, & figentem gradum ſuper munitionem, vt Chriſtum in cruce contempletur & dicat: Operuit cœlos gloria eius & laudis eius plena eſt terra. Splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius,*

ibi abſcondita eſt fortitudo eius. In perſona itaque ſanctorum piè conqueritur propheta, quòd mali iuſtos perſequantur, & Chaldæos ſuſcitatos, ad iuſtorum correptionem oſtendit eorumq́ue ruinam procedit, Chriſti aduentum & victoriam aduerſus peccatum, mortem & infernum prænunciat. Sophonias *filius Chuſi, filij Godoliæ, filij Amariæ, filij Ezechiæ, qui & Speculator & arcanorum Dei cognitor, à Hier. nuncupatur, audit clamorem à porta piſcinum, & eiulatum à ſecunda, & contritionem à collibus. Indicit quoque vlulatum habitatoribus Pilæ, quia conticuit omnis populus Chanaan, diſperierunt vniuerſi, qui inuoluti erant argento, hoc eſt, de rerum omnium conſumptione prophetat: & comminatur tribui Iudæ ob idololatriam. Vltionis diem in Iudæos prouidet: & quod mirabile eſt, vltimò Iſraelis conuerſionem, poſt gentium plenitudinem annunciat.* Aggæus *à Hier. feſtiuus & lætus dictus, qui ſeminauit in lachrimis, vt in gaudio meteret, deſtructum templum ædificat, Deumq́ue patrem inducit loquentem: Adhuc vnum modicum, & ego commouebo cœlum & terram & mare & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus. Gloriam ſecundi templi maiorem quàm fuerit prioris, ob Chriſti aduentum, præuidet, & prophetiam de Chriſto ſub typo Zorobabel complectitur.* Zacharias *filius Barachiæ filij Addo, memor Domini ſicut Hier. inquit, multiplex in prophetia, Ieſum veſtitum, ſordidis indutum, & lapidem oculorum ſeptem, Candelabrumq́ue aureum, cum totidem lucernis, quot oculis duas quoque oliuas à ſiniſtris lampadis cernit: & à dextris, vt poſt equos nigros, rufos, albos, & varios & diſſipatas quadrigas ex Ephraim, & equum de Hieruſalem, pauperem regem vaticinetur, & prædicet ſedentem ſuper pullum filium aſinæ ſubiugalis,*

iugalis, Itaque Zacharias Chriſtum & apoſtolos præfigurat: Iudæorum liberationem, & inſtaurationem Hieruſalem, Diſperſorumque reuocationem promittit. Aduentum deinde Chriſti, & gentium & ingreſsionem in Eccleſiam prædicit. Ignominiam & gloriam Chriſti ſub typo Ieſu ſacerdotis, Deque Chriſto prophetiam complectitur. Per viſionem candelabri aurei, multa quæ Chriſti & Euangelij ſunt intelligit. Per viſionem libri volantis maledictionem furum & Dei nomine abutentium ſignificat. Per viſionem amphoræ tribus Iudæ tranſlatio in Babilonem deſignatur. Per quatuor quadrigas, quatuor regnorum ſucceſsiones portendit: ipſamque figuram regni & ſacerdotij Chriſti continet. Reditum Iſraelitici populi in Hieruſalem, cui proſpera multa promittit Deus: præcepta item ſanctiſsima & concurſum gentium ad Chriſtum, præuidet. Aduentum Chriſti ſuper aſinam, & conuerſionem gentium, Deſtructionem quoque ſecundi templi per Romanos prænunciat. Fidelium curam Chriſto à patre commiſſam, & grauem viſionem in Iſraelem & Iudã Chriſtumque triginta argenteis æſtimatum iri, deque paſtore Antichriſto vaticinatur. Vaſtationem ac reſtitutionem Hieruſalem, & de effuſione ſpiritus ſancti in Iudæos & eorum conuerſione prædicit. Eccleſiæ vaſtationem ſub typo Hieruſalem eiuſque propugnatorem Chriſtum, intelligit. Diem iudicij ſoli Deo notam. Viuum Dei verbum ex Eccleſia manans. Regem vnum & Dominum Chriſtum, plagas hoſtium Eccleſiæ, Aſſenſum gentium ad Eccleſiam, omniaque ſancta in Eccleſia Dei, & impios ex Eccleſia pellendos prænuntiat. Malachias *vt Hieronymus habet, apertè & in fine omnium Prophetarum, de abiectione Iſraël, & vocatione Gentium loquitur: Non eſt mihi, ait, voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiã de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt*

nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. De Electione Iacob, & reprobatione Eſau, honore & timore Domini: de munda ex gentibus hoſtia, diſſerit. De Ioanne Baptiſta præcurſore Chriſti, de purgatione fidelium & eorum ſacrificijs, de iudicio Chriſti aduerſus impios vaticinatur. Hypocritarum cæcitatem, nunquam peccata ſua agnoſcentium, & blaſphemiam impiorum in Deum, ipſumque Dei peculium, nec non Aduentum Domini, & Ioannem Baptiſtam in ſpiritu Eliæ venturum, præuidet. Reliquum eſt vt eorum quoque ſignorum, quæ per αἰτιπροφορὰν aut quadam ſimilitudine dicuntur, mentionem faciamus, cuiuſmodi ſunt Ruth Moabitis, quæ, vt & Hierony. placet, vaticinium Eſaiæ explet, dicentis: Emitte agnum Domine Dominatorem terræ, de petra deſerti, ad montem filiæ Sion. Hæc enim Ruth, ducitur in vxorem à Booz, qui linea Chriſti eſt, & parit Obed, vnde originem Dauid ipſe, ex cuius ſemine ſaluator, traxit. Iudicum libro quot principes populi, tot figuræ continentur. Iehoſua, Hierony. inquit, typum domini non ſolùm geſtis, verùm etiam nomine præfert, trãſit Iordanem, hoſtium regna ſubuertit, diuidit terrã victori populo, & per ſingulas vrbes, viculos, montes, flumina, torrentes, atque confinia, Eccleſiæ cœleſtisq; Hieruſalem ſpiritualia regna, deſcribit. Animatur Ioſue filius Nun à domino ad terram promiſſam inuadendam. Rahab ſibi fieri miſericordiam petit. Miraculis oſtendit Deus ſe eſſe cum Ioſue, Duodecim lapides Ioſue in memoriam ſiccati Iordanis erigit: ſecundo populum circumcidit. Altare lapideum domino, cui inſcribitur Deuteronomium, conſtruit. Pluit lapides, ſiſtitur Sol, & dies prolongatur, Oſſa quoque Ioſeph in Sichem ſepeliuntur. Hæc & ſimilia ſigna non ſunt poſtrema Meſſiæ, vbi rectè fuerint expenſa. Iob verò quem Hierony. exemplar patientiæ appellauit, quæ non myſteria ſuo ſermone complectitur? proſa, inquit, incipit, verſu labitur, pe-

deſtri ſermone finitur: omneſque leges Dialecticæ, propoſitione, aſſumptione, confirmatione, concluſione determinat, ſingula in eo verba plena ſunt ſenſibus. Et vt de cæteris, ait, ſileam, reſurrectionem corporum ſic prophetat, vt nullus de ea vel manifeſtius, vel cautius ſcripſerit: Scio, inquit, quod redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem viſurus ſum, ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Non minùs de æternæ mortis pœnis prophetat, ſufferre tentationes docet, ſapientes compræhendendos in aſtutia eorũ, nullamque acceptionem perſonarum præuidet: & nil in hunc mũdum nos intuliſſe docet. Thobias vir ſanctus plenus operibus bonis & prophetiæ ſpiritu clarus, deſtructionem Hieruſalem & templi tam certè, ac ſi facta eſſet, præuidit, quo vnà cum vxore mortuo, & egreſſo Thobia iuniore ſimul cum filijs, Niniue deſtructa fuit. Si ad Pentateuchum *nos conferamus, manifeſta erit Geneſis, in qua de creatura mundi, de exordio generis humani, de diuiſione terræ, de confuſione linguarum & gentium, ad exitum vſque hebræorum, de fide Abel, Henoch, Noe, & Abrahæ: de copula, de ſerpente, de ſanguine Abelis, de ſemine, de vocatione Abrahæ, de Melchiſedech rege Salem, ſacerdote Dei ſummi: de ſigno circumciſionis, de diebus Loth, Sodomæ & Gomorrhæ, de vxore Loth, de Iſaac, de Eſau, & Iacob, de fide Ioſeph &c. Exodus de fide Moſis, de Baptiſmo in Moſe, de tranſitu maris, de cœleſti pane & potu Spirituali, de Gente ſancta, de præceptis & ſimilibus myſticis diuiniſque mandatis. Manifeſtus quoque eſt Leuiticus, de ſanctis, de Sabbato de oblationibus, de primitijs, de decimis, vbi ſingula Sacrificia: imò ſingulæ pœnè, vt Hier. inquit, ſyllabæ, & veſtes Aaron, & totus ordo leuiticus, cœleſtia ſpirant ſacramenta. Numeri porrò totius Arithmeticæ & prophetiæ Balaam, &*

quadraginta duarum per eremum manſionum myſteria continent, atque vt etiam Deuteronomium attingatur, Hier. eum ſecundam legem & Euangelicæ legis præfigurationem ſic habere teſtatur. Priora quæ ſunt, vt tamen omnia noua de veteribus ſint, de perſonarum acceptione, de igne diuino omnia conſumente, de collatione panis & verbi diuini, de propheta quem ſuſcitarat dominus, de teſtimonijs, de aſſenſione in cœlos, de vindicta, & ſimilibus: quæ omnia certiſſima ſunt ſigna futurorũ bonorum, clarè atq; manifeſtè tractat: & reuera Pentateuchus Moſis illa quinq; verba ſunt, Hierony. teſte, quib. loqui ſe in Eccleſia velle Apoſtolus gloriatur. Quod ſi vlterius perrexeris, occurret Dauid Simonides noſter, vt Hier. ait, Pindarus & Alcæus, Flaccus quoq; Catullus atq; Serenus Chriſtum Lyra perſona & in decachordo pſalterio, ab inferis excitat reſurgentẽ: cum de Gentium fremitu, de generatione filij de virga ferrea, de Sepũlchro, de iuſto, de velocibus pedibus, de incorruptione ſancti, de confidentia in eum, de confeſſione in Gentibus, de ſono in omnem terram, de exclamationæ Eli Eli Lamaſabachthani? de veſtimẽtorum diuiſione, de nuntiatione nominis eius fratribus, de terra & plenitudine domini, de commendatione ſui ſpiritus in manus Domini, de beatis quorũ remiſſæ ſunt iniquitates, de hoſtia & oblatione, de filio perditionis, de mortificatione, de iuſtificatione, de propria cuiuſuis mercede, de aſcendente in altũ captiuam ducente captiuitatem, de zelo domus, de improperijs de laqueo, de potu aceti, de apertione oris in parabolis, de pane cœleſti, de voce audita, de adoratione omnium angelorum, de fundatione terræ, de Epiſcopatu, de ſeſſione à Dextris, de ſacerdote in æternum, de lapide quem reprobauerunt, de fuſione pedum & manuum, de veneno aſpidum &c. canit. Hæc vtique ſunt apertiſſima ſigna à Dauide de ſole iuſtitiæ prolata. Sed videamus quid Salomon agat. Hunc Hier. pacificum & amabilem domini: mores

corri-

corrigere, naturam docere, Eccleſiam iungere, & Chriſtum ſancta rumq́ nuptiarum dulce canere Epithalamium, aſſerit: cum de prudentibus, de diſciplina, charitate, de iuſto peccato, de inuitatione, de eſurientibus, de maledicendo, de cane reuerſo ad vomitum, diſſerit. Ne Eſther *quoque prætereatur, ipſa in Eccleſiæ typo, vt Hier. ſcribit, populũ liberat de periculo, & interfecto Amõ qui interpretatur iniquitas, partes conuiuij & diẽ celebrem mittit in poſteros. Hæc ſunt quæ de ſignis prophetarũ erant dicenda miraculoſis, & portentoſis & quæ per* αἰτιπαφορὰν *aut ſimilitudinẽ erui poterant, vt reuera per luminaria, prophetarum doctrina in ſigna de futuro Meſſia quæ ab eis dabantur, intelligatur. Prætereo nunc iridem cæterasq́ impreſſiones, non vſqueadeò vulgares: quæ & ipſa ſigna vſitata quidem, ſed rara dicuntur, qua de re & ſuperius nonnihil, & ſuo loco plura dicemus.*

De euentis temporum.

CAP. III.

DRymus. *Venias igitur iam ad eam partem, quæ tempora complectitur.* Symbulus. *Intelleximus probè humaniſſime Oliſte, quæ hactenus dixiſti.* OLISTVS. *Hæc luminaria, quemadmodum in ſigna: ita quoque in certa tempora creata ſunt. Sicut enim per ea omnia ſigna de futuro redemptore populo oſtenſa, & ob oculos poſita ſunt, quæ & aduentum & doctrinam, mortem, reſurrectionem, ad cœlos aſcenſionem, ſeſſionemq́ue ad dextram patris, & vitam æternã, ſuis & quidẽ propriis & ad hoc deputatis coloribus, depingerent: nõ ſecus per ea ipſa luminaria determinatũ ac certiſſimũ tẽpus eiuſdẽ Meſſiæ patefactũ eſt. Lex enim & prophetæ vſq; ad Ioannẽ dicit dominus eumq́ de quo ſcriptũ eſt, apud Malachiã. Ecce ego mitto angelum meũ ante*

faciem

faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te: imò ipſum Eliam, quem idem propheta vēturum vaticinatus eſt appellat. Manifeſtè igitur apparet, prophetas in tempore quoque deſtinatos, quorum finis nos certò moneret, de tempore plenitudinis & gratiæ. A diebus ſiquidem Ioannis Baptiſtæ vſque nunc, inquit Dominus regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Nam ex eo, vt legitur apud Lucam, regnum Dei Euangelizatur, & omnis in illud vim facit. Diſtinguimus autem hîc prophetas, quod etiam prius facere debebamus. Prophetare quippe eſt propriè, ſicut hîc vſurpatur, futura prædicere, Res diuinas agnoſcere. Hinc prophetæ apud Iudæos erant, qui diuinorum eloquiorum ac diuinæ volūtatis afflatu numinis præditi eſſent, & futura quædam ſub verborum inuolucris, reuelante Spiritu prædicerent: vnde & Videntes nuncupati ſunt. Item ſacrarum literarum ſenſum, quem ipſi à Deo didicerant, populo depromere, atque emoliri & eradicare quicquid cōtra Deum erectum erat, plantare & ædificare quicquid Deo placeret, niterentur. Prophetare deinde etiam pro enarratione tam præteritarum quàm futurarum rerum, ſacris literis vſurpatur. Ita Moſes quoque quum de mundi creatione et ſimilibus Dei operibus teſtificabatur et docebat, propheta fuit. Pari ratione et ij prophetæ dicuntur, qui prophetiam exponunt, resq́ue diuinas agnoſcunt et denunciant, Pſalmos et verba Dei canunt, Spiritu docti confeſſionem prophetant: ipſamq́ue laudem Domino in Cythara, tympanis, decachordo et ſimilibus canunt: ſacrosq́ue ritus peragunt. Ita et Paulus dicere conſueuit, eos quoque prophetas eſſe, qui per reuelationem, Eccleſiæ ac pietatis ædificationem, legem Domini tradunt docent et interpretantur, conſolantur etiam populum atque arguunt, verbum Dei auidè audiunt, et in lege Dei diligenter verſantur: ſiue etiam aliquid diuini ſecum circumferant. Sic quæ Dominum prophetarum paritura erat, prophetidis nomen habebat.

Cæte-

Cæterùm quod ad præſens negotium attinet, priorem illum modũ duntaxat intelligimus: tametſi in naſcenti Eccleſia quoq; eiuſmodi prophetæ fuerint, non tamen ſub lege, ſed potius ſub gratia erant. Ideò Dominus inquit: lex & prophetæ vſq; ad Ioannẽ. Verum de ijs ſuo loco. Manifeſtum ergò & in confeſſo omnibus eſſe poteſt, prophetas diuinitus etiam in tempora nobis datos, quibus mediantibus tempora patriarcharum, Ducum & Iudicum: item Regum & prophetarum dignoſceremus. Hæc igitur quomodo noſtro propoſito fidem faciant, quomodo de illis ſuperius pertractatum eſt, commemoranda Regum & prophetarũ tempora erunt, quæ ſe ad filij Dei vſq; aduentum, ſicut ad Heb. inquit: Locutus eſt patribus per prophetas, extremis autem diebus locutus eſt per filium, extendunt. Quandoquidem autem tempora Ionathæ, Iddo & Abiæ Silonitis prophetarum qui temporibus Salomonis: deinde Samaiahu, qui Rehabeam, Iddo qui Abijahu & Azariahu filij Odad, Hanani videntis: Iehu filij Hanani, qui Aſæ: tandem Obadiæ, Michæ & Iehiel filij Zachariæ, ipſiusq́ Eleazar filij patrui eius, qui Iehoſaphat: poſtremò Eliæ prophetæ, qui temporibus Ioram & Ioſaphat vixerunt, ex ſuperioribus conſtant: hîc ſuperflua repetitio, intra limites nos continuit: vt potius tempora reliquorum prophetarum in medio ſeculorum exiſtentium perſequamur. Itaq́ primi huius ſeculi Elias & Eliſeus prophetæ naſcũtur, quando Sera ſiue Zarea, Aethiops, contra Aſam aſcendit, & Capis Syluius Latinorum rex gubernauit. Porrò antequam prophetare Elias cœpiſſet, ab eius natiuitate nonnihil temporis effluxit, quo multæ & variæ per orbem res et viciſsitudines gerebantur. Statim enim Phelletes rex apud Aſsyrios Aſtarimum fratrem interfecit, quem deinde Ichobalus Aſtartæ Deæ, cuius et ſcriptura meminit, quippe quam Salomon coluit, ſacerdos peremit. Deinde Baëſa Ramam in munitionem, ne quis è regno Iudæ

ad regnum Iſrael, & contra tranſire poſſet, ædificat. Eodem tempore Aſa perturbatus, Deo ſuo relicto auxiliū à rege Syriæ quærit, quamobrem à propheta Domini increpatus, & ob eam conſpirationem à Deo punitus fuit. Paulò poſt, Phorbas Athenienſium iudex, Ageſilaus Lacedemoniorum rex, Bacis Corinthiorum rex: vnde & Bacidæ denominati ſunt, & Thuſcus iunior qui Thuſcis imperauit, ipſeq; Ophrates Aſſyriorū rex floruerunt: Prophetantibus interea Azariahu, Hanani, & Iehu. Hoc tempore Zambri ipſum Ela interfecit, cùm & populus diuiſus eſſet, pars enim Thebni, parsq; Amri ſequebatur. Calpetus Syluius rex Latinorum regnauit. Nepher Cherres Aegypto præfuit, Achab Samariam gubernauit. Hiel reædificauit Hiericho, in primogenito ſuo fundamentum vrbis, & in nouiſſimo filio, eius portas, ſicut dixit Iehoſua ſeruus Domini, poſuit. Tum demùm regnante Ioſaphat in Hieruſalem, & Orphraganeo apud Aſſyrios rege, ipſoq; Amenophe apud Aegyptios, Elias prophetare incepit, & famem ſuperinduxit, tempore Badozori Tyri regis. Sub hoc propheta Ozohorus Aegypti rex, Mezades Athenienſium iudex, Agelas Corinthiorum rex, & Tyberinus Syluius rex Latinorum, qui ſubmerſus ex Albula flumine Tyberim fecit. Tandem Ioſaphat regi Achab auxilium vbi ferret, Ioram filium regem deſignauit, quando & Achazias regnare apud Hieruſalem cœpit: & Spinaces apud Aegyptios. Hic Ioram vbi aliquandiu regnaret, & Rhodij mare obtinuiſſent, ipſe Amnus Thuſcis imperaret, & Agrippa Syluius Latinis præeſſet, Elias in cœlos ſublatus eſt. Huius ſpiritum miniſter adeptus eſt Eliſeus propheta, ſub Achab vnctus, prophetandi munus tempore adhuc Ioſaphat, quo & Archelaus apud Lacedemonienſes regnauit, ſuſcepit: & ad Amaſiæ vſque tempora durauit. Nam & ſub Ioram filio Ioſaphat, & ſub Ochozia ſiue Ahaziahu, vtroq; à Iehu

interemptis, Mettino Tyri rege adhuc ſuperſtite, prophetauit. Succeſsit autem Athalia, mater Ochoſiæ per violentiam, vbi enim filium ſuum Ochoziam interijſſe viderat, ne ab alijs regnum occuparetur, iuſsit quotquot reliqui erant, ex ſtemmate regio excepto paruulo Ioas abſconſo, occidi, atque ita vi regnum non modo retinuit: ſed magnam etiam in eo tyrannidem exercuit, licet tandem & ipſa, iuſſu ſummi Sacerdotis iugulata, meritas pœnas dederit. Hoc vltionis exemplum iure omnibus quàm diligentiſsimè expendendum eſt, vt diſcamus quanta ſeueritate Deus peccatum vlciſcatur. Qua in re hoc maximè principes debent conſiderare, à Deo magnorum Heroum genus cauſa flagitiorum, quemadmodum & hic, Salomonis poſteritatem, extirpari. Cæterùm deleta poſteritate Salomonis, ex Nathan poſteris, qui & ipſe filius Dauidis erat, videlicet Ioas, occiſa Athalia, rex conſtituitur. Vbi & hoc notandum: In Cathalogo nempe patrum, ex quibus Chriſtus natus eſt, Salomonem ab Euangeliſta Luca, quòd eius poſteritas extincta eſſet, prætermiſſum, & Nathan in numerum relatum eſſe, vt certa ſit promiſsio Dei, Ex ſtirpe Dauidis Meſsiam oriturum. Itaque Ioas tempore Iehu à Ioiada ſummo pontifice rex inſtitutus, inſignis pietate fuit: toto tempore, quo Ioiada, cui obtemperabat, vixit. Quo defuncto ad impietatem & idololatriam defecit, atque beneficiorum Ioiadæ omnium in ſe oblitus, etiam filium ipſius Zachariam, in atrio templi Domini interficere iuſsit, cuius Dominus, apud Matthæum & Lucam meminit, Phariſæis, ſanguinem iuſtum effuſum ſuper terram, exprobrans: à ſanguine, inquit, Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ, filij Barachiæ, quem occidiſtis inter Templum & altare, ſeu vt Lucas habet, qui perijt inter altare & ædem. Verum & Ioas à Syrijs punitus, à proprijs tandem miniſtris occiſus eſt. Huius autem tempore Pigmalion Tyri Rex,

Ggg 2 quan-

quando & Dido eius ſoror Carthaginem in Africa condidit, & Phryges mare obtinuerunt, regnauit. Diogenetus apud Athenienſes iudicauit: Eudemus apud Corinthios: Felſinus apud Thuſcos, qui Felſinam metropolim Thuſcorum condidit: Alladius Syluius apud Latinos, Aſcraſaperios Aſſyriorum rex, ipſeq́; Ioachas rex Iſraelis, imperarunt: quo tempore etiam Homerum Poëtam Euſebius, Archilochus verò muſicum & Geometram apud Argiuos fuiſſe probat. Cyprios quoque tum mari potitos eſſe, Ariſtemede Corinthiorum rege adhuc ſuperſtite, quem paulò poſt Pherodus Athenienſium Iudex ſecutus eſt, non fuerit dubium. Vbi autem Hazaël Syriæ rex templũ ſpoliaſſet, & Ioas extinctus eſſet, Amaſias eius filius in regnum ſucceſſit, eodem tempore, quo Bon apud Thuſcos rex, à quo Bononia dicta, ſufficitur. Huius Amaſiæ fratrem, Amoz, patrem Iſaiæ Prophetæ Hebræi dicunt, qui non fuit ex ſacerdotibus, ſed è regia tribu natus: ideò quinto capite ſuæ prophetiæ, vocat Meſſiam patruelem ſuum. Hæc Luth. Sub hoc Eliſeus moritur. Circa Hoſeæ, Amos, & Ieſaiæ prophetarum tempora Amaſias vicit Idumeos, rex alioquin pius, & qui prophetas libenter audiebat. Cæterùm inſolentior factus, nulla neceſſitate, quin potius mera animi libidine compulſus, aduerſus Iſraelis regem Ioas bellum mouit, à quo in fugam verſus, cæſoq́; exercitu captus, eo anno quo Ieroboã rex deſignaretur Iſraelis, quo item Ariphron Athenienſium Iudex conſtitueretur, meritam intempeſtiui motus pœnam dedit, in Lachis enim occiſus eſt. Paulò poſt Sardanapalo vltimo Aſſyriorum regi, coniuratione facta inter Phul Belochum Babyloniæ, & Arſacem Medorum præfectos, bellum infertur, atq; eo victo Monarchiam Aſſyriorum inter ſe partiti, hic Medos cum Perſis: ille Babylonem cum adiuncta Aſſyria regebat: ac tum demùm prima Monarchia deſtructa eſt. Phenices mare obtinuerunt, Egemnon nonus Corinthiorum

rex,

rex, & Atrius Thuſcorum, regnabant. Tachelotus & Petubaſtis Aegyptijs præfuerunt. Succedit Amaſiæ Ozias, qui & Azarias, & Vziachu aliâs nuncupatur, quo tempore Ionas propheta ad Niniuem miſſus erat, viuente adhuc Theſpio Athenienſiũ Iudice, Phidone item Argiuo apud Lacedemonienſes, qui & menſuras et pondera, cùm apud Latinos regnaret Procas Syluius, reperit. Eodem quoq; tempore Macedoniæ regnum inchoatum eſt, & primus eiuſdem rex nomine Caranus, quando & Alcanes apud Lacedemonienſes, & Alexander apud Corinthios ſuperſtites erant. Hoc tempore Hoſea prophetare incepit, Regnũ Iſrael à tyrannis diuexatum eſt, Amos captiuitatem decem tribuũ prædixit, Trieres prima nauigatio in Corintho habita, Ieſaias prophetare cæpit. Marſias apud Thuſcos Oſorchon Hercules dictus, & Mycerinus Cheopis filius apud Aegyptios, Agamneſtor apud Athenienſes, & Procas apud Latinos, regnarunt. Hic Ozias licet principio pius fuerit, verùm vbi contra Dei ordinationem in templo ſacrificare præſumeret, lepra infectus, et ſegregatus moritur. His temporibus Ioel propheta, vt Hieron. placet, floruit. Quamuis Funtij ſententia, qui ſub Manaſſe aut paulò poſt eum fuiſſe opinatur, mihi non diſpliceat. Sellum interfecit Zachariam filium Ieroboam, qui & ipſe à Manacham interemptus eſt. Soſarmus Medis, Aſichis ſiue Aniſis Aegyptijs, Amullus, qui Numitorem Procæ maiorem filium regno pepulit, Latinis, præfuerunt. Phul apud Aſſyrios contra terram Iſrael bellum moliebatur, & regem Manacham tributarium fecit, poſtquam Sabachus Aethiops, pulſo Aſyche regnaret: & Pheloſteus apud Corinthios. Porrò Lycurgus Lacedemoniorum legiſlator floruit, eodem tempore, quo Etolus apud Thuſcos imperauit. Hunc paulò poſt apud Iſraelem Phaceia, quando & Achas naſceretur, ſecutus eſt, & Sochorus apud Aegyptios, quum Peloponenſiũ, Athenienſiumq́;

maximum bellum vigeret. Alcanas apud Lacedemonas vltimus rex, & Antomeus apud Corinthios regno finem, impoſuêre. Cæterùm Ioatha regnante tempore Pekab filio Romeliæ apud Iſraelem, Micheas & Naum prophetæ, ille in Hieruſalem, & Samaria, hic in Niniue clarent. Arctinus Mileſius Poeta apud Aegyptios floret, ſub Aeſchilo Athenienſium Iudice, quum regnum Lydorum inciperet, eius primus rex Ardiſus præfuit, Ars ſculpendi Marmoris cœpit. Ezechias mox natus eſt, & paulò poſt, Tiglat. Phul, Aſſar rex Aſſyriorum, vrbes Aion, Abel, Betmecha, Ionacha, Cades, Aſor, Gilead, & Galilæam & vniuerſam terram Naphthali, occupauit, & in Aſſyrios Iſrael tranſtulit, ipſumq́; regnum quod ſtetit annis 282. ceſſauit. Cynethon Lacedemonius Poeta, ſub Tyrnna Macedonum rege, Thelegoniam ſcripſit. Cunelus & Archimus Poetæ, apud Athenienſes, florent. Hic Iliacam Vaſtationem ſcripſit. Romulus & Remus, quo tempore Sol omninò defecit, nati ſunt. Ioathas autem Rex Iudæ pius erat, & feliciter aduerſus Ammon pugnauit: & portam Domini Specioſam, ab Hebræis Ioathan dictam, pendentem (reliquæ enim omnes portæ templi terræ ſuperædificatæ erant) conſtruxit. Odad, Michæ, Amos, Ieſaiæ & Hoſeæ temporibus impius Achaz, quem propheta ne nomine quidem dignatur, ac potius patris mortui nominis recordatur, quoties aliquid, quod ſub huius impietate actitatum eſt, refert. Inſtituerat enim hic Rex falſum Dei cultum, ſacella & aras paſſim, quemadmodum Papiſtæ hodie, per totam terram extruxit. Quamobrem permiſit Deus ipſum, & totum eius regnum grauiter à Pekab rege Iſrael, & Rezin Syriæ adfligi, & ſpoliari. Hoc ſuperſtitioſo & peruerſæ pietatis ſtudioſiſſimo Rege viuente, Ieſaias ſiue Ieſaiahu, Chriſtum Dominum ex virgine naſciturum prædixit. Oſeam vltimus rex Iſrael Pekab interfecit, Et Ieſaias intra tres annos Moabitis ex-

cidium præuidit. Heliſeus Tyri Rex, à Salmanaſſare rege Aſſyriorum oppugnatus eſt. Apud Lacedæmonios Ephorbus primum nomen magiſtratus ſtatuitur. Primus Decennalis Athenarum princeps Carops filius Aeſchili regnauit. Numa Pompilius natus eſt, & Macieratim ab Athenienſibus in Aegypto condita. Cœlius, à quo & Cœlius mons dictus eſt, Thuſcorum Rex, Romulum in bello contrà Cennienſes & Antenates Cruſtumioſque iuuit. Romanorum regnum incepit, ipſeque Romulus & Remus Romam condunt. Ezechias ſiue Hizkyachu ſucceſsit Achaz patri. Salmanazar obſidebat Samariam, qua capta Iſraelitarum Regnum deſtructum eſt. Sybilla Erythrea agnita eſt, & Naxus Syracuſæ in Sicilia condita. Mydas in Phrygia regnauit. Aſimedes Decennalis Athenienſibus, & Alactes Lydoris præfuit. Sennaherib exercitum ob blaſphemiam, quum vaſtaſſet terram Iuda, in reuerſione Aegyptiaca Angelus Domini ad centena octuaginta quinque millia vna nocte interfecit, ita vt rex cum paucis in Niniue fugerit. Merodach Baladam in Babylone Regnum occupat. Catina in Sicilia condita, & Meſſana à Lacedemonijs capta eſt. Paulò poſt Galertius Thuſcorum rex imperium obtinuit. Tandem Ezechiæ decumbenti ſanitatis ſignum datur retrogreſsio vmbræ in horologio Achaz. Sub Aſſar Adon filio Sennaherib Aſſyrijs præfecto, Manaſſes natus eſt. Legatio Merodach, apud Medos ad Ezechiam expedita fuit. Tobiæ hiſtoria & calamitas hiſce temporibus texebatur. Perdiccas in Macedoniæ regem, ex infimo ſtatu euectus eſt. Anno Elidici Decennalis Athenienſium principis, quo & bellum Romuli cum Sabinis durabat. Tum à Sabinis Tarpeia, à qua mons Tarpeius, qui nunc Capitolinus, Clypeis obruta eſt. Tacius Sabinus cum Romulo regnat, vbi Romæ montes Cœlius & Quirinalis adiecti ſunt. Mortuo deinde Ezechia Rege pio, qui ſublata idololatria

verum cultum Dei reſtituit, & ſacerdotibus ſuas decimas reddidit, non fuit in regibus Iuda ante eum tantæ pietatis Rex. Huic ſucceſsit Manaſſes ſummus prophetarum perſecutor, qui & Ieſaiam ſanctiſsimum prophetam, diſſectum ſerra, occidi iuſsit, tandem & ipſe ab hoſtibus captus et abductus eſt. Circa tempora Ioelis, Nahum & Habacuk prophetarum perſecutio crudeliſsima, & impietas Manaſſe ſeu Manaſsis vigebat. Merodach Baladam Babyloniorum rex, omnem Aſsyriorum potentiam ad Chaldæos tranſtulit. Cardiceas Medorum rex Tranquillus vixit. Mare Cares Aegyptij obtinuerunt. Hyppomenis decennalis, Athenienſiũ principis diebus, Camerini victi, eorumq; vrbs capta & colonia facta eſt. T. Tacius à Laurentibus interemptus eſt. Peſtis Romæ. Fidenæ captæ & Colonia Romanorum facta. Camerini Romanos colonos partim cæciderunt: partim eiecerunt, à Romulo iterum ſubacti ſunt. Veientes victi à Romanis, centum in annos pacem impetrant. Deioces Medorum, rex primus apud Medos, regijs honoribus & ornamentis vſus eſt. Pythagoras Spartanus Stadium in Olympia vicit. Nicomedia, quæ prius Aſtacos dicebatur, condita eſt. Croton, Parium, & Sibaris conditæ. Gela in Sicilia, Phaſelis in Pamphilia conduntur. Hypponax Philoſophus floret, & Calcedon condita eſt, eo anno quo Abſander Athenienſium Decennalis conſtitueretur. Peſtis grauis Vrbem & Italiam inuaſit. Candaules Lydorum rex ſtultiſsimus, vxorem forma præſtantem nudam, vt quidam familiarium, ſe autore conſpiceret, coegit. Tandem idem, nempe Gyges rei tam nephariæ autorem interemit, vxoremq; pariter cum regno ex oraculo obtinuit. Eclipſis Solis ſub mortem Romuli facta, & interregnum vnius anni apud Romanos, cui Numa Pompilius ſucceſsit, quando & Lukais, qui Lucam vrbem Italiæ condidit, rex Thuſcorum ſuffectus eſt. Tarentum, à Partheniis duce Phalanto, conditum eſt:

Locri in Italia ædificata. Erixias apud Athenienſes vltimus decẽnalis princeps, poſt quem popularis ſtatus cœpit, & annui Magiſtratus conſtituti ſunt. Tempore Pſammetici, vnius è duodecim ducibus Aegypti, qui regno ſolus potitus eſt, & Cibitij Thuſcorũ regis, Homerus patria Mæon certamine Olympico vicit. Ephraim populus Dei eſſe deſijt. Habacuc Chaldæos ad punienda populorum peccata, à Domino ſuſcitatos docuit, ſub Benmerodoch Babyloniæ & Chaldæorum rege, quando & Argæus Macedoniæ Rex vixit, Ioſias natus eſt. Eurobates Olympico certamine vicit. Leoſtratus Athenis imperauit. Tullus Hoſtilius nepos Hoſtij Hoſtilij Rex Romanorum cõſtitutus eſt. Cæterùm cum Manaſſes in manus Babyloniorum traditus & carceribus mancipatus, agnoſceret peccatum, & ex animo Dominum inuocaret, vltrò in gratiam receptus, & reuera exempli loco omnibus diuinitus propoſitus eſt, quò Deum propitium fore, & iram atq; vltionem remittere velle, ſciamus, vbi ab impietate reſipuerimus. Hozai propheta, tempore Amon impij valde, qui ideò & gladio miniſtrorum ſuorum perijt, fuit, Quo Battus primus Cyrenarum rex Zoan & Cyrenen condidit, atque græcis habitatoribus & Thyreis oppidum compleuit, Sibylla quæ & Herophila in Samo nobilis habebatur. Archilochus hiſtoricus & Simonides, & Ariſtoxenes muſicus illuſtres floruerunt, Metius Suffetius in bello Fidenatium proditionem moliebatur. G. Cluilius Alborum imperator, Albanis ſuſcipiendi belli cõtra Romanos autor, violentam mortem in Caſtris obijt, cui Metius Suffetius, cuius ſub imperio initio Trigeminorum pugna facta, ſuffectus eſt. Ioſias inuentis libris Moſaicis qui multis annis interciderant, conſulto Domino per Holdam prophetiſſam, Rex admodum pius Deuteronomium coram populo legit, idola & ſacella demolitus eſt, Phaſe quoque iam diu intermiſſum celebrauit, & in vſum reuocauit, imò Iudæam, Hieruſalem, & omnem ſibi ſubiectam regionem ab idolis

& excelſis purgauit, ipſaque oſſa falſorum prophetarum exuri iuſſit, & reliquas abominationes à Iuda abſtulit. Hoc tẽpore Nabuchodonoſor primus, tertius Chaldæorũ rex vixit, Phaortes Medis præfuit. Bizantiũ conditũ eſt. Zaleucus legũ lator apud Loces celebratus, qui vbi legem in adulteros, oculis priuandos, tuliſſet, & filius eiuſdem primus legem tranſgrederetur, ac populo intercedente, quò minus eã pœnam filio infligeret, ea ratione ſe miſericordẽ exhibuit, vt nihilominus vis legis à ſe latæ, haudquaquam minueretur. Sibi enim primò, deinde filio quoque ſingulos erui oculos iuſſit: hoc eſt ſuo prius, deinde filij oculo eruto, vtriſq; vſum videndi reliquit. Atq; ita mirabili æquitatis tẽperamento, & miſericordẽ patrẽ & iuſtum legis latorem ſe exhibuit. Exemplum ſanè dignum, vt in omnium Principum oculis, quod rariſſimum eſt, ne dum apud noſtrates legum latores, ſed penes earundem etiam cuſtodes verſetur. Circa hæc tempora dum Ardijs apud Lydos regnaret, & Cypſellus in Corintho tyrannidẽ exerceret, Hiſtrus Ciuitas in Ponto, Chantus & Stagera in Aſia conditæ ſunt, Lampſacus item & Abdera, quãdo & Phalaris apud Agrigentum Tyrannidẽ exercuit, & Fidenæ à Tullo obſeſſæ deditæ ſunt, & Demaratus L. Tarquinij pater, qui Romæ poſt Martiũ regnauit, à Corintho ad Hetruſcos cũ omni ſubſtãtia ſua migrauit: ipſiſq; Tarquinijs vrbe Hetruſca ſedẽ locauit. Hieremias in Hieruſalem hiſce tẽporibus prophetare incepit. Terpander Muſicus inſignis habitus, & Selinis in Sicilia cõdita eſt. Bellum Tulli cũ Sabinis, quibus victis, Romanis cruenta victoria ceſſit, & iterũ maximis contractis copijs, à Tullo bis vincuntur pacemq; petierũt. Sophonias ſeu Zephonias propheta populi Iuda peccata arguit, & præcipuè Idololatriã Philiſteorũ & Moabitarum interitum prædixit, Itẽ Aethiopum & Aſſyriorum, Rectoresq; Hieroſolymitanæ vrbis δωροφαγίας *accuſauit. Atq; vltimum Iſraelis per Chriſtũ conuerſionem prævidit. Phaortes Rex Medo*

Medorũ apud Babylonios cũ omnibus ſuis copijs ab Aſſyrijs cæſus eſt: cui Cyaxeras ſucceſſit. Thales Miſelius Examij filius primus phyſicus agnitus eſt, quando & Philippus Macedonum Rex vixit. In Ponto quoque Boriſthenes condita, & Tullus Hoſtilius cum tota familia ſua in ædibus proprijs, quæ conflagrarunt, interijt: tum Græcia primũ Oraculo Dodonæo vti auſa eſt, Sphærus Lacedemon. Olymp. vicit. Damaſias Athenien. annuũ magiſtratum geſſit. Ancus Martius apud Romanos regnauit. Tarquinius ab Hetruria Romã migrauit. Meſſena à Lacedemoniorũ ſocietate diſceſſit. Scythæ ad Palæſtinã vſq; penetrauerunt, cũ & Necho apud Aegyptios regnaret, Politorium oppidum Latinorũ Martius funditus euertit. Medulliã à Latinis tribus annis poſſeſſam recuperauit: & Ficulneam deleuit. Cæterũ cùm multo iã tempore Ioſias pius quidem omninò rex: ſed qui nec ipſe ſuo tandẽ errore caruerit, magna pace vſus eſſet, multaq́; præclarè egiſſet: audacior factus nihil ſibi infeliciter cedere poſſe, ob pietatẽ, exiſtimauit. Quo fit vt Regi Aegyptiorum alioquin pacis cõditiones expetenti, ex fiducia humanarũ virium, bello illato, in pugna graui vulnere à Nichaone ictus, interijt, cui Ioachat ſucceſſit, & ipſe tamen in Aegyptũ abductus eſt, cũ & Neros Syros vicit in Magdalo et Niniue deſtructa paulò pòſt Thobiæ eiusq́; vxoris mortẽ fuit. Eliakim qui & Ioackim filius Ioſiæ & frater Ioachaz, deinde à Rege Aegypti cõſtitutus eſt, ſub quo Ieremias 70. annorũ captiuitatem prædixit, cuius librũ ideò Ioakim cõbuſſit. Tandem vbi Nabuchodonoſor tota regione ab Euphrate vſque ad Peluſiũ clauſtro Ægypti potiretur, Ioachim tributarium fecit, quando & Sinope in Ponto, & Peruſina apud Macedones condita fuit, & Sadaites apud Lydos regnauit. Poſteà cum non ſeruaret initũ fœdus Ioachim, reuerſus Nabuchodonoſor, eum captum, & iuxta prophetiam Hieremiæ, quem incarcerauerat, cùm & Vriam prophetã occidit, Hieroſolymæ interimi eiusq́; corpus inter

alia cadauera ante vrbem proijci,ſicut Hieremias prædixerat,fore vt ſicut aſinus ſepeliretur,iuſsit. Reliquos autem de Benianim cæteriſq; tribubus ſeptē millia captiuos,fortiſsimos bellaciſsimoſq; abduxit,cui Iechonia qui & Ieboiachim filius Ioachim ſucceſsit,& in voluntariū exiliū tranſmigrauit,& vna cū decē & octo millib. abductus eſt, & à Nabuchodonoſar ſiue Nabuchadnæſar Rege Babel tranſlatus. Cū eo fuerunt & ij pueri adhuc in Babylonē ducti,Daniel,Ananias,Azarias,Miſael,Ezechiel,& Mardocheus, vbi & linguam Chaldæorum didicerunt per triennium.Paulò poſt Epidaunum conditam, quæ poſtea & Dirachium apud Macedones vocata eſt:Item Phalaridis tyrannidem apud Thuſcos deſtructam,& obſeſsionem Velitræ Romanorum ipſamque Sabinorum cædem,quo tempore & Arion Methineus, qui Delphino in portū Tenarum dicitur tranſportatus,clarus apud Lydos habitus eſt.Cleonidas item Thebanus victor in Olymp.apud Macedones extitit, deinde Spammus apud Aegyptios regnauit,et Cyaxares aduerſus Aſsyrios dimicans Ninum ciuitatem cepit. Ezechiel incepit prophetare in Babylone ſub Mathania,quem Nabuchodonoſor Regē conſtituerat,et Zedechiam vocauit,filio Ioſiæ,hoc tempore Eninochidas Athenienſium Imperator vixit.Panætius primus in Sicylia tyrannidem arripuit,et Steſichorus poeta clarus eſt habitus.L. Tarquinius priſcus Rom:Rex quoque declaratus.Cum autē Zedechias à rege Babyloniæ defeciſſet,neque tributam pendere voluiſſet,reuerſus Nabuchodonoſor Hieroſolimam obſedit, cū Ezechiel contra regē Aegypti qui Apries dicebatur,et à Hieremia Haphram nuncupatus eſt,prophetaret,et Cyrenarum oppidum conderetur,Haliactes apud Lydos regnaret,et Tarquinius à Latinis laceſsitus exercitum educeret, Apidanoſq; cæderet, vbi oppidum captum militibus diripiendum dedit.Deinde Cruſtumerium, quod defecerat et Numantium Collatiamq; recepit, Collatiæ item fratrue-

truelem Aruntē Tarquinium qui et Egerius dictus eſt, vnde Tar quinij Collatini deſcendunt, præfecit, et corniculū captum incendio cōmiſit. Cæterùm cū ſuaſu Ieremiæ ſe Zedechias dedere Nabuchodonoſori, haudquaq̄ vellet, imò prophetiam Ieremiæ cōtemneret, fame confectus, quæ tanta erat, vt ne ab eſu propriæ ſobolis quidē multi abſtinuerint, interea dum fugam moliebatur, captus eſt, et pro pace, qua apud exteros frui licuiſſet, in conſpectu ſuo filios trucidari vidit, ſibíque oculos erui ſenſit, deuaſtata Hieruſulem, et templum quod iuſſerat Deus ædificari exuſtum, ſeleƈtiſſimaque populi Iudaici pars in ſeruitutem Babylonicā adducta eſt. Eo tempore Cyaxares Medus Ninum ſubuertit. Pitacus Mytilenus, qui de ſeptem ſapientibus fuit cum Phrinone Athenienſe Olympionice congreſſus, eum quoque interfecit apud Lydos, cum apud Thuſcos, Lucumnocluſinus, Europus, quem & Eropum Herod. vocat, apud Mace: regnarunt. Tum demum Nabuchodonoſor Ammonitarum & Moabitarum regibus deuictis, in Aegyptum exercitum duxit, & vaſtata regione Monarchiam cepit. Hic finiti ſunt anni iſti trecenti nonaginta, iniquitatis Iſraelis: Item quadraginta anni peccati domus Iudæ: qui per dies trecentos nonaginta & quadraginta ab Eze: indicati ſunt. Iſraelis anni ſtatim cum peccato Ieroboam, qui fecit vitulos aureos, incipiunt. Domus autem Iudæ à decimo octauo Ioſiæ, quo lex Dei reperta fuit. Sed ad propoſitum redeamus. Circa hæc tempora Scytharum quædam Cateruæ, domo, ſeditione pulſi, ad Cyaxarem fugerunt, à quo benignè accepti, venationibus præfecti erant. Tandem commiſſo ſcelere ad Haliatten Lydum fugiunt, cauſamque grauiſſimi belli præbuerunt. Adricam Pœnorum rex ſe ſuoſque Apriei dedidit, Sappho et Alcæus poëtæ clari habiti ſunt. Perinthus et Camerina Vrbs apud Lydos condita. Deinde Nabuchodonoſor rex de quatuor regnis mundi vbi ſomnium vidiſſet, eique Daniel illud expoſuiſſet, auream co-

lumnam erexit. Poſtea ſomnio regis de arbore excidēda interpretato, rex e regno ob inſaniam pulſus, cum feris per ſeptem annos in agro egit. Ezechiel tandem in Babylone vidit futuram ciuitatis & templi æterni reparationem. Apries Aegypti rex in Cyrenæos exercitū duxit, apud Iſara ad fontem Theſtina Cyrenæis fugatur, cæditurq́, pauci qui fuga ſalutem ſibi quæſiuere, Aegyptū redierunt. Sub Aſtiage Medorum rege, bellum Lydorum cum Medis ob fugitiuos Scythas ſuſceptum erat. Epimenides Athenas emēdauit. Corinthiorum Tyranni hoc loco in Periandro defecerunt, & popularis ſtatus conſtitutus eſt. Polymneſtor Mileſius puer victor, in ſtadio coronam meruit.. Milo Crotonienſis vir magnarum virium claruit, de quo hoc proditur, quòd ictu nudæ manus, Taurum fecit victimam, eumque ſolidum, qua mactauerat die, abſumpſit ſolus non grauatus. Ornatus vrbis Romanæ ex Tarquinio originem ſumpſit, quod attinet ad officinas, tabernas, cloacas, muros & ſimilia. Actius Neuius augur, qui cotem nouacula ſcindi poſse prædixerat, claruit. Latini in amicitiam & ſocietatem Romanorum recepti ſunt. Pons Sabinorum, induſtria Tarquinij concrematus, caſtra item capta & direpta ſunt. Hetruſci contra Tarquinium bellum mouerunt. Maſſilia ciuitas Galliæ condita eſt. Hetruſci maxima clade affecti rebellare in poſterum deſperarunt. Hoc tempore Iechonia in Carcerem miſſus, & Nabuchodonoſor cognoſcēs dominū in regnū, reductus eſt. Ezechiel verò anteà martyrio coronatus ex hac vita in alteram commigrauit. Daniel propheta ſub Nabuchodonoſor ſiue Nebucadnezer claruit primò: eiuſque Somnia primus interpretatus eſt. Poſtquam enim Iechonias exaltatus eſſet, qui poſt liberationem Heri dictus eſt, & Euilmerodach quintus Babyloniæ rex inſtitutus, qui et Labynitus vocatur, atque inter Medos & Lydos pax & affinitas facta, quo tempore Solon Athenienſium legiſlator claruit, &

it, & Tales Mileſius defectum ſolis prædixit, ipſéque Cyrus duodecim annorum à filijs paſtorum ludo rex appellatus, Aſtyages Harpago filium proprium edendum propoſuit, & Chilon vnus ex ſeptem ſapientibus in precio eſſet. Daniel tum demùm, propheta ille ex maximis, ſomnium quatuor beſtiarum expoſuit, per Viſionem arietis & hirci, ſtatum ſecundæ monarchiæ, quæ fuit Græcorum, depinxit: tempus quoque regni Chriſti ex angelo poſt .70. ſeptimanas audiuit, quando & Cyrus Babylonem cepit, & Hypponax poëta apud Macedones & Lydos claruit. Hoc tempore Cyrus, primo nempe regni ſui anno id eſt Monarchiæ, Iudæis edicto publico libertatem redeundi in patriam ædificandíque templi domini facultatem conceſſit. Paulò poſt, Daniel Leones vicit, eíque vaſtatio Hieroſolymæ & afflictio populi Dei, prædicitur, poſtea ſub Antiocho Epiphane, Syriæ rege accidit. Zorobabel Iudæis dux præficitur. Pherecides Hiſtoricus, Pythagoræ magiſter claret. Ieſus fit ſummus pontifex, fundamenta templi cœpta, & partim ab accolis Samaritanis, partim à Cambyſe ſiue Artaxerxe impedita eſt ædificatio. Hippius poeta, Simonides Lyricus, & Phocylides in precio ſunt. Tomyris Cyrum vicit. Cambyſes Aegyptum cepit, & Perſarum iuris fecit, quum & Lacedemonij bellum contra Polycratem Samium mouent, & Pythagoras Phyſicus & Philoſophus clarus habetur, & L. Tarquinius principatum Romanorum accepit. Tandem Darius Hyſtapſis filius hinnitu equi rex Perſarum confirmatus eſt, quando Democedes medicus Græcus, apud Perſas claruit, & Polycrates ab Oreſte Sardium præfecto dolo deceptus, crucifixus eſt. Circa Haggai, Zechariæ & Maleachi tēpora. Darius conceſſit, & tributa dari præcepit vt domus Domini cōpleretur. Hiſtoria Eſther ab hoc anno incipit. Arceſcilaus Cyrenarū rex ob antiquas Demonacis conſtitutiones pulſus

Samum fugit, & paulò pòſt vnà cum ſocero rege Alazeri interficitur. Babylon à Dario deficit, & poſt longam obſidionem, fide & opera Zopyri recepta eſt. Megabizus Zopyri filius, Dux Darij Perinthum cepit, Thraciam omnem ſubegit, atque Pœones vicit. Romanorum reges exacti, Reſpublica cum conſulibus cœpit. Alexander Amyntæ filius, laſciuientes Megabizi legatos occidit. Romani primùm cum Carthaginenſibus fœdus iecerunt. Ariſtagoras Ionium Tyrannus Dario rebellauit, ſuaſu Hyſtiei Mileſij, Bubaris Perſa Amynthæ filiam Gygæam vxorem duxit. Otanes Megabizi ſucceſſor, Dux regij exercitus Bizantium Chalcedonios, Antandrum, Lemnum & Imbrum. &c. cepit. Iones & Athenienſes Sardini ceperunt, & igni cõcremarunt. Hinc bellum Ionicum exortum, quando Ieſus ad regem Darium profectus, filio ſacerdotium commendauit Ioachim, qui hiſtoriam Iudith conſcripſit. Item hiſtoriam Eſther, & memoriam Phurim, feſtum quo recordarentur iſtius liberationis Iudæi, inſtituit: adhortante eum Mardocheo, qui decem & octo annis ætatem Iſaac ſuperauit. Atque hoc tempore ceſſauit prophetia in Iſrael quò etiam per tempora, Deus benedictus aduentum ſui filij patefaceret, omnia enim prædicta iam erant, quæ Dominus noſter eſſet adimpleturus, vt nil aliud reſtaret, quam vt tempus redemptionis immineret.

De euentis Dierum.

CAPVT IIII.

DRymus. *Quid autem de dierum euentis dicis?* Symbulus. *Rectè monet Drymus Oliſte.* OLISTVS. *Ecce quanta ſerenitas cum tranquillitate oritur. Negligere hanc temporis commoditatem cõſulitis?* Drymus. *Abſit vt impediamus: At donec famulus equos adornauerit, adite nonnihil.*

OLI-

OLISTVS. *Dierum euentus, libri Paralipomenon Hebræis* דברי הימים *dicti, continent: quibus & ipſis promiſsionis certitudo, à luminaribus profecta innoteſceret. Si enim genealogiam Adam vſq; ad filios Eſau & Iacob diligentius inſpexerimus: filios item Iacob, Iudæ, Heſter, Iſai, Sarui.e, Iair, Ierameel, Caleb, & Dauidis: Reges deinde Iuda à Salomone vſq; ad Sedeciam, ipſoſque filios Ioſiæ, & genealogiam Iudæ, Aſſur, Iabes, Caleb, filiorũ Sela, Simeonis, atque ſtirpem Cham ipſiusq; Amalecitæ deletam: Genealogiam item Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe, & eorum habitationem ipſamq; victoriam aduerſus Agarenos, & tranſlationem in Aſsyriam ob idololatriam: Genealogiam filiorum Leui & Aaron cum habitaculis, cantores & vrbes refugij: Genealogiam filiorum Iſſachar, Beniamin, Nephthali, Machir, Ephraim, Beria, filiorumq; Aſer, ipſaq; nomina Geneſeris Saul: ſi inquã hæc rectius expenderimus, nulla difficultate cauſam certiſsimi euentus aſsignare, nempe Chriſti Domini aduentum, mortem, reſurrectionem & triumphum, poterimus. Depræhendemus etenim præſentiſsima indicia, de ſacerdotibus, Leuitisq; & officijs eorum, panibus propoſitionis, & familia Saulis: quæ omnia, vmbra futurorum bonorum erant. Siquidem Saul propter iniquitates ſuas, partim quòd præuaricatus ſit mandatum Domini, partim quòd inſuper Pythoniſſam conſuluerit, nec ſperauerit in Domino, vnà cum filijs, à Philiſthæis interfectus eſt, & tranſlatum regnum ad filium Iſai Dauid, qui in regem vnctus, voluntatem Domini diligenter exequebatur, & à malo ſedulò abſtinebat, peccatorumq; ſuorum pœnitentiam agens, dilectus ſeruus Dei omnipotentis extitit. Atq; hæc non ſecus portendebant inſignem illam Chriſti victoriam, cuius Typus fuerit Hieruſalem, quæ et Iebus, Arx Sion, ciuitas Dauid, et catalogus fortium Dauidis, reductio arcæ de Cariathiarim, mors Ozæ, quòd arcam Domini, at-*

tingere auſus fuerit. Ligna Hiram regis Tyri, & artifices. Victoria Dauidis aduerſus Philiſthæos. Saltus Dauidis, quamobrem & irriſus fuit à Michol. Arcæ collocatio, & miniſtrorum conſtitutio, ipſaq́; Dei gratiarum actio, atq; prohibitio ædificationis domus Deo, quæ certiſſimum Ieſu Chriſti, qui ædificaturus erat Eccleſiam promiſſionis, ſignum fuit. Siquidem victi à Dauid Philiſthæi, Moabitæ tributarij facti, Adarezer rex Soba regionis Hemath ſuperatus, Syria ſubiecta, Thou pacem conſequutus, Idumæa ſerua, Ammonitæ victi, Sophat occiſus, Rabba vrbs deſtructa, regnum Salomonis, Leuitarum officia & Aaron, cantorum vices & ſortes, ianitores templi, præfecti theſaurorum vinearumq́ cultores, templi deſcriptio, oblationes Dauidis, & principium eius in ædificationem templi, atque gratiarum actio, quid aliud, quàm futurorum bonorum vmbræ erant? vtpote templi viuentis membra, eiuſque ædificatio, victoria & triumphus: ſicut Apoſtolus abundè ſatis docet. Præterea aduertenda eſt oblatio Salomonis in Gabaon, petitio ſapientiæ, numerus curruum & equitum, Artifices Salomonis & eorum multitudo, templi ædificatio, fabricatio altaris holocauſti, Maris, Boum, Concharum, Menſarum, & Phialarum, Atrij, quòd Salomon congregationi benedicat, & gratias agat ob impletas promiſſiones Dauidi factas, poſtquam intulit, quæ dicauerat pater, in templum & arcam, in qua nil aliud erat, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat Moyſes in Horeb: quando legem dedit Dominus filijs Iſrael egredientibus ex Aegypto, item poſtquam gloria Domini templum repleuerat. Obſeruandus quoque eſt ignis, ſacrificium in dedicatione deuorans, & Salomon à Deo exauditus, & ciuitates ædificans: populus tributarius, legatio in Ophir, Regina Saba Salomonem inuiſens, ei munera donans, & ab eo viciſſim accipiens, pondus auri quod importabatur ad Salomonem quotannis,

ſcuta

ſcuta aurea, & vaſa, argentum nullius pretij, equi & equites Salomonis, & ſucceſſio Roboam, Roboam conſilium iuuenum ſecutus, eiusq́; regnum ſuper duas tantum tribus: lapidatus Aduram, prohibitio Dei ne Roboam contra Ieroboam pugnet, ciuitates à Roboam ædificatæ: ſacerdotes idololatriæ à Ieroboam conſtituti, vxores Roboam & filij, traditus populus Iuda in manus Seſac: populus item peccati admonitu, ad Deum conuerſus, Seſac quòd diripuerit domum Dei, Roboam quòd Abia ſucceſſerit, Abia pugnans contra Ieroboam, eum ſpe in Deum fultus occidit. Expendendæ ſunt etiam Abiæ vxores filij & filiæ, & Aſæ ſucceſſio, qui excelſa ſubuertit, Aſæ exercitus, Aſæ oratio in fide, & victoria aduerſus Zaram regem Aethiopum, Azariæ prophetia de diu futuro regno abſque Deo, quòd Aſa abſtulerit idola, multiq́; ex Iſraele ad eum confugerint, quòd Maachani auiam ſuam imperio Aſa priuauerit, quòd Aſa ob initum cum Benadab fœdus correptus à Deo, prophetam qui eum arguebat, incarcerat, quòd ægrotans, nec quærens dominum, ſed medicis potius fidens, moriatur. Ioſaphat filio, Deo fidenti diuitiæ adſunt & gloria, quo fit vt etiam prædicatores per vniuerſam miſerit Iudæam. Hoc quoque diligenter conſiderandum erit, quòd Ioſaphat iunctus impio Achab, præliaturus tamen verbum Dei quæſierit, Micheas accerſitus, pſeudoprophetis reſtiterit, atque Achab occidendum populiq́; diſperſionem prædixerit, Quamobrem à Sedecia filio Chanaan percuſſus, & à rege Iſrael incarceratus fuit, quòd item Ioſaphat, Achab in prælio interfecto, ad Deum clamans, licet educitur, ob præſtitum tamen impio Achab auxilium corripitur. Hinc exhortatio Ioſaphat ad Iudices & Leuitas proficiſcebatur, deinde victoria aduerſus Ammonitas & Moabitas, quamuis repræhenditur, quòd cũ Ochozia amicitias inierit. Cæterũ Ioſaphat mortuo ſuccedit Iorã, q fratres ſuos occidit, et abducitur ad idola. Edõ

percutitur: Lobna rebellat: Elias miſsis ad Ioram literis, prædicit ei interitum: Philiſthæi contra Ioram inſurgentes & Arabes, omnem eius ſubſtantiam, inſuper & filios eius & vxores diripuerunt, ipſeq́; alui languore interijt. Ochozias impius Ioræ ſuccedit, contra Hazael regem Syriæ pugnat, & à Iehu occiditur: Ioas filius Ochoſiæ in regem vngitur, Athalia interficitur, ipſaq́; domus Baal deſtruitur. Sicut autem Ioas tempore Ioiadæ legem ſeruat, & templum inſtaurat, ita Ioiada mortuo declinat ad idola, occiditq́; Zachariam prophetam, ſed et ipſe à ſeruis interfectus. Huic Amaſias ſucceſsit, et patrem vlciſcitur. Ipſe quoq; percutiens Idumæos, eorumq́; deos adorans, in manus hoſtium traditus, occiſus eſt. Oſias ſuccedens, Deum quærit, ideò Philiſthæos vincit, ſed vſurpans ſacerdotum officium lepra percutitur, quo mortuo Ioathas filius ſucceſsit pi⁹, quare Ammonitas ſuperauit. Huic Achaz ſucceſsit, ſed impius, propterea Syris traditus, cui pius Ezechias tandem ſucceſsit, & templum Dei inſtaurauit, quo mortuo Manaſſes ſequitur. Hic inſtauratis excelſis ducitur captiuus in Babylonem, ſed oratione continua exauditur. Ammon ſucceſſore à ſeruis occiſo, Ioſiæ regnum defertur pio. Deinde Ioachaz ſubſtitutus, in Aegyptum ducitur, atq; Eliacim qui & Ioacim, ſubſtituitur. Abducitur in Babylonē & ipſe, & Sedecias ſurrogatur. Populus contemnens Deum, Hieruſalem deſtructa, abducitur in Babylonem, quem Cyrus deinde in Hieruſalem remiſit. Cyri acta, Eſdræ ſcripta declarant. Eò vos remitto quouſq; rediero. Dabo deinde operam, vt & reliqua abſoluam. Gratias ergò agamus Domino Deo pro acceptis beneficijs. Symbulus. *Præſcripſiſti nobis ſuperius orationem, idem & hîc facito: rogo.* OLISTVS. *Magnus es Domine Deus, & laudabilis in ſecula, creator nobis innoteſcis, at redemptor commoraris, Paſcis nos tuo corpore, & ſanguine potas, abs te vnquam ne auellamur. Acceptos nos inſolubili*

ſeruas

ſeruas vinculo, ſponſus. Amicus, omni beneuolentia, & neceßitatis iure, antequam eſſemus, complecteris. Orbitati noſtræ, ſolus es, qui ſuccurriſti, tutor. Animo reuera, tu pater atq; natura protector. A te vtroq; res, & ad fidem oppido, & ad tutandam pietatem vtiles. Reſeraſti arcana nobis plurima, & ingenia quæ ad cultum animorum eſſent apta illuſtraſti paternè. Tibi ſit gloria, & perpetua beneficiorum commemoratio. Verba noſtra atq; facta, laus & decus perenne tibi. Gratiarum ſempiterna tibi, & ſemper durans actio, Amen. Bene ac feliciter valete. Symbulus. *Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit comes itineris.* Drymus. *Ille te protegat, ad laudem & gloriam ſanctiſsimi nominis ſui.*

Τέλος.

BERNARDVS MOLLERVS in Naſum.

Qui poteras naſo ſuſpendere nuper adunco,
Dum fluida naſus ſorde repletus erat.
Si quid fecis erat, ſi quid pituita nocebat,
Naribus emunctum ſuſpicor eſſe tuis.
Si ſapis, emuncto nunc cautius vtere naſo,
Poſtea cum naſis te tibi pugna ſiet.

PAVLI PRINCIPIS DE LA SCALA ET HVN. MARCHIONIS VERONAE, &c. DOMINI CREVTZBVRGI PRVSSIAE.

CERTISSIMA METHODVS, QVA HOMINES palantes, & erroribus turbulentis impliciti, ad viam veritatis reuocandi, & ad beatitudinem conſequendam promouendi veniant.

Contra Centurias Euangelicæ veritatis, Ioannis Naſi Minoritæ.

EA demum magna voluptas eſt Naſe, æqualem ac parem verbis vitam agere, neq; quicquam tam obſcœnum dicere, cui non ab initio pueritiæ, omni genere facinoris ætas tua reſpondeat, vt omnis oratio moribus conſonet. Neque enim qui ita viuit, vt tu, aliter ac tu, loqui poteſt: neq; qui tam illoto ſermone vtitur, vita honeſtior eſt. Certè inſignis cuiuſdam malitiæ eſt, gratis, nulloq; ſuo commodo velle perdere, à quo quis non eſt iniuria laceſſitus. At tuo etiam malo immines in malum eius, quem & religio, & omnium populorum leges atque conſuetudines in tutelam ſuam ſeuocarunt. Chriſtianum decet veſtigia ſequi Chriſti, qui natura bonus ac beneficus, ouem erraticam reportat ad ouile, morbidam ſanat, extinctam ad vitam reuocat, inimicos etiam ſuos blaſphemos, in ſanctum nomen ſuum, amore ſuo præuenit, & ad ſalutem æternam inuitat. Tu odio inſatiabili erga proximum, à quo nunquam læſus es, nihil aliud moliris, quàm vt quàm plurimos tecum in exitium pertrahas. Qua in re non Chriſti legem, non Franciſci inſtitutum imitaris, ſed potius diaboli, hoſtis nihil non molien-

molientis, qui hoc vnum agit, vt nos quibus inuidet Chriſti beneficium, in ſuum ius retrahat: cuius obſtinatam malitiam non ignoramus, non ſolum viribus, ſed mille etiam artibus ac dolis inſtructam in noſtram perniciem: nunquam dormit, nunquam ceſſat, ſed ſemper obambulat, veluti leo fame rugiens, captans, quæritans, ac venans quem deuoret. Nonne Satanæ voluntatē ſequuntur, qui ſacrificant idolis, qui conuitijs inceſſunt adorandū filium Dei Ieſum, qui diffidunt illius promiſsis, qui rebellionem parant Euangelio, qui per iniuriam exitum moliuntur proximo, qui per fas, per nefas in hoc mundo properāt diteſcere, qui fœdis voluptatibus inquinantur? Tu per iniuriam exitium proximo moliens, eris diſcipulus Chriſti? conſectator Franciſci? Si miniſter Chriſti eſſes, ſi æmulator diui Franciſci, non modo à malefactis, ſed etiam verbis homine pio parum dignis abſtinuiſſes, & tanquam freno linguam cohibuiſſes, & infirmitatem proximi verbo iuuiſſes, nō ferro perdidiſſes: gladio ſpiritus ſancti, non diaboli feriſſes: ſcripturæ ſacræ monitis erexiſſes, nō perdita petulantia in calamitatem illius inſultaſſes. Nihil adeo tetrum, immane, & contra naturam cogitari poteſt, quàm corpus vnigeniti ſimul agglomeratum capiti ſuo, tanta temeritate diſſoluere. Quæ te dementia capit Naſe, vt ex monacho rabulam forenſem, imò calumniatorem perditiſſimum agas? Contumelijs te poſſe perficere reris, quod Chriſtus legibus terminauit? Non maledicta & probra illa tua acerbiſsima, ſed leges, Dei manibus ſcriptæ, homines palantes, & erroribus turbulentis implicitos, ad viam veritatis reuocant, atq; animos à praua conſuetudine, ad honeſtas vitæ rationes conuertunt. Leges non conuicia, vitæ & virtutum omnium ſunt magiſtræ, et in cœlum duces, atq; impiæ ſuperſtitionis expultrices, quas neque vis ingenij, neq; vbertas eloquentiæ, perinde ac de nobis meritæ ſunt, collaudare poteſt. Per eas maximus ille cœlitum atq; homi-

num

num pater & rex teſtificatus eſt, quid exigeret à nobis, quiduè faciendum, fugiendumuè foret, vt ad vitam beatam & immortalem peruenire poſsemus. Per eas ille cognitionem rerum diuinarũ tradit animis ſimplicibus ſeq́, ſummiſſe gerentibus: nullus enim ſapientiæ locus eſt, in hominibus impuris & ſuperbis. Hæ mentes hominum, & non tuæ ignominiæ, religione ſancta imbuunt, & reuerentia aduerſus Deum, timoremq́ue ingenerant caſtum & pium, qualis ſolet eſſe optimi filij aduerſus optimos parentes, isq́ue timor animos piorum ab omnibus miraculis puros, integrosq́ue conſeruat, & migrantes è corporibus ſequitur in cœlũ ſanctitatis comes ſempiternus, à quo tu quàm remotiſsimus exiſtis. Hæ optimæ atque ſanctiſsimæ leges, & non tuæ incredibiles, ac inauditæ ineptiæ, docent iudicio, & ratione cuncta agere: hæ ſumma iuſtitia, & veritate iudicant, quibus præmijs boni ſint afficiendi, quibuſue ſupplicijs mali. Itaque cum ab illis planè derelictus ſis, quis non videt te nulla ratione, ſed mera libidine, & cupiditatum æſtu impulſum, ad gratiã illa omnia effutiuiſse, quæ de me ſumma petulantia & procacitate Centurijs tuis concepiſti? Atque ſi ita, vt me, reliquos quorum infinitus eſt ibi numerus, perſtrinxiſti, quàm infeliciter tẽpus & operam inſumpſeris miſer, non ſatis dici poteſt. Nam quod Centurijs Euangelicæ veritatis (quas rectiùs Centones calumniarum inſcribere debebas) anno Chriſti 1568. Ingolſtadij ex officina Alexandri VVeiſſenhoren emiſsis, & nunc primum à me viſis, meam religionem increpuiſti, tãtum me abeſſe puto ab irreligioſis, quantum tu abes à religioſis. Neque te tui piget homo leuiſsime, cum ea culpas, quæ ibidem mihi gloriæ ducis. Quid enim mentiri turpe duces, qui mihi audeas ſtudium bonarum artium, vt vitium obijcere, cuius ſemper nocens eguiſti patrocinio? An vllum exiſtimas poſſe fieri verè nobilem, qui non his artibus & diſciplinis ſit eruditus? An vlla alia putas eſse rudimẽta, & incunabula virtutis, quib.

animi ad gloriæ cupiditatẽ aluntur? Sed minimè mirũ eſt, ſi homo qui deſidiæ ac luxuriæ plen⁹ ſis, hæc vt noua, ac inuſitata mireris. Quod ergo iſta inuſitata rabie petulãter in nomẽ & religionẽ meã inuaſiſti, q̃ facilius in medijs fluctib. conſiſtit, quã tua in ſumma trã quillitate, ſatis doctè ac peritè feciſti: non enim me ſperaſti mutuam tibi gratiã relaturũ, vt viciſſim tuã cõpellarem. Vnus enim ſatis es materiæ habẽs, neq; quicquã turpius eſt in Eccleſia Catholica, quã tu. Multũ te verò opinio fallit, qui putaſti vllo ꝓbro poſſe inquinari religionis et nominis mei ſplendorẽ, mihiq́ inde parare inuidiã vnde reportare me gratiam & gloriã omnes intelligunt: tuasq́ improbas obtrectationes, cũ mea laude coniunctas, nullamq́ de meis aduerſarijs vltionẽ optari poſſe maiorẽ, quã vt ſemper ſui ſimiles ſint, ego mei. Incredibili inquã audacia me in diſcrimẽ nõ tã nominis, famæ, & fortunarũ omnium, quã vitæ & religionis adducere contendis: ego tamẽ tanta meæ laudis integritate fretus ſum, vt nõ modo viris bonis, ſed etiã improbis, & quidẽ acerrimis hoſtib. meã cauſam me & probaſſe, & probaturum confidã. Ego apoſtata Naſe? imò verò tu es apoſtata, qui ſummorum hæreticorum patronum agis. Neque enim eſt vlla hæreſis, quam factio Truchſica non imbiberit, & ſalutarit. Poteſtnè is eſſe apoſtata, qui pro Catholicæ & Romanæ Eccleſiæ defenſione exulat? Quo aũt conſilio ego Neopiſtorũ latebras perſcrutatus ſim, eorumque conſortio adhæſerim, quid deniq; emolumenti Eccleſiæ Romanæ attulerim, rogetur Apoſtolus 1. Theſſ. 5. qui inquit, omnia probate, & quod bonum eſt tenete. rogetur Pont. Max. rogetur Almericus Picolomineus præpoſitus Vratiſlauienſis. rogetur Interim Auguſtale, rogẽtur ſcripta noſtra nouiſſima. Si quid enim antea à me editũ eſt, id non ad articulos fidei ſpectat, ſed ad abuſum cleri, ex D. Bernardo & Cartonẽſi deſumptũ vt paulò poſt referam. Rogetur zelus meus, quo nõ dubito etiã vita interpoſita cũ omnibus hæreticis in arenã deſcẽdere. Et tamẽ ego tibi apoſtatæ, apoſtata videor? Quis ex tuis vitã libidini hæreti

torũ, ſi vincatur, audet exponere? Quod tu nõ audes, ego vltro offero, & nihiloſeci⁹ me criminari nõ vereris, quẽ iuuare debebas? Id ſi tu mihi vt vitiũ obijcis, temeritas tua rep̃henditur nõ meũ vitiũ culpabitur. Si Romanæ & apoſtolicæ Eccleſiæ ver⁹ alũnus fuiſſes, & Pont. Max. dignitati & autoritati conſultũ eſſe voluiſſes, nunquã Truchſicã factionẽ, iure pont. & ciuili, atq; omniũ populorũ legib. et cõſuetudinib. damnatã, defendiſſes, cũ nemo hac ipſa factione omniũ hæreſum & rerũ nouandarũ cupidiſſima, magis põtificijs decretis obſiſtat, & Eccleſiã Romanã ſpernat. Vt nemini dubiũ ſit, te nõ religionis cauſa, ſed ad gratiã alterius ſubornatũ has calũnias euomuiſſe, & omnia ad voluntatẽ, nil ad veritatẽ protuliſſe. Quã verò egregiè monaſticæ regulæ morẽ geſſeris, veritas ipſa Luc. 6. 1. Pet. 3. 1. Cor. 5. 6. iudicet, q̃ vetat etiã pro malo retaliare malũ: aut conuitiũ pro cõuitio, cũ ſcimus nos in hoc vocatos eſſe, vt benedictionem hæreditate poſſideam⁹. Profectò nunq̃ iſta ſcelerata tua mẽte atq; nequitia inuſitata, meã innocentiã inceſſiſſes, multo min⁹ in meam perniciẽ ſtragemq́ cõiuraſſes, ſi aduertiſſes hanc ipſam, benignitate Dei immortalis, in autores ſceleris redundaturã, vt primũ innotuerit barbarũ propoſitũ tuum, crudelitate periculoq́ & calamitate omnib. pernicioſſimũ, teq́ ab omni humanitate derelictũ, perditũ, & redũdantẽ impudicitia flagitioſa, atq́ ignauia ſingulari. Quis eſt tã ſtupidus q nõ videat vtramq́ illam centuriã nil aliud cõtinere, q̃ inanes centones & meras calũnias? At calũniæ nõ à Deo, ſed à diabolo patre calumniarũ proueniunt. Quo fit vt mox ab initio pateat vel in ipſo titulo libri, quẽ Euãgelicæ veritatis cẽturias nuncupaſti: qualis ſit tua illa monaſtica caſtitas, quæ caſtis eloquijs conſtare debet. Prodidiſti enim virus, quod in pectore geris, ſpiritum videlicet brutum, animalem, tumidum, intractabilem, cum carne coniurantẽ, à veritate deſciſcentẽ, qui inflat, & non eum qui ædificat, ſcilicet ſuauẽ, mitem, cœleſtia ſapientẽ, aſpernantẽ ea quæ videtur,

quoniam temporalia ſunt, atque ſubuolantem ad ea quæ non viden tur æterna, vt tibimet velut exanimatus, per Chriſtum ſpirares, ac in illo vno, illiq; vni viueres, tibi mundoq; mortuus. Etenim ſuop te ſpiritu qui viuunt, ij verè mortui ſunt: Chriſti vero qui aguntur neq; in carne ſunt, neq; ſub lege, ſed vitã viuunt immortalẽ, capitis nunquã morituri, membra immortalia facti. Prodidiſti inquam pi lis ouillis veſtitam mentẽ lupi: prodidiſti talentũ tot mendacijs val latum, tot tenebris inuolutũ, tot impoſturis ſeptũ, tot naſis inflatũ, vt nemo ambigat, quin omnia illa, quæ tanta arrogantia euomui ſti, tanta petulantia effutiuiſti, tanta procacitate blatiuiſti, tan ta impietate congeſsiſti, ſint non à viro Catholico, ſed diabolico: nõ ab alumno Romanæ Eccleſiæ, ſed à diſcipulo Babylonicæ meretri cis, impiè & nefariè conficta, & conflata. Itaq; pro maledictis tuis maledicta referrẽ, niſi in idem vitium procacitatis, quod tibi obij cio inciderem, & mea dignitas atque ſplendor nominis viola retur, atq; hæ omnia iã olim partim Cenſura Catholica, & alijs me is libris, quos pro defenſione Eccleſiæ Romanæ conſcripſi, partim pro iudicio diſcuſſa, & ſententia iudicis definitiua, atq; omnium iu diciorum, & iuriſconſultorum, qui habentur in vniuerſa Europa longè clariores, promulgata eſſent, quibus innocentia mea, & ad uerſariorum calũniæ, quarum tu patrocinium ſuſcepiſti, ſatis a bundè declarantur & reteguntur: perficiam tamen id ita, vt om nes intelligant me non reddidiſſe, ſed accepiſſe iniuriam, & inſig nem eſſe hanc aduerſus me hominum leuiſſimorum improbitatẽ & impoſturam. Nam quod quædã Encyclopædiæ noſtræ adieci de abuſibus cleri & pontificum ex D. Bernardo, & Iuone Carnoten ſi ad verbum deſumpta, atque Epheſiam duſputationem, vnde tu animum in me exacuiſſe videris, non video quid idcirco Eccleſiæ Romanæ deceſſerit, aut derogatum ſit: quin imò ſi rem penitus in troſpicias, eam promoui, atque propagaui, dum auctam reuexi,

explo-

exploſam reſtitui, euerſam inſtauraui, Cuius rei ſit teſtis ampliſſimus Pont. Max. & alij paulò antè recitati. Quod porrò antichriſti Romani ibi memini, & Babylonis, id feci autoritate D. Petri, qui in prima ſua Epiſtola, Romam Babylonem figuratè appellat, teſte Hierapolitæ Epiſcopo Papia apud Euſebium Eccl. hiſt. lib. 2. cap. 15 Salutat, inquit, vos ea quæ in Babylone eſt electa Eccleſia. De hac electa Eccleſia abſit vt quicquam ſiniſtri ſenſerim: Babylonem ſolam perſtrinxi, in qua Eccleſia illa electa relucet. Ad hanc ſpectat abuſus miſſæ, purgatorij, operum, fidei & ſimilium: ad hanc Hierarchia dæmonum pertinet, ad hanc omnes hæreſes & ſchiſmata Hinc manifeſtè apparet aliud eſſe Romæ ſiue in Romano imperio collectam Eccleſiam, in qua ſedet, D. Petrus & ſui ſucceſſores Papæ beatiſſimi, quæ quidem Eccleſia Catholica dicitur: aliud variorum dogmatũ, & hæreſum Romæ, vel in Romano imperio diſperſam diſſonantemq́ Eccleſiam, quæ propriè vocatur Babylon, id eſt confuſum Chaos, cuius caput eſt Antichriſtus. Ad hunc ergo Romanum Antichriſtum, quædam in Encyclopædia ſcripſi, & omnes ferè ibi hæreſes complexus ſum: quamuis ſub obſcuris rerum indicijs, vt tantò liberius aduerſariorum mentem exquirere poſſem. Ibi ago de operibus aduerſus Pelagium, qui ſuis meritis ſine gratia Chriſti, vitam æternam, ſe conſequi poſſe docebat: quod ego fidei quæ per charitatem operatur tribuo. Gal. 5. Ibi de purgatorio aduerſus Neopiſtos, qui docent animas in purgatorio poſſe mereri & demereri, & idcirco de ſalute ſua nõ eſſe ſecuras. Hæc & ſimilia cùm non intelligeres, facilè induci potuiſti, vt crederes ſcripta mea aduerſus Eccleſiam Romanam militare. Retinere tamen te in officio poterat, & ab illa credulitate auertere epiſtola, Romani Antichriſti Epiſtolæ, præfixa, in qua expreſſe aio me de pijs & probis Eccleſiæ Romanæ vel Epiſcopis, vel clero nihil agere, ſed illos tantùm notare, qui mali eſſent, & impij. Imò Chorea ipſa

aſſeueranter affirmo, infidele eſſe ſcripturis ſacris nõ credere, impium ſacerdotes ſpernere. Boni ſunt ſacerdotes, melior Epiſcopus, ſuper oẽs ſanctiſſimus ſummus pontifex, & princeps ſacerdotũ, Cui creditæ ſunt claues regni cœlorũ, & Commiſſa ſunt ſecreta Dei: princepsq; quidem ſecundum Deũ, pontifex ſecundũ Chriſtum, quem qui honorat, honorabitur à Deo: qui inhonorauerit, inhonorabit illũ Deus, & vltionẽ euadere nõ poterit. Exẽplo ſunt Dathan & Abyron: hi enim reſtiterunt Moſi, & terra viuos abſorbuit. Multi cum Chore conſpirauerũt aduerſus Aarõ, & igne cõſumpti ſunt. Achab & Iezabel perſecuti ſunt prophetas, & canes comederũt eos. Egreſſi ſunt pueri vt illuderent Heliſæo, & vrſi dilaniarunt illos. Ozias rex cõtra ſacerdotes ſacerdotiũ arrogare auſus, leproſus factus eſt. Saul quia præter Samuelẽ ſacerdotum principẽ ſacrificare præſumpſit, regia vnctione ſimul, & prophetico ſpiritu priuatus, à deo datus eſt ſpiritui malo. Itẽ, Nefas eſt propter modicas & quaſlibet cauſas, quæ Chriſtianæ fidei nihil officiunt, vnitatem Eccleſiæ ſcindere, & corpus Chriſti diuidere: & quod Phariſæis Saluator improperat, excolare culicẽ & Camelũ glutire, atq; turbata pace Eccleſiæ in illis pugnare, vnde plus obſit ſchiſmatis pernicies, quã proſit correptio, teſte Irenæo lib. 4. cap. 62. aduerſ. hæreſ. Hæc ibi ad verbũ. Quod ſi idcirco dãnandus ſum, vtiq; & Irenæ⁹ dãnandus veniet & D. Bernardus, q̃ libris de cõſideratione, declamatione, & paſſim in abuſus cleri & Eugenij Pont. Max. inuehitur: & Hierony. qui in p̃fatione Dydimi de. 5. Sancto & Babylonis, & purpuratæ meretricis meminit: & Carnotẽſis ac ſimiles ſancti patres, quorũ & verba retuli. Sed obijcies, decẽnio me cũ Neopiſtis fuiſſe, & propterea ab eorũ hæreſi immunẽ eſſe nõ poſſe. Ergo hoc eodẽ argumẽto concludẽ Dauidẽ apud Alienigenas, Danielẽ apud Nabuchodonoſorẽ, Mardochæũ apud Aſuerũ, & ante hos Ioſephũ apud Pharaonem, quoq; fuiſſe hæreticos & idololatras. Sed fac errauerim: errauit &

Petrus

Petrus negãdo Chriſtũ, & Tertul. Cyprianus, Auguſt. & id genus alij ſancti doctores etiã martyres, qui poſtea Eccleſiæ multũ profu erũt. Quoties prolapſi ſunt Iſraelitæ, & reges eorum, qui rurſus ad viã reuerſi ſunt veritatis? Egonè ſolus repudiãdus & execrandus ſum, qui ad gremiũ Eccleſiæ redeo, & pro illa aduerſus oẽs ſectas in terpoſita etiã vita decertare non detrectẽ? Sanè admodũ impudẽs es, cũ hominum eruditionẽ, vitã: mores, animos, admiſſis criminibus metiris: quaſi vllus vnq̃ hominũ, ꝓter Chriſtũ, ſine crimine & peccato repertus ſit: quaſi nulla reſidua ſit miſericordia Dei, ſed prorſus ex Eccleſiæ cœtu eijciẽdus, vt Nouatian⁹ ait, neq; amplius recipiẽdus, qui ſe ſemel fœditate flagitiorũ maculauerit. Fruſtra igitur Chriſtus incarnatus, & paſſus eſt: Mariæ Magdalenæ inſignis me retricis, & latronis in cruce pendẽtis, quoq; ſalus fabuloſa eſt, ſi pec catorib. nulla reſtat ad vitã acceſſio. At Chriſtus ipſe teſtatur ſe veniſſe ꝓpter ægrotos, & nõ propter eos, qui benè valent. Hic enim re cordatus eſt, veterũ ſuarum miſericordiarũ & cœleſti ſuo artificio noſtrã ſtultitiã vertit in ſuã gloriã: improborũ mala vertit in Eccle ſiæ ſuæ bonũ. Solet enim ſua miſericordia tũ maximè adeſſe quũ reb. maximè deploratis hominũ nec vires, nec prudẽtia poſſũt opitulari. Hic res ſolus q̃libet diſcordes redigit in cõcordiã, vnicus pacis & ſa lutis autor & tutor. Hic plus lætatur ſup vna oue pdita & rurſus inuẽta, q̃ ſuper nonaginta nouẽ non pditis. Hic ouẽ vlceroſam & vagã, cura potius q̃ pœna dignã iudicat. Hic ille eſt optim⁹ pater, q filium tã malè dicto audientẽ, tã à paternis morib. degenerẽ, nõ exhæ redat, nõ abdicat, ſed patria victus pietate, reſipiſcẽti vltrò etiã in amplexus occurrit. Non ille reuerſum domũ prohibet, nõ ſupplicẽ à genib. repellit, ſed ad primam ſtatim pœnitẽtiæ vocẽ, in collũ infuſus oſculo dignatur. Et quẽ ille lentiſſimè ſuſtinet peccantẽ, atq; pœnitentẽ lubẽs admittit, pannoſoq́ nouam ſtolã depromi iubet, & ſup pliciũ meritò, parat conuiuiũ, & cui de ſuo veteres omneis noxas

condo-

condonat: hunc tu nulla venia dignum, ſceleribus pudoreq́ cooper-tum, veluti ſeruum nequiſsimum, ad crucem, ad compedes æternas remittis, & noxæ dedis, quẽ exemplo Chriſti, ad veniam vocare debebas, & emẽdatum in familiã recipere? Væ hyemi pectoris tui: væ letargo mentis tuæ: væ duritiæ cordis tui plus quam adamantini, quæ indulgentia & benignitate optimi parentis moleſcere & excitari nequit, vt quem ille prior adamarit, tu poſterior redamares. Facilè inde perſpicitur, te ſcripturas ſacras, non ex afflatu ſpiritus ſancti, ſed ex humano ſenſu interpretari: qua ratione nihil peſtilẽtius Eccleſiæ contingere poteſt. Nec dum ex regio vate didiciſti, purum & caſtum cultorem Dei, habere magiſtrum Deum, & doctorem? Hic illi leges dat ſalutares, & accommodatas ad eam viuendi rationem, quam is ſibi conſtituerit. Neque enim omnes qui pietatem colunt, eandem vitæ ſequuntur viam: ſunt enim qui rempub. capeſſant, ſeq́ue ad gerendas res magnas, hominumq́ue generi fructuoſas accõmodant, ſunt qui ocium præferant, & in contemplationes rerum diuinarum ſeſe totos conſtituant: alij ad ius ciuile, alij ad mercaturam ſeſe applicant, alius denique alio ætatis degendæ genere implicatur: ſed quàm quiſque vitæ non vitioſæ viam adamarit, in ea poteſt iuſtitiam, fidem, pietatem, temperantiam præſtare, Deoq́ue chariſsimus eſſe, qui publicanis & militibus, ſeruis & dominis, parentibus & liberis, maritis & vxoribus aptiſsimas leges dat: quas quiſquis obſeruauerit, animus eius omnibus bonis abundabit. Leges enim Domini ſanant animos, inanes timores & ſolicitudines detrahunt, cupiditatum & libidinum flammas ardoresq́ue reſtringunt: homines magnos, excelſos, & humana omnia cõtemnentes efficiunt: pietatem, gaudium, pacem, ſpem, ſecuritatem largiuntur, & excedentibus è vita duces ſunt in cœlum: vbi ſanctis viris parata ſunt præmia, quæ neque oculis cerni, neque verbis explicari, neque animo comprehendi queunt. Ad has ergo leges

confu-

confugiendum eſt, & harum præſidio proximus erroribus implicitus ad viam veritatis reuocandus. Harum legum cognitionem extra Eccleſiam nemo quærat, cum Chriſtus non niſi in Eccleſia maneat, & illam perpetuò ſua præſentia regat, & ſui ſpiritus ſecretis incantamentis, ſuæque gratiæ ſuccis in ea homines transfiguret & omnipotenti miſericordia ſua, non corpus modò, verumetiam animam refingat, neque mutato tantum ſenio iuuenem, verum etiam propulſata morte viuam faciat & immortalem. Cùm igitur extra Eccleſiam ſpiritus Domini ſe non extendat, ſed in ea duntaxat Chaos illud vetus, in quo nullo ordine, nulloque decore cõfuſa iacebant diſcordia rerum ſemina, digerat, atque ſe expandat ſuper aquas malè fluctuantium dogmatum, qui iuxta ſermonem prophetæ continet omnia, & ſcientiam habet etiã vocis, & facit, vt quẽadmodum cunctis in domo ſua verſantibus vna lex eſt, vnum baptiſma, vnus Deus, vna ſpes, vnus ſpiritus, ita ſit & vox vna Catholicam veritatem prophitentium: danda opera eſt, vt non minori cura, atque diligentia amplectamur decreta Eccleſiæ & cõciliorum, quæ Deus per ſpiritum ſuum dedit, & ex alto, more triumphantium, ſparſit miſſilia præcioſa, atque contulit dona in hominibus, & dilargitus eſt varia ſui ſpiritus munera. Vt rurſus ex alto renouet veterem munificentiam ſuã, & det Eccleſiæ ſuæ labaſcenti, quod dedit naſcenti, principibus timorem, paſtoribus ſpiritum prophetiæ, ſacerdotibus ſobrietatis & caſtitatis amorem, populo bonam voluntatem obtemperandi præceptis ſuis, & promptitudinem obſequendi ijs, per quos iuxta ſuum animum voluit res humanas adminiſtrari, quo Eccleſiæ ſimul cum ordine redeat priſtina tum dignitas, tum tranquillitas, ad ſui nominis gloriam. Itaque oratione à Deo imploranda eſt ſana mens proximo, & non diræ illi imprecationes cumulandæ: deinde legibus adnitendũ vt ad viam veritatis reuocetur, atq; conſtitutionibus Eccleſiæ perſuadendũ, quæ ſola do

num prophetiæ habet, & arcanas ſcripturas, non ex humano ſenſu, ſed ex diuino afflatu interpretatur, atque ſpiritus, qui ex Deo non ſunt, patefacit. Hæc vna & præſentiſſima eſt via, qua errantes ad viam veritatis reuocari poſſint. Id verum eſſe haud obſcurè intelliges, ſi quæ ſequuntur perſpexeris. Et vt ab Anabaptiſtis exordiar, nonnè horum ſecta, licet ſacræ ſcripturæ teſtimonijs nitatur, idcirco depræhenditur ſcripturas non ex afflatu diuino interpretari, ſed ex humano ſenſu, qui nil niſi limum vnde profectus eſt, ſapit. quia iam olim ab Eccleſia damnata, & reiecta eſt, atque autores, ſiue conſectatores illius, hæretici declarati? Quis hunc ſpiritum non videt eſſe non ex Deo, ſed ex patre mendaciorum diabolo? Quotieſcunque igitur occurrit nobis aliqua peregrina ſcripturæ ſacræ interpretatio videndum eſt, an antea ab Eccleſia damnata ſit, & quinam hæretici eam tutati fuerint, atque ita nemo niſi hæreticus, hæretici opinionem tutabitur. Quod ſi damnata non fuerit, nec vllus extiterit antea illius autor, aduertendum tamen eſt, vt Eccleſiæ decretis eiuſmodi interpretatio conſonet, aliâs & hæc ipſa non ex diuino afflatu, ſed ex humano ſenſu pendebit. Nemo proinde exiſtimet interpretationem legis extra Eccleſiam conſiſtere poſſe. Quocirca Anabaptiſtæ ideo explodendi ſunt, quia extra Eccleſiam petunt interpretationem ſcripturarum, ſcilicet ab hæreticis Menandro, Saturnino, Marco, Donato, qui expreſſè docuit Catholicos eſſe rebaptizandos, qua hæreſi totam Aphricam & Iudæam infecerat. Simile quid ſenſit Adelphius hæreticus, Eunomioeuchtichiani, Priſcillianitæ, Pelagius. Hanc hæreſim ſopitam reſtituit nobis Thomas quidam Monetarius. Oſores pontificum & obedientiæ, quoque ab his, qui extra Eccleſiam poſiti ſunt dependent, videlicet, ab Hydroparaſtis, Templarijs, Valdone Fraticellis,

Begardis, Dulcino hæreticis, quam hæreſim Vuicleffus renouauit: Defunctorum temeratores à Sadducæis, Aërÿs, Henricianis, Petrobruſsianis hæreticis: Prophanatores Eccleſiaſticæ doctrinæ à Theodoro Coriario abnegante legem & prophetas, Samoſateno, Nouato, quæ hæreſis hodie apud omnes hæreticos in præcio eſt: Conciliorum contemptores ab Ario, Neſtorio, Eutiche, Dioſcoro hæreticis: ſacrarum literarum riſores ab Hebionitis, Artemone, Manichæis, Alogÿs, Templarÿs, Aetianis, Baſilide, Tatiano, Seuero, Apelle, Potito, Baſiliſco, Themiſo, Cataphrygis, Martianis, Helcheſaitis, Samoſateno, Abailardo, hæreticis, quæ hæreſis hodie latiſsimè patet: Hoſtes bonorum operum & meritorum, à Prædeſtinatis, Eunomiotheophronianis, Euchitis hæreticis, quæ hæreſis hodie paucis non eſt familiaris, Adiaphoriſtæ, qui putant nihil referre, quid quiſque credat, ab Apelle: Peruerſores ſcripturarum & arbitratores, ab Helcheſaitis, Luciano, Saturnino, Martiano, Audæo, Antropomorphitis, Cerintho, Chiliaſtis, Tatiano, Sabbatio, Themiſo Euangelÿ laceratoribus hæreticis, quæ hæreſis vſqueadeò hodie inualuit, vt nihil ſit acceptius nouatore ipſo: Autodidacti ab Enthuſiaſtis, Eunomiotheophronianis, Adelphio: Sacramentarÿ, ab Euchitis, Lucio, Apelle, Marco, Valentino, Neſtorio, Eutiche, Berengario, quæ hæreſis quantum hodie turbet Eccleſiam, nemo non videt. Hic de altera ſpecie multa controuertuntur. Si porro expendatur, cur Epheſina Synodus, extra tremendum ſacrificium, vſu alterius ſpeciei tam laicis, quàm clericis interdixerit, non mirabitur controuerſor, cur etiam hodie idem Eccleſia ipſa faciat & retineat. Neſtor negauit diuinitatem Chriſti, & idcirco ſpecies illas aiebat

nihil aliud continere niſi cadauer & cruorem. Zuinglius & Caluinus Neſtore abominabiliores, & cadauer, & cruorem prorſus auferunt, hoc eſt, realem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti penitus negant. Idcirco Eccleſia hodie maiorem habet cauſam interdicendi altera ſpecie, more concilij Epheſini. Quod ſi autē & Neſtor, & Zuinglius huius ſacramenti myſterium caperet, votis humanis atque adeò intellectu maiorem, haud dubiè ab Eccleſiæ ſenſu & conſuetudine nūquam recęderet. Quid enim hoc vſqueadeò mirum, ſi in Deum tranſfiguretur homo, magis mirum quod in hominem transfiguratus eſt Deus. Incogitabile vtrunque, incompræhenſibile vtrunque, verùm hoc demum incompræhenſibili Dei miſericordia dignum, incompræhenſibilia beneficia largiri. Hæc adieci, vt cùm videam te tuiq́ue ſimiles occæcatum tot calumnijs, non cernere verum, neque aduerſarijs occurrere poſſe, quo vel iam diſceres ſcripturæ, & conciliorum firmis argumentis, & non vituperijs, atque conuitijs reſpondere. Conuitiari enim etiam vetulæ anus norūt: diſſerere autem & ingenium, & ſtudium requirit. Sed redeo vnde digreſſus ſum. Qui preces pro nihilo ducunt, dependent à Spernentibus preces hæreticis: In vtranque aurem dormientes, ab hæreticis ἀπαθείας: Spernentes vigilias, à Nyctagibus hæreticis Luſores reliquiarum ſanctarum, & ſuffragiorum ſanctorum, à Vigilantio hæretico: Deturbatores imaginum à Baſilio, Theodoſio, Sizimo, Eutiche, Dioſcoro, Photio, Felicianis, Leoniſtis hæreticis, quæ hæreſis quanta ſit hodie, tot inteſtina bella neminem non docent: Sarcophagi à Iouiniano, Aërio, Euſtachio, Begardis & Beguinis hæreticis: Probibentes nubere & abſtinere à cibis, à ſpiritu impoſtore, Encratitis, Saturninis, Marcioniſtis, Montano &c. Hæc ſi plenius cognoſcere cupis, lege Catholicam noſtram Cenſurā & annotationes in Biblia, atque Effigiem veteris Eccleſiæ. Ita ergo hæretici confutandi veniunt, ita erroribus impliciti ad veritatis vi-

tis viã reducendi,& nõ calumnijs atque conuitijs,à quibus et natura nos,et ſacræ literæ docent eſſe debere abhorrẽtes. Iſtiuſmodi argumentis, quod intendebas effeciſſes,et non tuis criminationibus, quibus et tempus malè et chartas perdidiſti, et tibi ipſe maculam inuſſiſti, quam reliqua vita tua eluere nequeas. Cùm enim errabũdi vident, ex quibus monſtris pendeant,nemo eſt, quem non moueat,vel nomen hæretici,vt quàm primum reuertatur, vnde aberrauit. Ita in omni errore eſt agendum, vt habeamus certa argumenta,quibus proximi imbecillitatem iuuare valeamus, et Eccleſiam Dei ædificare. Vituperia certè tantum abeſt, vt id præſtare valeant,vt etiam magis errantes erroribus implicent. Nam hominum vulgus Deum et religionem ex ipſis cultoribus æſtimat. Etenim cùm vident Catholicæ religionis profeſſores impiè viuentes, conuitiantes,blaſphemantes,ventrem pro Deo colentes, Mammonæ ſeruientes,litigantes, vlciſcentes,ambientes, fraudantes,peierantes etc.dicunt,valeat ille Deus,illa religio,quæ tales habet cultores:valeat ille Dominus qui tales habet ſeruos: valeat ille pater qui tales habet filios:valeat ille rex,qui talem habet populum.Potius in hoc vnicè incumbendum eſt,vt mundus conſpiciat nos,iuxta filij Dei,Domini noſtri Ieſu Chriſti doctrinam viuentes, ipſum ſuper omnia diligentes,ſi proximum perinde vt nos ipſos diligimus diligentes: ſi benè volentes,qui nobis volunt malè: benefacientes, qui nobis malè faciunt. Hæc enim nos docuit Chriſtus, prouocans ad imitationem patris cœleſtis,qui ſolem ſuum iubet oriri ſuper bonos ac malos. Vt hac ratione illuſtretur in nobis vis ac ſplendor Chriſti regni,ſi mundus conſpexerit nos diuini ſpiritus præſidijs inuictos aduerſus omnes inſultus Satanæ, aduerſus carnem ad ea quæ ſunt inimica ſpiritui ſollicitantem, aduerſus mundum omni machinarum genere prouocantem, vt deficiamus à fiducia, quam ſemel in Chriſto fiximus. Quoties enim amore Chriſti,

ſpreto huius mundi regno, ſequimur promiſſa regni cœleſtis. quoties reiecto Mammona vnicum illud margaritum Euangelicum amplectimur, quoties repudiatis omnibus, quæ iuxta carnem ad tempus dulcia videntur, æternæ felicitatis ſpe, omnia quamuis dura fortiter perpetimur. quoties vehementiſſimos naturæ affectus, & ea quæ nobis ſunt chariſſima, veluti parentes, liberos, vxorem, cognatos amore Chriſti negligimus. quoties comprimentes æſtus iracundiæ, pro conuitio ſermonem amicum, pro maleficio beneficium Chriſti reſpectu rependimus: toties debellatur in nobis regnum Satanæ, ac Chriſti regni potentia aperitur. Sic viſum eſt cœleſti ſapientiæ, vt hac graui perpetuáque colluctatione virtutem fidelium & exerceret, & confirmaret. Quod vbi tu rectius aduertiſſes animo, non eſt dubium, quin te à Centuriarum tuarum ſcriptione abſtinuiſſes, & horas illas, quas illis impendiſti elaborandis, melius collocaſſes, ſcilicet ad ædificationem & propagationem Eccleſiæ, & non ad perniciem proximi, pro quo Chriſtus vitam exponere non dubitauit. His ergo quæ nos attulimus, & id genus argumentis, & non calumnijs, quæ nec idiotas, & ruſticos fugiunt, à religione exorbitantes, ad veritatis viam reducere diſcito. Reſtat, vt gentis & nominis noſtri paria argumenta producamus. Neque verò facta mores omnemque ætatem tuam nudauero Naſe, cum Chriſti diſciplinam profitear, ſed meam ſaltem vitam atque acta ita percurram, ne inuidia gloriam conſequatur, id quod minimo cum faſtidio me præſtare poſſe reor. Et primùm à te contendo, ne te videar prolixitate obruere, vt hoc, quod ſequitur publicum reſcriptum, ex Epitome gentis Scaligerorum, à ſummis viris recognita, & iam olim in lucem data ad verbum deſumptum, vel obiter percurras, quod ita habet:

Series a Bartholomæo Scaligero, qui Veronæ vltimus impe

imperauit, ad Paulum vſque deducta, & teſtimonijs varijs, maximè verò ijs, quæ ſequuntur confirmata. In qua præcipuè animaduertendum eſt, etiam Venetorum teſtimonio Scaligeros Regibus Hungariæ ignotos non fuiſſe, qui ſuis etiam annalibus annotatum habent, Scaligeros Principes Veronæ, cùm eſſent in aula regis Hungariæ, à conſilijs ſuis factos, anno Chriſti nati 1388. *Hæc ſunt verba illorum. Hos Pogius Hiſtoricus Florentinus, Orator & ſecretarius Apoſtolicus paſſim principes de la Scala appellat, qui in ſuis facetijs fol.*22.*ita inquit, Dantes Alligerius, Poëta noſter Florentinus, aliquandiu ſuſtentatus eſt Veronæ, opibus Canis, veteris principis de la Scala admodum liberalis impreſſis Antuerpiæ, anno.*1541. *Typis Antonij Gomi.*

Bartholomæus princeps de la Scala Marchio Veronæ.&c.

E*Xtant literæ Bartholomæi principis de la Scala &c. filij Canis Signorij, ex Elizabetha Ludouici Imperatoris filia progeniti, ad Gabrielem Scalich magnum principem Hunnorum, agnatum ſuum.* 2. *Maij* 1380. *& ad Ladiſlaum Scalich regem Boſnenſem, agnatum ſuum.*3. *Iunij.* 1380. *Veronæ & multæ aliæ.*

Sigiſmundus Vuilchelmus filius Bartholomæi.

E*Xtant literæ Sigiſmundi regis Hungariæ, ad Sigiſmundum Vuilchelmum, filium Bartholomæi, ex Blanca filia Galeatij Ducis Mediolanẽſis natum, cum hac inſcriptione. Illuſtri principi,*

cipi, & propinquo noſtro dilecto, Domino Sigiſmundo Vuilchelmo Scaligero, Commilitoni regni noſtri Hungariæ, Marchioni Veronæ, Domino Vincentiæ. &c. 1. *Feb.* 1418. *&c. Albæ Regali, et multæ aliæ.*

Nicolaus filius Sigiſmundi Vuilchelmi.

E*Xtant de Nicolao filio Sigiſmundi Vuilchelmi, ex Angileſia Friderici ducis Teckij filia procreato Sigiſmundi regis literæ, qui illi et nomen Nicolai indidit, datæ Budæ.* 20. *April.* 1420. *Item ad Nicolaum literæ Mathiæ regis, cum hac inſcriptione. Illuſtri principi, & fratri patrueli noſtro Chariſſimo Nicolao Scaligero, Commilitoni regni noſtri Vngariæ, Marchioni Veronæ, Domino Vincentiæ. &c. Datæ Viennæ Auſtriæ.* 7 *Februarij* 1479.

Bonifacius filius Nicolai.

E*Xtant literæ Mathiæ regis Vngariæ, ad Bonifacium filium Nicolai, ex Iſabella Leonelli Aſtæ & Alexandriæ Marchionis filia prognatum, cum hac inſcriptione. Illuſtri principi et fratri patrueli noſtro Chariſſimo Domino Bonifacio Scalich, Commilitoni regni noſtri Hungariæ, magno principi Hunnorum, Marchioni Veronæ. &c. Datæ Budæ.* 8. *April.* 1481. *et multæ aliæ.*

Michaël filius Bonifacij.

E*Xtant literæ Vladiſlai regis Hungariæ, ad Michaëlem filiũ Bonifacij ex Magdalena Thomæ Paleologi filia natũ, cũ hac inſcriptione. Illuſtri principi et propinquo noſtro dilecto Domino Michaeli Scalich, Cõmilitoni regni noſtri Hũgariæ, magno principi Hunnorũ, Marchioni Veronæ &c. datæ Budæ* 8. *Martij.* 1514.

Item

Item eiuſdem regis literæ in cauſa Michaelis, ad Sigiſmundum Franciſcum, ducem Beneuenti, &c. datæ Budæ in feſto trium Regum, 1504. *Extat teſtamentum Bonifacij Scaligeri, nouem ſigillis obſignatum, in quo inſtituitur hæres, omnium bonorũ ſuorum, Dominus Michael filius, ex Magdalena Thomæ Palæologi filia, vxore ſua legitima progenitus. Datum Oztrouicæ in feſto trium Regum,* 1500. *& multæ aliæ literæ Bonifacij extant. Extat & teſtamentum Sigiſmundi Franciſci ducis Beneuenti, & S. Angeli ad montem Garganum, Principis Virouiticæ in Creatia, nouem ſigillis obſignatum, quo inſtituit hæredem omnium bonorum ſuorum, &c. Dominum Michaelem Scalich, &c. generum ſuum. Datum Virouiticæ in feſto Purificationis,* 1529. *Extant literæ Chriſtophori Ioanuis Scaligeri, Domini Veronæ & Vincentiæ, ad Dominum Michaelem Scaligerum, cum hac inſcriptione.* Dem hochgebornen Fürſten vnd Herrn/ Herrn Michael Fürſten vnnd Herren von der Leyter / Hörgrauen zu Hunnen/ꝛc. Marckgrauen zu Veron / Herren zu Vintzentz/ meinem gnedigen vnnd vielgeliebten Herrn / Vetteren. Zu Agram. *Datæ Monati in Bauaria,* 17. *Ianuarij,* 1534. *& obſignatæ annullari ſigillo, cui inſculpta eſt ſcala cum canibus ſine galea, & ſupra ſcalam tres literæ ſiue characteres C. I. S. ſubſcriptio autem eſt.* E. G. W. vnd trew Vetter vnnd diener/ Johan Chriſtoff von der Leyter/Herr zu Bern vnd Vincentz. *Extant quoque literæ Ioannis Scaligeri ad Dominum Michaelem cum hac inſcriptione, Illuſtriſsimo & potentiſsimo Principi Domino, Domino Michaeli Scalich, Principi Hunnorum, Marchioni Veronæ meo fratri patrueli & Domino ad manus. anno* 1530. *in feſto S. Ioannis Baptiſtæ Nouogradi. Item ad ducem Beneuenti, anno* 1527. *in feſto S. Matthæi apoſtoli, Chkowa-*

turnæ,&c. & multæ aliæ. Extant literæ Valentini Scaligeri, ad Dominum Michaelem Scaligerum, cum hac inſcriptione. Illuſtriſſimo & potenti Principi Michaeli Scalich, Principi & Domino Hunnorum, Marchioni Veronæ, meo Domino & fratri patrueli ſeniori & maiori, ad manus, in feſto Paſchæ, Mantuæ, 1525. *Eiuſdem ad Dominam Catharinam, Domini Michaelis vxorem, Crupæ in feſto S. Georgij.* 1537. *Huius Michaelis meminit etiam Cuſpinianus, Orator Diui Maximiliani Auguſti, huius nominis primi, in Diario fol.* 759. *Meminit etiam congregationis patria lingua Rackuſch, quæ erat Budæ, anno* 1514. *ad quam congregationem hic Michael, ſuperioribus regis Vladiſlai literis vocatus eſt, quæ menſe Nouembris, illius anni celebrari cœpit. fol. eiuſdem Diarij.* 742.

Paulus filius Michaelis.

E*Xtat teſtamentum Michaelis Scaligeri, quo inſtituitur hæres omnium bonorum ſuorum, Dominus Paulus filius ex Catharina Sigiſmundi Franciſci Ducis Beneuenti filia procreatus. datum Vueiſtricæ in feſto ſanctæ Margaretæ.*1536.*& obſignatum nouem ſigillis. Extant etiam multæ aliæ literæ Michaelis. Extat etiam teſtamentum Dominæ Catharinæ matris Pauli Scaligeri, & literæ ad eundem eiuſdem Dominæ Catharinæ, vt ex Epitome Scaligerorum apparet. Extant literæ Valentini Scaligeri ad Dominum Paulum, filium Michaelis & Catharinæ, cum hac inſcriptione. Illuſtriſſimo Domino, Domino Paulo Scalich, Hunnorum Principi, & Domino meo pro patrueli vnico, & amico ad manus. datæ Nemeſgiangæ, in feſto Nicolai.* 1556. *Extant literæ Syluij Scaligeri, Marchionis & Principis Veronæ & Vincentiæ, quibus vniuerſa Genealogia Scaligerorum, et mo-*

et monumenta continentur, ad Dominum Paulum Scaligerum, cum hac inſcriptione. Illuſtriſſimo Principi & propinquo meo, Domino Paulo Scaligero, Commilitoni perpetuo regni Hungariæ. Dynaſtæ magni principatus vtriuſque terræ Hunnorum, Marchioni Veronæ, & Domino Creutzburgi in Pruſſia. datæ Agenni in Aquitania, 10. Calendarũ Ianuarij. 1566. Extant trinæ literæ natalium Pauli Scaligeri, à Zagrabrienſi ciuitate, quibus teſtatur ciuitas, ex propria ſcientia, aduerſus omnes impetitores dicti Domini Pauli, huius patrem fuiſſe Michaelem, filium Bonifacij Scaligeri, Principis Hunnorum: Matrem autem Catharinam, filiam Sigiſmundi Franciſci ducis Beneuenti, atque ſororem Vrſulam, liberos prædicti Domini Michaelis & Catharinæ legitimos, ex legitimo matrimonio procreatos. datæ feria ſexta, proxima ante feſtum ſancti Michaelis. 1562. Zagrabiæ. Item decima ſeptima Ianuarij 1563. ibidem. Deinde Dominica Lætare. 1564. ibidem. Extat Iudicis Ducis Pruſſiæ definitiua ſententia, contra Albertum Truchſum Vuetzhauſum, pro Pauli Scaligeri ſtatu & progenie. Extant pro eodem Paulo contra eundem Truchſum, vniuerſæ Europæ decreta, ſicut videre eſt ex reſponſis illorum in lucem editis, & epitome Scaligerorum, à potioribus viris Capituli & Senatus Monaſterienſis recognita, & ad veritatem Originalium reducta. Extat confirmatio donationis Belæ regis Hungariæ, ab inuictiſſimo rege, poſtea Cæſare glorioſiſſimo diuo Ferdinando, &c. Paulo Scaligero, & ipſius fratribus patruelibus, vtriuſque ſexus, eorumque hæredibus & poſteris facta, & manu ipſius Cæſaris propria ſubſcripta, tum etiam Cancellarij, Archiepiſcopi Strigonienſis, & ſecretarij Ioannis Liſtij, proprijs manibus roborata, & duplici ſigillo regio obſignata, & data eſt Auguſtæ Vindelicorum, in publicis comitijs. prima Martij, 1555. qua

confirmatur illi terra Hun, Zkrad, & Lika. Extant multa alia teſtimonia epitome inſerta. Extant literæ miſſiles ſereniſſimi regis Maximiliani, hodie glorioſiſſimi Imperatoris, cum hac inſcriptione, Domino Paulo Scalichio comiti, &c. & doctori, &c. ſuo. Datæ Viennæ, 25. Auguſti. 1558. & multæ aliæ. Extat de legatione publica ſecuritas ſereniſſimi Regis Poloniæ, cum hac inſcriptione, Proficiſcitur ex regno noſtro magnificus Paulus Scalichius. Data Kovunæ. 6. Iulij. 1563. Extant & Illuſtriſſimi Ducis Pruſſiæ de eadem legatione literæ patentes, cum tali inſcriptione, Commiſimus Illuſtri Domino Paulo Scalichio, Commilitoni Regali, Dynaſtæ Hunnorum, Marchioni Veronæ, &c. cognato, propinquo, conſiliario, & filio noſtro chariſſimo, nonnulla negotia noſtra gerenda grauiſſima, quorum gratia ad diuerſa loca, &c. iter facturus eſt, &c. Datæ in Noua domo, 2. et 23. Auguſti. 1565. Extant literæ regis Gallorum in eadem legatione, datæ 9. Februarij, 1566. cum tali inſcriptione. A Monſieur Le Marquis de Veronne. Item in eadem legatione ſecuritas publica Ducis Montmerancij Gurbernatoris Pariſiorum, cum eadem inſcriptione, dat. Pariſijs 11. Febr. 1566. Deinde Princeps Portianus in eadem legatione, cum hac inſcriptione ad Scaligerũ ſcribit. Monſieur mon couſin, Monſieur Le Marquis de Veronne. dat. Charanton. 26. Decemb. 1565. Et Robertus à Brederode hoc pacto, in hac ipſa legatione. Al. Illuſtriſſimo Signor mio, il Signor Marcheſe di Verona, parente & patrono oſſeruandiſſimo. Paris 7. Febr. 1566. Extat ducis Pruſſiæ cum ſuprà dicta inſcriptione donatio, de Creutzburgenſi Dominio manu propria p omnia ſcripta ipſius ducis, & annullari ſigillo obſignata, atq; data 6. Martij 1564. Regiomonti. Extat eiuſdem donationis confirmatio, ex cancellaria manu propria ducis ſubſcripta, atq; ſummo ſigillo obſignata, & data in Noua domo 25. Iulij. 1564. Extant duo edi-

cta eiuſdem ducis, cum eadem inſcriptione & ſubſcriptione, quorum altero officia Pauli Scaligeri celebrat, et propriã vindictam illi concedit. datum Regiomonti 2. Iunij. 1565. Altero limites Creutzburgenſes, videlicet fluuium Triſching, & oppida Zynten, Eylaro atq; Toravu, aſsignat. datum in Noua domo 30. Iunij 1565. vtrunq; annulari ſigillo obſignatum. Extant literæ plurimæ, & quoq; recentes Vdalrici comitis ab Helffenſtein & Baronis in Gundelfingen, cum hac inſcriptione. Illuſtri Domino, Domino Paulo Schalichio, Dynaſtæ Hunnorum, Marchioni Veronæ, &c. Domino Creutzburgi in Pruſsia: ſuo cognato chariſsimo. dat. Vuiſſenſtaig 15. Ianuarij. 1568. Plures id genus aliorum principum & comitum literæ extant.

Sententia ducis Pruſsiæ diffinitiua.

DEi gratia. *Albertus Senior, Marchio Brandenburgenſis, Pruſsiæ dux, &c. Notum facimus & profitemur, quod Albertus Truchſius à Vuetzhauſen, ſicut interlocutoria noſtra ſententia requirebat, contra illuſtrem, Dominum Paulum Scalichium, commilitionem regni Hungariæ, Dynaſtam Huniorũ, &c. Marchionem Veronæ, &c. de iure nihil probauerit, quin potius prout ex actis apparet, etiam contumax cauſa ceciderit. Ex quo omnibus actis diligenter conſideratis, Deum et diuinam iuſtitiam præ oculis habentes animo benè deliberato, & certa ſcientia, prænominatum Dominum Scaligerum, &c. ab impetitione Truchſij, in nomine Domini hiſce abſoluendum duximus. Quemadmodum vigore harum, Dominum Scaligerum liberamus & abſoluimus, & prædicto Truchſio perpetuum ſilentium imponimus, cum refuſione expenſarum, intereſſe, & damnorum, eundemq; Truchſium condemnamus, in pœnam iure decretam. In cuius rei fidem præſen-*

tes manu noſtra propria ſubſcripſimus, & annulari ſigillo ſcientes obſignauimus. Actum.28.Octob. 1565.

Securitas eiuſdem Ducis.

VNiuerſis & ſingulis, &c. Nos Albertus ſenior Dei gratia Marchio Brandenburgenſis, in Pruſſia, &c. Dux &c. ſignificamus tenore præſentium, quod commiſerimus illuſtri Domino Paulo Scaligero. C. regali Dynaſtæ Hunnorum, Marchioni Veronæ, &c. cognato, propinquo, conſiliario, & filio noſtro chariſſimo, nonnulla negotia noſtra gerenda grauiſſima, quorum gratia ad diuerſa loca, nec non ad multos Germaniæ principes & duces, tum verò ad Chriſtianiſſimos, sereniſſimos, & potentiſſimos quoſdam reges iter facturus eſt. Quapropter præmemoratū Dominum Paulum Scalichium dominationibus veſtris maiorem in modum commendamus, petentes ab ijs obnixè, ſubditis verò noſtris mandantes, vt illum cum comitatu, omnibusq́; rebus ſuis tutum ac ſecurum præſtent, atque illi eundo redeundoq́; tam nauigio, quàm terreſtri itinere, liberos tranſitus, receptus, commorationes, & quæcunque ad facultatem negotiorum noſtrorum gerendorum ſpectabunt, præſtent: immunem quoque faciant, à quorumuis vectigalium, quacunque impoſitione præſtari conſuetorum ſolutione, tum & ſtudijs ſuis, cunctis in rebus, in quibus opera illorum eguerit, ei adſint, & omne genus humanitatis, & hoſpitij, & officij in eum conferant. Quicquid verò beneficij in ſæpe commemoratum Dominum Paulum Scaligerum poſitum fuerit, id in noſmetipſos collocatum eſſe reputabimus, idq́; mutuis officijs noſtris Do. V. referre ſtudebimus: ſubditi verò noſtri pro gratia noſtra aliter non facturi. Datum, &c.

Idem habet ſecuritas Regis Poloniæ Sereniſsimi

SIgiſmundus Auguſtus Dei gratia rex Poloniæ, magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, &c. Vniuerſis & ſingulis Principibus, &c. Proficiſcitur ex regno noſtro magnificus Paulus Scaliger, &c. ad ſereniſsimum Principem, &c. petijtq́; à nobis, vt ei autoritate noſtrarum literarum, ad commodius perficiendum inſtitutum iter ſuum adeſſe dignaremur. Quamobrem commendamus illum D. V. poſtulantes ab eis, ſubditis verò noſtris mandantes, vt illum in locis ditionum ſuarum cum famulis, & toto comitatu ſuo, cum equis, curribus, ciſtis, ſarcinis, rebusq́; omnibus, tutum atque ſecurum præſtent: atque illi in eundo, & redeundo, tutos, atq; liberos, tranſitus, receptus, commorationes præbeant: immunem quoque faciant à ſolutione quorumuis vectigalium, aggerum, pontium, itinerum, & quibuſcunque nominibus pendi ſolitorum. Rem nobis gratam D. V. facturæ, & quam illis omnibus mutuis ſtudijs, officijs noſtris relaturi ſumus. Subditi vero noſtri, aliter ne faciant, pro gratia noſtra. Datum, &c.

Literæ Ducis Prúſsiæ ad Scaligerum in eadem legatione.

GRatioſam ſalutem & propenſam voluntatem. D. Illuſtris, ſingulariter dilecte, propinque cognate, conſiliari & fili, clementer vobis innoteſcere cupimus, nos poſt veſtrũ à nobis diſceſſum, veſtra gratia plurimũ angi. Ideo ſperaſſemus à vobis plures literas, quàm factũ eſt, nos accepturos, quo animi noſtri ſolicitudo remiſsior aliquãto fuiſſet. Siquidẽ verò id prætermiſſum eſt, Deo & tẽpori relinquendũ ſtatuimus. Neq; enim ita nobis in votis eſt quicq̃, quod & à Deo precib. continuò contendimus, q̃ vt peractis noſtris

noſtris negotijs quàm primum ad nos reuertamini: idq́ fore non dubitamus, & veſtrum ſtudium in eo minimè defuturum. Quandoquidem verò certò compertum habeamus, vobis vbiq; in vniuerſo Imperio, in Gallia, & in inferiori Germania, ſtructas graues inſidias, idq́ & clam & palam, & ita omnia conſtituta, vt niſi Deus ſingulari ſua clementia, vos ſaluauerit & eripuerit, fieri non poteſt, vt terreſtri itinere ad nos redeatis. Quare eas inſidias, quò commodius & tutius effugere atq; declinare queatis, paterno & clementi affectu vobis conſulimus, vt in Gallia proximũ ver præſtolemini, & tandem vos in Angliam, ac inde nauigio ad nos recipiatis. Quod igitur præmonuimus, nolite aſpernari, ne & vos in periculum conyciatis, & nobis mœrorem adaugeatis. Tandem poſtulamus à vobis clementer, vt R. M. Gallorum officia noſtra deferatis. His vos Deo commendamus. Rogate Deum pro nobis, idē & nos facturos ſcitote. Actum Regiomonti, 8. Ianuarij. 1566.

Literæ ad ſereniſsimum Regem Poloniæ, Reuerendiſsimi præſulis Epiſcopi & Principis Monaſterienſis, &c. adminiſtratoris Oſnaburgenſis & Paderbornenſis, Domini Ioannis Comitis de Hoya, &c.

SEreniſsime ac præpotens Rex, Domine obſeruande, intelleximus ex originis Scaligerorum epitome, à Capituli & ſenatus ciuitatis noſtræ Monaſterienſis, præcipuis viris recognita, & ad veritatem originalium reducta, tum ex præfixa illi epiſtola, Dominum Paulum Scaligerum, nihil aliud implorare, niſi locum defenſionis tutum, præſertim cùm in ipſius abſentia ad inſtantiam aduerſariorum, contra ipſum omnia peracta referat. Itaq; permoti æquitate petitionis rogamus, vt in noſtram gratiam, hæc defendendi facultas, iuxta legum doctrinam & conſuetudinem, in ſereniſs.

reniſs.Cel.V.regnis & imperijs ipſi concedatur. Hac re non tantũ debitum iuris æquitatiſque officium laudabiliter præſtabit, ſed & tam æquabili ac regia gratificatione, nos ad ſimilia, longeq; maiora offerente ſe occaſione præſtanda addictiſsimos, deuictiſsimoſque reddet. Deus Opt. Max. Sereniſs. Cel. V. in regẽdis ſuis imperijs diu incolumem & felicem conſeruet. Datæ Beuergernæ, die viceſima quarta Octobris anno. 1568. ſubſcripſit princeps, & Vitus Herculanus. Eiuſdem tenoris literæ datæ ſunt ad Reuerendiſsimum & Illuſtriſsimũ Dominum Staniſlaum Hoſium S.R. Eccleſiæ titul. 5. Theodori Cardinalem, & Epiſcopum Varmienſem. &c mutatis mutandis.

QVod præmiſſę Inſcriptiones, aſſertiones, citationes, ex Epitome gentis Scaligerorum aliàs à potioribus quibuſdam Reuerendiſsimis Reuerendis Ampliſsimiſque dominis, et excellentiſsimis atque honorandis viris Capituli & Senatus Monaſterienſis viſa recognita & proprijs eorum manibus & ſigillis ſubſcripta & obſignata extractæ, atque literæ & ea quæ hoc exemplari continentur, ſuis veris & incorruptis omniq; ſuſpitione carentibus, & nobis exhibitis originalibus, per omnia reſpondeant, Teſtor ego Caſpar à Buren Sacri palatij apoſtolici & aulæ Lateranenſis necnon Imperialis Conſiſtorij Comes, Equesque deauratus, ac publicus apoſtolica & Imperiali auctoritate, & in Archiuo Romanæ Curiæ deſcriptus, Necnõ Venerabilis Curię Epiſcopalis Monaſteriẽſis Vueſtphalię approbatus Notarius, hac manus meæ propriæ ſubſcriptione.

Subſcriptio Epiſcopi Aconenſis.

NOs Ioannes Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, Epiſcopus Aconenſis, Reuerendiſsimi in Chriſto patris & Domini, Domini Ioannis Epiſcopi Monaſterienſis ſuffraganeus &c. teſtamur manu propria, ſupradictam epitomã de origine Scaligerorum, cum ſuis veris & incoruptis originalibus ſigillatis congruere, & ibidem citatis, idq; nostro põtificali ſigillo corroboramus.

Subſcriptio Capituli & Senatus Monaſterienſis.

NOs infrà ſcripti huic Epitomę de origine Scaligerorum ſubſcripſimus, idemq; ſignis noſtris cera viridi impreſsis, ſubſignauimus, correſpondere ſuis originalibus, ſigillatis, & impreſsis ibi citatis & nobis exhibitis.

INSTRVMENTVM PVBLICVM SVprà dicti comitis & Notarij.

IN nomine Domini amen. Notum ſit omnibus & ſingulis, cuiuſcunque ſtatus, gradus & conditionis hominibus, quod anno à natiuitate, eiuſdem Domini noſtri Saluatoris Ieſu Chriſti Milleſimo, quingenteſimo, ſexageſimo nono, in dictione duodecima, die verò Mercurij, vigeſima tertia, menſis Martij, Pontificatus autem ſanctiſsimi in Chriſto patris Domini noſtri, Domini Pij, diuina prouidentia Papæ eius nominis quinti, anno quarto, Inuictiſsimi ac glorioſiſsimi Imperatoris ſemper auguſti Maximiliani ſecundi, Imperij ſui, anno ſeptimo, in mei Comitis Palatini Lateranenſis, tam pontificia, quàm imperiali autoritate, ac Notarij publici teſtiumq; infrà ſcriptorum, ad hoc ſpecialiter vocatorum, & rogatorum, præſentia, præſens & perſonaliter conſtitutus, Illuſtris ac generoſus princeps, & Dominus Paulus princeps de la Scala & Hun, Marchio Veronę &c. Dominus Crutzburgi Pruſsię principalis principaliter pro ſe ipſo habẽs & tenens, quædam priuilegia, inſtrumenta, literas, numiſmata, & monimenta, in præſenti libello contenta, & in hanc Epitomem redacta. Rogans & requirens me eundem Comitem, ac

Nota-

Notarium infrà ſcriptum, vt hunc libellum cum ſuis veris & incorruptis originalibus conferrem, auſcultarem, reſcriberem, & ad veritatem originalium ſuorum reducerem. Itaque omnibus diligenter perſpectis, & conſideratis, omnia præſcripta priuilegia, inſtrumenta, literas, numiſmata, & monimenta, quæ hoc libello in Epitomen redacto citata cõtinentur, ſalua, integra, illæſa, & omni prorſus vitio, & ſuſpitione carentia, ſigillata pendentia, & appreſſa reperi. Eaque partim impræſſa, partim manu aliena mihi fida, etiam Notarij publici deſcripta (& aliâs quoque viſa, recognita, & ad veritatem originalium reducta, per Reuerẽdiſsimos, Ampliſsimos, Nobiliſsimos, & excellentes atque honorandos viros, dominos Capituli & Senatus Monaſterienſis, vtpote Reuerẽdiſsimum Dominum Ioannem Epiſcopum Aconenſem: Bernardũ Morien præpoſitum: Ioannem Schenckingk Decanum: & Godfridum Raeſſeldt Scholaſticum Eccleſiæ Monaſterienſis: Hermannum Herde & Albertum Boichorſt Conſules Monaſterienſes: Iacobum voſs Reuerendiſsimi Monaſterienſis in ſpiritualibus vicarium generalem: Gerardum Martellum Phyſicum Reuendiſsimi Monaſterienſis: Henricum Gruter, veteris Eccleſiæ diui Pauli Canonicum, Ioannem Vueſſelinck Iudicem temporalem Ciuitatis Monaſterienſis: Ioannem Gruter, & Ioannem à Berſuuordt ſenatores Monaſterienſis Ciuitatis: Ioannem Schade Syndicum dicti Capituli Monaſterienſis, Et Herrmannum kerſenbroich Scholę Monaſterienſis Rectorem) reſcripſi ſiue tranſſumpſi, & meo Chirographo ſingula folia ſubſcripſi. Teſtor ergo ego idem

Comes & Notarius, omnia in hoc libello contenta, & citata, ſuis veris & illeſis originalibus de verbo ad verbum ſine diminutione vel augmento aliquali reſpondere. eademque verè prout in originalibus continentur, referre. De & ſuper quibus præmiſsis, idem illuſtris & generoſus princeps & Dominus Paulus Scaliger, ſibi à me comite & Notario publico infraſcripto vnum vel plura publicum ſeu publica fieri atque confici petijt inſtrumẽtum, & inſtrumenta. Acta fuerunt & ſunt hæc in Ciuitate Monaſterienſi Vueſtphaliæ, in ædibus venerabilium, nobilium, & ingenuarum, Dominæ Abbatiſſæ & virginum ordinis ſancti Benedicti, in vico vallis Roſarum, ſub parochia beatæ Mariæ virginis tranſaquas, ſub anno, Indictione, die, menſe, pontificatus, & Imperij quibus ſupra, præſentibus ibidem Reuerendiſsimo, & ampliſsimo Domino Ioanne Epiſcopo Aconenſi, Reuerendiſsimi & illuſtriſsimi principis & Domini, Domini Ioannis Epiſcopi Monaſteriẽſis, ſuffraganeo, & humaniſsimo ac excellentiſsimo Domino Ioanne Vueſſelinck Iudice p̃dictis, nec nõ Vuilhelmo Venchuſio Vueſteruualdenſi, vicecomite Palatino, & Notario publico teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis. Et ego Caſpar à Buren Sacri palatij & aulæ Lateranenſis, nec non Imperialis cõſiſtorij Comes equesque deauratus, ac publicus apoſtolica, & imperiali autoritate, inque archiuo Romanæ Curiæ deſcriptus, nec non venerabilis Curiæ Epiſcopalis Monaſterienſis approbatus Notarius: quia præſcriptis requiſitioni, & teſtationi, omnibusque alijs & ſingulis præmiſsis, vnacum prænominatis teſtibus interfui, eaque ſic fieri vidi, & audiui, ac in notã ſumpſi: ideò hoc

præ-

præſens publicum Inſtrumentum,manu aliena mihi fida diligenter conſcriptum,exinde confeci,ſubſcripſi,& publicaui, ac in hanc publicam formam redegi, ſignoq; nomine,& cognomine meis ſolitis,& conſuetis, vnà cū atteſtatione præfati Reuerēdiſsimi Domini Ioannis Epiſcopi Aconēſis proprio Chirographo,&ſigillo pōtificali,ac Reuerend.Domini Henrici de Buckelte Cōmendatoris domus ſancti Ioānis inCiuitate Monaſterienſi,quoque manu propria & ſigillo cōſueto,huius libelli priori thiphtere ſiue pergameno,nec non mei comitatus ſigillo maiori poſteriori huius libelli thiphtere ſiue pergameno appreſsis approbatū ſignaui, & cōmuniui, In fidē robur,&teſtimoniū pręmiſſorum rogatus &requiſitus.

Atteſtatio Epiſcopi Aconenſis & commendatoris S. Ioannis.

NOs Ioannes Dei & apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Aconenſis,Reuerendiſsimi in Chriſto patris & Domini Ioannis Epiſcopi Monaſterienſis ſuffraganeus. &c. & Henricus de Buckelte Commendator domus.S.Ioannis in Ciuitate Monaſterienſi, teſtamur manibus proprijs, hæc ſequentia monimenta Scaligera, tam impreſſa,quàm ſcripta,per Reuerendum nobis dilectum Caſparem à Buren,ſacri palatij, & aulæ Lateranenſis,nec non imperialis Conſiſtorij Comitem,equitemq́ue deauratum, & apoſtolica,ac imperiali autoritate , in archiuo Romanæ Curiæ deſcriptum nec non venerabilis Curiæ Epiſcopalis Monaſterienſis approbatum Notarium,de verbo ad verbum, ſine diminutione vel augmento aliquali,in hanc Epitomen redacta,reſcripta, & ſubſcripta, Cum ſuis veris, & incorruptis,omniq́ue ſuſpicione carentibus originali-

bus ſigillatis, & ibidem citatis, nobiſque exhibitis, congruere idque noſtris ſigillis, pontificali, & proprio huius libri priori thipthere in pargameno appreſſis corroborauimus. Datum Monaſterij. 23. Martij.1569.

Ioannes Epiſcopus Aconenſis vt ſuprà manu propria. Henricus de Bukelte Commendator vt ſuprà manu propria. Caſpar à Buren Notarius hucuſq; ſubſcripſerunt.

HInc puto Naſe, te abunde ſatis intellexiſſe, quantum in mea Genealogia, meoque nomine, & legatione aberraris, ſcilicet non minus ac in religione ipſa. Series hæc ſatis ſuperque ſtatum meum tuetur atque defendit, & oſtendit eum non verſari in obliuione, aut ignoratione hominum, vt tu falsò opinaris. Sententia definitiua te mendacij arguit, cum me ais cauſa cecidiſſe, & vel ſola præiudicium eſt, id eſt aduerſus omnes, & inter omnes præiudicat, inter quos quandoque de gente, origine & nomine noſtro quæretur, & ius facit l.1. in fru. 2. & 5. D. de agnoſcend. liber. §. præiudiciales Inſtit. de action. Legationem ſecuritates illæ & literæ docent, teque ſplendidè conuincunt, cùm me blateraſti Pruſſia aufugiſſe. idem & literæ Epiſcopi Monaſterienſis loquuntur, quibus locus defenſionis tutus imploratur, quem hucuſque efflagitare non potui. Quod ſi quid mali admiſiſſem, & idcirco aufugiſſem, fruſtra efflagitarem ius mihi reddi, ſed etiam tam diuturna dilatio non admitteretur, vt quinquennio iam, bonis & fortunis meis caream, cùm vitam interponam, ſi vel minima res in me reperiatur, cur proſcriptus ſim. Quapropter tu & tui ſimiles rumpantur licet, qui orientis meæ laudis ſplendorem ferre

non

non poſſunt, nunquam tamen me mea virtute, nobilitate, genere ſpoliabunt: quinetiam hæc nefaria turpisque coniuratio cuius tu buccinatorem agis, aduerſus me ſuſcepta, magnum mihi gloriæ incrementum eſt allatura. Nam quandiu literæ loquentur, quandiu reſtabit rerum memoria præteritarum, tamdiu poſteri iudicabunt, æquitatem meæ cauſæ, non tam pro iudicio deciſam, quàm etiam omnibus omnium Europæ Academiarum Iuriſconſultis clariſſimis, compertam & probatam fuiſſe, vt ſententia definitiua, & ſuis reſponſis iam pridem in lucem editis Latinè, Germanicè, Gallicè, teſtatum reliquerunt. Ab his igitur teſtibus Naſe, quid quamque honorificè, de meis originibus, nobilitate, genere, nomine ſentiant, exquirere debuiſſes, & non ab anonymis, & confictis quibuſdam locis, & perſonis, quorum & fides & autoritas, & an in rerum natura exiſtant ignoratur: & qua ratione nullus non poteſt ſtatus hominis calumniari, & eadem infamia labefactari, eodemque probro omnes principes de ſua dignitate conſimili argumento deturbari: tum enim iudex non tam iniquus (quanquam iniquior eſſe non potes) erga me fuiſſes: ac tametſi temeritate & turpitudine vitæ nemini concedis: vincet tamen opinor, meæ cauſæ præſtantia, tuæ naturæ improbitatem, omnium opinione maiorem. Oſtende quæſo, qui nam ſunt ij, qui audent affirmare, agnatos meos ruſtica munia obire? Oſtendam ego tibi contrà, me in Hungaria, & orientalibus regionibus nullum habere prorſus agnatum, niſi vnicam ſororem & vterinum fratrem, me iuniorem, qui ab hinc duodecim annis in regno Hungariæ aduerſus Turcam militat. In Aquitania quatuor propatrueles habeo. Duos apud Cardinalem Tridentinum eſſe, retulit mihi nuper Reuerendus vir Bi-

vir Bitherus à Raesfelt Theſaurarius Eccleſiæ Monaſterienſis:licet ignorem quoto gradu à me & Aquitanis diſtet, niſi forte duo fratres Aquitani ſint. In Bauaria duo eius nominis, ſed remotiores à linea ſucceſſionis extant, quorum pater ad patrem meum literas dedit. Anno Domini 1534 vt ex præcedentibus inſcriptionibus apparet, vt non videam quo furore agitatus audeas in ſimilitudinem nominis noſtri inuehere. Siue enim Scalich Hungarica & orientali terminatione, ſiue de la ſcala Italicolatina, ſiue Saligeri, Scalæ &c. Latina: ſiue von der leyter *Germanica voces, idem eſſe illæ ipſæ inſcriptiones, vt taceam omnes hiſtorias, teſtantur. Neque eſt vt inopiam & fortunæ anguſtias nobis probro des, quæ multos alios principes etiam premit: nam honeſta paupertas, multo maiorem nobis gloriam parit, quàm mali diuitis opes iniuria quæſitæ. Exercitium autem agriculturæ, qui deſpicit, mentis compos eſſe nequit. Cicero eam ſummis laudibus extollit: ſed & Eneas de Picolominibus Cardinalis S. Sabinæ, geſtorum ſub Frid. Imp. deſcriptione fol. 270. Siculos Hungarorum vetuſtiſſimos, ait nobiles eſſe, & generoſos, licet agros ſuis colant manibus, ac rure viuentes, greges porcorum paſcant: neque enim tributa pendunt niſi quo anno Rex Hungariæ coronatur. Hæc ille. Hoc in florenti Hungarorum ſtatu fiebat, hic tum mos ſeruabatur, neque nobilitati quicquam officiebat, quid nunc multis clariſſimis familijs non accidit, in periculoſiſſima hac Hungarorum conditione pulſis & omnibus fortunis à Turcis ſpoliatis, & deiectis? Idem Dionyſio Syracuſano contigit, qui ex rege Ludimoderatorem egit. Idem Regi Cypri qui omnibus ſuis rebus nudus ſuperfuit, nec quicquam reſidui habuit, quã vt ſibi exuli, per hoſtium crudelitatem, liceret miſericordia aliorũ vitam in egeſtate degere. Nihil commemorabo de alijs id genus propemodum infinitis. Nota eſt hiſtoria Thomæ Palæologi Deſpotæ Peloponnenſis & Romæorum, Imperijque Conſtantinopolitani hæ-*

ni hæredis, qui Romam Turcarum metu perfugerat. Huius filius Andreas filiam Lucretiam elocauit Iacobo de Ficotiјs Romano, cuius poſtea filia Hieronyma vxor fuit Ioannis de Viſbeck nobilis Vueſtphaliæ, ex qua genuit Michaelangelum hodiè Theſaurarium Eccleſiæ Dauentrienſis. Si hoc inquam accidit Imperatoribus, quid non accidere poteſt, inferioris conditionis principibus? Quis poteſt fortunam ſuam præſtare? Non eſt igitur, quod aut ex craſſa ignorantia, aut ex iniquitate fortunæ metiaris familias, ſed potius ex virtute, & maiorum ſucceſsione: neuè idcirco exiſtimes, aliquem deiectum eſſe dignitate, ſi fortunis deiectus ſit. Porro miror quòd rem tibi penitus ignotam, & extra tuam vocationem conſtitutam, atq; iamdudum deciſam, non verearis renouare, & nouis calumnијs cumulare, quæ tot inconcuſsis teſtimonијs, & monimentis conſtat, vt ex dicta Epitome Scaligerorum, & publico reſcripto, aut duntaxat ex Viennenſis Academiæ diplomate, vbi educatus ſum intelligere potuiſti. Ibi enim expreſſū eſt nomen & Scalich, & Scaligeri: aut ſanè extremæ malitiæ eſt, ſi vidiſti illud, quod tibi facilè fuit, cùm in eodem Iuſtitiæ libello, quem tantopere perſequeris contineatur, & nihilominus rem notam diſsimulando calumniatus ſis. Hoc maximè mirandum, quod te veriſsimam & certiſsimam hiſtoriam rerum mearum narrare aſſeras, cùm tamen nil ſit in tota tua narratione, quod à veritate & certitudine toto cœlo non diſsideat, & ſplendidiſsimis mendacијs non ſcateat. Nam quod ais, me alienæ familiæ mihi nomen arrogare, id falſum eſſe, iam abundè oſtenſum eſt: imò neminem priorem atq; potiorem in hac ipſa familia exiſtere me, etiā id in confeſſo eſt. Peræquè falſum eſt, quod aſſeris me videlicet excuſsis, & euolutis hiſtorијs, ac notatis vetuſtiſsimæ gentis Scaligerorum locis, primum in aulam Cæſaris conceſsiſſe. Nam priuilegium, & literæ Cæſaris, propria manu ſcriptæ, & ſubſcriptæ, & teſtimo-

nium Vniuerſitatis Viennenſis, atque diploma Epiſcopi Labacenſis, nominatim teſtantur, me à puero Cæſaris liberalitate educatum, inſtitutum, & Epiſcopum deſignatum, eamq́ ob cauſam, vt mores Epiſcopales diſcerem, ſuis eccleſiaſtis adſcriptum: tandem me originales Belæ literas ſuæ Maieſtati obtuliſſe, idem priuilegium expreſſe teſtatur, quod etiam ad verbum eidem priuilegio inſertū eſt, & ex certa ſcientia atq; deliberato animo conceſſum & confirmatū à Rege poſtea Cæſare, vt verba priuilegij ſonant. Et tamen non te pudet, homo amentiſſime, illud priuilegium ſub & obreptitium appellare? Inſtrumentum porro, quo hanc ſub & obreptionem probare niteris, determinatum eſt à Iuriſconſultis, quantum valeat: ſed ne hic quidem Cæſaris nomine quicquam affirmatur, ſed tantum reſcribitur: Ego verò nō dubito illud ipſum Inſtrumentum ſub & obreptitiè fuiſſe obtentum, affirmare: cum multis de cauſis, tum maximè ex eo, quod literæ & Ferdinandi, & Maximiliani Cæſarum, illi ex diametro repugnent, & mihi apud Cæſarem hoſtes non deſint, quorum opera illud facilè expediri potuit. Neq; propterea vt falſo, ſeditioſè, et proditoriè adfers, ego quicquam, aut prudentiæ, aut grauitati Cæſaris Maximiliani, cuius opem humanitatis iamdudum perſpectam habui, illiusq́; prudentiſſimis conſiliarijs, & adminiſtris, imputo: ſed tibi, & id genus alijs, tanq̄ beſtiæ irretitæ, tam eximio ſenatui ipſius immiſſæ, quæ mihi optimi Cæſaris odium innocenti, ex immaniſſimi ſceleris ſui atrocitate, demanatum, conciliauit, nefaria et abominanda inſimulatione, quaſi vel commodo, vel nomini Cæſaris obeſſem, quod tamen nunq̄ mihi vel in ſomnijs obuenit: quin potius vt omnia ſcripta mea habent, & omnium principū interceſſiones, eum ſemper vnicè colui: nec aliquid erat, quod mihi prius & potius fuiſſet benignitate Cæſaris, pro qua etiā tot interceſſores exorarim. Impiè igitur Naſe me in Cæſaris inuidiā tuis nugis adducere contendis,

&

& vſq; adeo in ipſius odium vocas, vt ſi vera eſſent, quæ tu nugaris, dignum me ipſe cenſerem, qui tormenta crudeliſſima, & mortem turpiſſimam ſubirem. Iam ſanè non miror quod optimus Cæſar iraſcatur, quod indignè ferat me apud ſe vel nominari, ſed potius miror prudentiſſimi Cæſaris patientiam et benignitatem, qui tanta lenitate hæc omnia tulerit. Hucuſq; cauſam indignationis depræhendere non potui, ex tuis criminationibus primùm cognoui, quibus, quantiſue mendacijs, ipſum aduerſarij mei occuparint. Refers enim me principum aulas peruagari, vt Cæſarem omnibus inuiſum reddam, & apud omnes traducam. Id aũt te referre ſceleratè et nefariè, facilè intelliges, ſi exquiras me in nullius principis aula fuiſſe, poſtq̃ Cæſar faciem ſuam à me auertit, niſi in Boruſſia & Polonia. Quàm verò ibi honorificè, quàm laudabiliter, deniq; quanto ſtudio Cæſaris benefacta, & ſingularẽ ipſius erga me gratiam, paſſim & vbiq; celebrauerim, teſtantur illorũ, & aliorum principum interceſſiones, illi per ducem Megapolenſem oblatæ, et iam olim in lucem æditæ. Nihil dicam de ſcriptis meis euulgatis, quæ me à tam ſplendida iniuria, nulla difficultate vindicant. Perſuaſum ergo ſibi habeat Cæſar inuictiſſimus, me ſuam voluntatem nunquam læſiſſe, ſuis commodis nunquã obfuiſſe. Quod ſi illi, aut vlli mortalium, cauſa nulla eſt, cur me miſerũ, tanta calamitate, idq́ autoritate illius, homines ſcelerati afficere velint: ſi omnia mea præter animam alij poſſident, nec quicq̃ reſidui habeam, quam vt mihi innocenti per illorum crudelitatem, liceat amicorũ opibus vitam in egeſtate degere: ſi bona & prædia mea alij poſſident, egoq́ aliena miſericordia viuo: ſi domus mea alijs patet, mihiq́ clauſa eſt: ſi familia mea alij vtuntur, & ego ſeruũ habeo nullum, idq́ patior & ferendũ puto: Quid volunt amplius? quid inſequuntur? quid oppugnant? Neq; enim inimicitiarũ cauſa id facere poſſunt. Quæ enim ſunt Cæſari inimicitiæ cũ eo, qui illum colit, &

veneratur: qui illum ſuſpicit, & maximis effert laudibus? Neque metus gratia quicquam tentare debent. Ab eonè metuendum, quem vident ipſum abs ſeſe tam atrocem iniuriam propulſare non poſſe? Sin quod à præcipuis Chriſtiani orbis Iuriſconſultis & Iudicijs tam diligenter defendor, id illis, & tibi, indignum facinus videtur, & idcirco me Scaligeri filium ſtudent perdere, noſtraq; bona ſua efficere, nonnè oſtendunt id ſe vereri, quod metuere nō deberent, ne quando mihi bona erepta, iure, iuſtitiaq;, & omnium populorum legibus & conſuetudinibus, idq; Regia, & Imperiali autoritate decernente reddantur? Neq; verò ita defendor, vt moleſtè ferre aduerſarij debeant, neq; vt ſe potentia ſuperari putent: quando id ſolũ imploro, quod iuris, quod æquitatis eſt. Quod ſi quis eſt, qui & ſe, & cauſam lædi putet, cùm Truchſius, Truchſianiq; vituperantur, is cauſam ignorat, ſeipſum propè non nouit. Cauſa enim ſplendidior fiet, ſi nequiſſimo cuiq; reſiſtetur, à quo ego optimum Cæſarem ſemper excepi, quantumuis, illi, illius Maieſtate, ſuam impoſturam tegerent. Sciunt me nihil habere, nihil audere, nihil poſſe, nihil vnquam contra rem Cæſaris cogitaſſe, & tamen oppugnant me, quem neq; odiſſe debent, nec quicquam habere iam reliqui vident, quod mihi detrahere poſſint. Neq; exquirunt Deo æquiſſimo Iudici, nihil æquitate, & iuſtitia ſanctius, & antiquius eſſe, eumq; impios & iniuſtos acerbe odiſſe, tametſi ad bonorum vtilitatẽ, eis ſecundiores aliquando res concedat, quæ mox tamen commutantur, & maiora illis ſupplicia pariunt, quibus ſupplicijs, & quidem grauiſſimis afficientur, vt Sodomitæ non acerbius interierint, qui ſulphure, & cœleſti igne deflagrauerunt. Porro ſi mihi pernicies illa parata eſt ab inimicis, diuina voluntate, oblationem hanc acceptet Dominus Deus pro peccato meo, quo demerui illam perſecutionem. Sin autem filij hominum ſunt, qui me innocentem in Cæſaris odium adduxerunt, hos impios ſcelerum, & male-

maleficiorum merces maneat. Nam Dominus qui iuſtiſsimus eſt, non poteſt non amare iuſtitiam, & vt nefarios homines igne, & ſulphure interficit, ſic bonum quemq;, & iuſtitiæ colentem, placidis oculis intuetur, eiuſq; virtutem maximis et pulcherrimis præmijs muneratur. Dominus enim in cœlo regit terras, et humanum genus, et deſuper proſpicit, quid agat vnuſquiſq;, quiduè patiatur, vt bonos ſubleuet, ac puniat ſontes. Exturbent igitur me à populo Chriſti, vt non poſsim ei adhærere, & inter pios conuerſari, qui ſunt hæreditas eius, & adigant me ad gentes, ac quodammodo cogant me à meis ad culturam idolorum, & perſequantur me igni, aqua, & ferro, nihil moror. Ego contrà ſpem in Deo collocatam inimicorum conatibus opponã, hunc propugnatorem defenſoremq́ mihi opto, non armis, non pecunijs, nõ opportunitate locorum, aut temporis, ad res gerendas indigentem, ſed nutibus omnia adminiſtrantem & feliciter conficientem. Cernant iam illi, quàm facilè, quàm firmum, quamq́ inexpugnabile præſidiũ compararim. Habeant illi ſemper in promptu ſcelera, quæ edant in bonos viros & iuſtos: accipiant ipſi pecuniam, ob ius dicendum, & inſontes circumueniendos: ego certè pergam tenere eam viam, quam à puero inſtitui, neq; animum meum ab innocentia, & pietate, mores, & exempla perditorum hominum auertent. Conſectentur illi vnâ tecum bonos, petulantiſsima lingua: vtantur morbo iſto procacitatis: æſtiment vnumquemq; moribus ſuis: dicant malè aliquẽ locutum eſſe, ſi quis verè ac liberè locutus ſit, ſi cauſam ſuam defenderit, ſi nil aſſerẽdo, aut culpando, ſed referendo, quæ ad rem ſpectarent attulerit: Communicent cauſam peregrinam cum Truchſo, ſuiſq́ cyclopibus: arbitrentur ſi hic læſus ſit, de alijs aliquid detractum: vexent ad ſuam libidinem, bona, fortunas, famam quoq; modeſtiamq́ meam: quærant pulicem vnum, et perſequantur perdicem in montibus agmine canum toto: hæc omnia leui momento

æſtimo, & tanquam inanes conatus, pro nihilo duco. Dominus enim iſtorum violentiam ſilentio non patietur, neque in homines omnium vitiorum ſeruos, & miniſtros, tanta lenitate vtetur: ſed potius declarabit potentiam & vim ſeueritatis, & iuſtitiæ, contra vim & magnitudinem ſcelerum tantorum: iam iſtarum immanium beluarum impetum, & rabiem comprimet. Ademerunt mihi omnia tanta iniquitate & tyrannide, quæ mea erant propria: & lucem quoq; hanc, quæ communis eſt, eripere cupiũt? Quis vnquam fuit prædo tam nefarius, quis pirata tam barbarus, vt cùm integram prædam ſine ſanguine habere poſſet, cruenta ſpolia detrahere mallet? Dracones etiam veneno ſiſſimi, ſuis locis tolerantur, qui exitio ſunt hominibus, vt mihi nuſquam in tam vaſto mundo reſiduus erit locus, qui dies noctesq́; in Eccleſiæ laboribus tranſigo? In exilio hoc compoſui effigiem veteris Eccleſiæ, aduerſus omnes huius tempeſtatis ſectas, Cenſuram catholicam, Duplicem faciem Eccleſiæ, Preces anacriticas, Annotationes in vniuerſa Biblia, Inſtitutiones philoſophicas in omne genus ſcientiarum: (vt etiam hoc argumento, facilè conuincaris Naſe, cùm me percurſare in opprobrium Cæſaris varias aulas ementiris, quod præſtare nequit, qui huc illuc circumcurſat:) neq; tamen vllus vſquã eſt, qui mihi vel pauxillũ aquæ porrigat, vſq; adeò omnes Maieſtas Cæſaris, cuius nomine aduerſarij mei omnia peregerũt, terret. Vt non immeritò cum Dauide queri poſſim. Quare ſic perſequitur Dominus meus ſeruum ſuum? Quid enim feci, & quod malum eſt in manu mea? Nunc ergo audiat quæſo dominus meus rex verba ſerui ſui, Si Domiuus incitauit te contra me, odoretur oblationem: ſi autem filij hominum, maledicti ſint in conſpectu Domini: quoniam eiecerunt me hodie, vt non ſim affixus hæreditati Domini, dicentes, Vade, coles deos alienos. Nunc itaq; non cadat ſanguis meus in terram in præſentia, & conſpectu Domini, quoniam

niam egreſſus eſt Rex Iſrael, vt quærat pulicem vnum, ſicut cum quis perſequitur perdicem in montibus, &c. Et quid inclyto Cæſari proderit, quis inde ad eum redibit fructus, ſi vnus pulex omniũ inſectorũ viliſſimus, tanta crudelitate perdatur? Adeòne ſanguinem meum ſitiunt, vt Cæſarẽ conſiſtere nõ poſſe exiſtiment, quandiu me incolumen viderint? Non puto optimum Cæſarem paſſurũ, vt hoc quod maiores conſilium publicũ vocari voluerunt, præſidiũ teterrimarum beluarum exiſtimetur. Non modo enim hoc poſtulare homines profligati, quorũ tu protector exiſtis, audent, vt ſupplicia vitent, quæ à Cæſare pro maleficijs ſuis metuere atq; horrere debent, verumetiam vt ſpolijs noſtris, Cæſareoq́ iudicio ornati, auctiq́ diſcedant. Quocirca ſuſpiciendiſſimum Cæſarem, his ipſis verbis, ſuperiore anno, appellaui, et imploraui per ſuam, ſuorumq́ maiorum gloriã, & per maieſtatem imperij ſui, vt conſulat innocentiæ meæ, deleat contumaces, & ſuperbos funditus, imperiumq́ ſuum, leges, & conſtitutiones repudiantes, pœnæ ſeueritate comprimat: ne impoſterum homines amentiſſimi, hæc & ſimilia petulanter, ac temerariè iactent, et violentia ſua innocentes in tantas miſerias præcipitent, neuè iura, leges, & conſuetudines effrenata libidine, & cupiditatum æſtu impulſi, miſerè aduerſum diuina & humana omnia labefactẽt, violent, polluant, & corrũpant: idq́ nõ pro ſua, aut Cæſaris vt ſimulant iniuria, ſed vt leges ac libertatẽ ſubuertant, & ſuæ argentanginæ, q̃ commodiſſimè cõſulant. Neq; me opinio fefellit. Nã hanc ipſam implorationẽ, cũ Cæſar legiſſet, & depræhendiſſet me non ſecus fidẽ ipſius implorare, q̃ ſi vota ſeruuli ipſius iuſta ſint: ſi iuri et æquitati, omniumq́ populorũ legibus, & conſuetudinib. conſentanea: ſi iuxta formã ab ipſo, ipſiusq́ maioribus præſcriptam concepta: & in hæc verba conceſſiſſet, Vtrũ adhuc viuerem: ſiquidem intellexiſſet me ante quadrienniũ apud Rhenum ex hac vita exceſſiſſe: & iterum atq; iterum diligenter

ex

ex nuncio perquiſiuiſſet omnem ſtatum, conditionemq́ rerum mearum, atq; præ ſe ferret læto ſe animo vitam & ſalutem meam accepiſſe, mox in mandatis dedit, vt clementer mihi reſcribatur. Cæterum ille cui rès demandata erat, poſtquam hoſpitium ſuũ repetijſſet, excanduit vehementer, & his verbis nuncium allocutus eſt, Paulus Princeps de la Scala eſt egregius Dominus: Decètne Principem ex ſua prouincia, in peregrinas concedere, & apud Rhenum, peram mendicantium conquieſcere? ſatius eſſet illi prouinciam ſuam curare, & ſe more Principũ gerere. Ita ne ſe geſſit illic, vt redire nequeat? Ipſe viderit. Hæc ille. Nuncius verò conſulit, vt primo quoq; tempore me in Pruſſiam recipiam, ita tamen vt prius cuiuſdam manus fuluo auro deliniam & perungam. Cæterum illius ſomnijs non eſt quòd reſpondeam, cùm etiam cæcis pateat, me prouincia non mea ſponte exceſſiſſe, ſed ablegatum eſſe ad varios principes, id quod publicæ ſecuritates & regis & principis teſtantur: huius conſilio autem non eſſe ſtandum nemo non videt, proſcriptione necdum abolita: quæ vbi fuerit reuocata, non dubito vita etiam interpoſita cum aduerſarijs, & coram Rege, et vbiuis gentium, vi nulla interpellante, certare, quod iam millies obtuli. Itaq; Naſe non eſt quòd optimum Cæſarem, aut ſanctiſſimum ſenatum illius, nugis tuis admiſceas: ſatis apparent autores tanti ſceleris, quorum ſiue tu ſimilis es, ſiue illi tui, nil ad omnium ſcelus ac nequitiam addi poteſt. Sed ais me librum quendam nomine Reginam iuſtitiam compoſuiſſe, eaq́ Cæſarem notari. Ego verò aſſeueranter affirmo te ſplendidiſſimè mentiri. Neque enim à me compoſitus eſt, neq; in publicum editus. Deinde tantum abeſt, vt Cæſar illo libro notetur: quin etiam expreſſè excuſatur. D. 3. vel G. 1. his verbis, Si, inquit, autor huius reſcripti, prioris recognitionis Vrielis meminiſſet, vel hiſtorias ſaltem à limine ſalutaſſet, aut mundum præ foribus duntaxat luſtraſſet, & iuramen-

tum

tum fidelitatis, quo Regiæ, hodie Cæſareæ Maieſtati aſtringitur expendiſſet, haud dubiè hæc recognitio cum laude emanſiſſet. Hæc ibi. Taceo titulum Iuſtitiæ, quem nunquam tanta rabie aggreſſus fuiſſes monoculus, ſi vtroque oculo vidiſſes, Iuſtitiam æternam, non ad autorem illius ſcripti, ſed ad leges referri, quæ Dei ſunt. Nam ſi reſiſtere poteſtati, eſt Deo reſiſtere. Rom. 13. quid impedit, quo minus legibus reſiſtere, ſit Deo reſiſtere? Vt iam hic Regina æterna nō aliud quā leges, quæ ibi loquuntur denotet, earūque doctores. En quàm acutè in meam innocentiam Cæſarē, & imperij pceres, prouocare & cōcitare niſus es. Lex inquis, Idonei de teſtib. iſtic citatur, nec agnoſcit Cæſarem pro idoneo teſte, ideóque Maſtatem lædit, Itanè verò lædit? Quis eſt qui legibus læditur, niſi ſons? Quis vnquam dixit Cæſarem repelli à teſtimonio? Inimicus ibi, & qui rem propriam agit arcetur à teſtimonio. Siquidem ergo Cæſarem Inſtrumentator ille vt inimicum, & in re propria ſuo inſtrumento inſeruit: quis dubitabit, illos minimè idoneos eſſe teſtes, qui inimici imperio teſtantur? Quis enim admittet idoneum teſtem eſſe in re ſua, quamuis rem ſuam eſſe, aut ſtudium ſuum in ea diſſimulet? l. nullus. ff. de teſtib. Si allegationem hanc reprehendis, non tibi iam mecum res erit, ſed cum vniuerſæ Europæ Academijs & Iuriſconſultis, quæ eam legem, eodem modo interpretantur. Quod ad autores illius libelli attinet, ſi legiſſes Querelam Boruſſiacam, qua nominatim exprimuntur, puderet te tuæ leuitatis & temeritatis, cum me ea de cauſa criminari non dubitaueris. Reſponſum autem noſtrum, ipſáque Acta, & Anthiteſis nomine Baldi & Bartoli &c. Regiomonti Boruſſiæ mandato Iudicis excuſa, me ab hac tam ſpendida iniuria non minus vindicant. Ibi abundè defenditur cauſa mea, & eædem illæ leges producuntur, atque Cæſaris honeſtiſſima mentio fit, vt non videam quid tibi tua impoſtura velis: neque verò vſquam nomen meū ſup-

Ppp *preſ-*

preſſum eſt,cur ibi ſupprimeretur? His omnibus nugis nihil proficere potuiſti,ad alias nunc confugis.Talares veſtes quod depoſuerim iniquè fers: torquatum me criminaris, & nihil non ineptiarum allegas. At bono animo ſis, etiamnum talaribus veſtibus vtor, hyeme maximè, & cùm vel ad lectum propero, vel è lecto me eripio: torquatus à puero fui:res noua non eſt. Neque verò cuculla facit monachum: neque tenetur legibus Eccleſiaſticis is,qui neque officijs, neque beneficijs Eccleſiæ fruitur, can. 7. Concil. 8. Tolet. quemadmodum ego horum nihil vnquam, & ſi mihi ſæpe Epiſcopatus oblati fuerint,acceptarim. id quod Cæſaris illæ literæ ad me propria manu ſcriptæ, & ſubſcriptæ teſtantur. Hoc probrum pleroſque principes, eadem infamia labefactaret,ſi de ſua dignitate illos conſimili argumento deturbares. In capellani nomen inueheris, & debaccharis; illud exagitas.ergo exagita & multos alios principes apud Mammeranum, etiam ex regio ſanguine, qui Cæſaris Capellani fuerunt, hoc eſt à ſacris videlicet Alphorſum principem Arragoniæ ex regia ſtirpe Ferdinandi Catholici Regis: Franciſcum de Toledo principem:Ludouicum Marchionem de villa Franca, & viceregis Neapolitani filium: Ludouicum principem de Rollas, Marchionis à Boſen fratrem: Dominum Garziam de Haro, Domini de Carpio filium, & multos alios ibidem deſcriptos. Aut ſi indigna vox eſt, non mihi obtemperanti, ſed Cæſari imperanti eam imputes, qui me Epiſcopum deſignauerat,& ibi mores Eccleſiaſticos diſcere, per duos annos cum dimidio; adegerat: ideoque ſuis orationibus me frequenter adhibere, pro ſua conſuetudine, quoties Epiſcopus Labacenſis abeſſet, ſolebat. Qua tamen in re Naſe tibi ipſi obſtrepis, te ipſum denaſas. Nónne me in magna autoritate & gratia apud Cæſarem fuiſse fateris? Si ergo Capellani eſt infima conditio

ditio, quomodo igitur ſummæ me autoritatis ibi fuiſſe ais? Ita exiguo interuallo tui prorſus diſsimilis es. At ſcias Cæſarem ipſum, tale famulitium præcipuum ſibi eſſe, ſuo diplomate fateri, vt ſcilicet quis ei à ſacris ſit. Deinde teſtantur etiam literæ illæ Cæſaris, manu propria ſcriptæ, longè aliam fuiſſe meam conditionem, quam cæterorum, qui eodem munere fungebantur. Quod autem ad ſecularem ſtatum redierim, vrgentiſſimæ cauſæ erant, accedente etiam diſpenſatione Pont. Max. atque conſenſu Cæſaris, vt vtriuſque literæ ſonant. Idcirco quæ mihi confirmata erant, quæquæ optimo iure ad me ſpectarent repetij: præterea nihil. Id cum tu mihi vitio vertis, egregiè deliras. Nam quod propterea me renunciaſſe bonis auitis arbitraris, quia ſacris initiatus fuerim, non video quibus argumentis id perficere, vt credam valeas, cùm neque titulum menſe (vt vocant) vnquam habuerim neque vllis beneficijs gauiſus ſim: licet illa, & quidem opima, mihi paterent. Fac habuiſſem, vſus fuiſſem: cum autem & officijs & beneficijs, propter multas cauſas renunciaſſem, quis me vrgeret? Neque enim canones plus à ſacerdote requirunt, ſi vxorem ducat, quàm renunciationem officiorum & beneficiorum Eccleſiaſticorum. Quod ſi votum obijcias, obijciam ego tibi viciſsim ex Auguſtino vel Iuliano de bono coniugali, Gratianum 27. diſt. Quidam & diſt. 17. Preſ byter. & 21. q. 1. cap. Nuptiarum. & can. 22. q. 4. & Amb. in Epiſt. de ſacerd. & Hieron. ad Euſtochium de caſt. virginit. & in Hierem. cap. 3. fol. 126. cont. Nazareorum vota. Item can. 11. Concil. Arauſic & can. 12. item Panormit. & Marſil Patauin. lib. pro defenſione Ludouici Imperatoris atque etiam AEneam Syluium, poſtea Papam Pium de geſtis Baſilien. Concilij lib. 2. Platinam in vita Pont. Pij. circa finem. ſed quid tam multa cito, cum vnica Pont. diſpenſatio abundè ſatis

faciat, quæ non tam excuſare, quam etiam tollere poteſt votum, et quoſcunque alios Eccleſiaſticos defectus ſarcire? Nonne Raymirus ſecundus filius Sanctij. 4. regis Arragoniæ Monachus. S. Pontij in Gallijs fuit, & poſtea fratri Petro ſine prole decedenti Pontificia diſpenſatione, in regnis Arragoniæ & Nauarræ ſucceſſit? Nonne Caſimirus filius Miezlai Regis Polonorum, ex Monaſterio Cluniacenſi, ad regnum Poloniæ reuocatus eſt? Multa id genus alia paſſim hiſtorias legenti occurrunt. Quî fit igitur vt mihi, qui neque monachus fui, nec vllum vnquam beneficium Eccleſiaſticũ habui, & vnicus patris mei filius exiſtam, non liceat quod mōnachis voto monaſtico obſtrictis licuit? Non eſt proinde quod calumnieris me quicquam in ijs, quæ ad Eccleſiam ſpectant, & Pont. Max. autoritate propria egiſſe, aut in crimen apoſtaſiæ incurriſſe. Obedientiam enim Pont. Max. & Cæſari, nunquam negaui Neque peto à Pontifice quicquam, & tamen non potes ferre, vt pro pontifice propugnem? Sed valeant hæc, tuæque maledictiones te maneãt, inque tuum caput recidant. Iam patet tua illa nugaciſſima illatio, & tua impoſtura vniuerſo mundo innotuit. Tu, & nō ego, ſcriptis tuis optimum Cæſarem infamas, conuitijſque proſcindis, cùm ſenatum, & proceres regni ſui tanta ignominia afficis, & vel ignorantiæ in negotio tanti momenti, vel impoſturæ arguis. Tua ſcripta per Germaniam errant, teq́ infeliciſſimum ſcurrã declarant, non me. Ego enim vno in loco lucem tranquillitatis præſtolor, & Eccleſiæ vtilitatem promoueo, Cæſaris commodis deuinctiſſimus. Quid eſt quod ais me Pruſſia aufugiſſe? Niſi prorſus delirares, ex publicis ſecuritatibus Regis & Principis toties editis poſſes cognoſcere, me in negotijs Eccleſiæ & Reipub. ablegatum eſſe. Poſtquam verò vniuerſæ Europæ reſponſis, atque varijs maiorum meorum monimentis, ſententiam Iudicis confirmatam aduerſarij præſenſiſſent, conſilium cœperunt plenum ſceleris & audaciæ

daciæ, vt quoſdam delegatos obreptitiè intruſos, emendicarēt, qui in hæreticorum gratiam, me innocentem, nouiſque criminibus, mihi prorſus ignotis oneratum, & iam iam aduentantem, inauditum & indefenſum, abſentem, & ab omni defenſione, contra omnes leges, omniumque populorum conſuetudinem, excluſum, proſcriberent: quocirca ego hactenus his in locis me contineo, & nihil aliud imploro, quàm vt mihi liceat ſecurè cauſam meam coram Rege defendere, idque ſub pœna capitis: necdum tamen ſicut recenſui paulò ante, quod tot implorationibus efflagitaui, conſequi potui. Et tu legatum, atque iuſtitiam implorantem non vereris perfugam nuncupare? Quod deinde ad religionem attinet, intellexiſti vt opinor mentem meam. Neque eſt quod religionē ipſam alleges, quaſi ideò teſtimonium aduerſarij reijciatur. En prouoco te, & omnes tuos, vt vita mecum interpoſita pro Eccleſia Catholica, proque nomine meo decertetis, & ſi vos ſuperiores euaſeritis, vitam ego amittam ſin minus eandem vos pœnam luatis: Itaque tua ipſius confeſſione conuinceris, qua dicis ideò me omnes meas fortunas, dignitates & priuilegia amiſiſſe, quod à Catholica Eccleſia diſceſſerim. Siquidē autem non diſceſſi, ſed conſtantior te in ea perſeuerem, cur me tanta temeritate, & acerbitate oppugnas? Cur tot diras imprecationes in me cumulas? haud dubiè vt omnia hæc perſpecta veritate, in te redundent. Fac à religione deſciuerim. Cur igitur ob eãdem cauſam alij principes nomine & fortunis non priuantur. Cur Truchſus & factio ipſius propterea non damnatur, quin defenditur potius? Cur Interim Auguſtale publicatum eſt? Cæſar ergo ipſe deponendus fuiſſet: imò tute defenſor Truchſij, & vita, & fortunis cecidiſti, vel tuo iudicio, vt non dubitem illa quæ mihi imprecaris, in te recaſura. Egon reijcio idoneos teſtes Naſe? Ecce, ſi vel vnum dederis viciſti. Falsò igitur ais me proprio ingenio ferri, teſtimonijs, & teſtibus idoneis refragari. Nonne tuis Ingolſtadienſibus,

& vniuerſæ Europæ iudicijs cauſam meam ſubieci, eamque vbique obtinui? Fruſtra tandem pugnantia allegas. His enim nulla fides habetur. l. vbi pugnantia ff. de reg. vir. l. ſcripturæ. C. de fid. inſtrument. l. 3. §. Ideoque ff. de teſtibus. Quid eſt, quod ais me legis ſenſum peruertere, ſi omnes Iuriſconſulti idem vnanimiter ſentiunt? Certè nunquam dixiſſes me præpropere agere ſi legiſſes me integro quadriennio patientiſſimè aduerſariorum probationes præſtolatum fuiſſe. Rurſus ad alia perfugis. Vrges dictum Auguſtini, Remota iuſtitia, quid aliud ſunt regna, niſi magna latrocinia: & inde vniuerſum Imperium in me concitas, homo inſulſiſſime. Quo nomine tu ipſe pro Colophone teipſum non tam ridendum, quàm trucidandum exponis. Abſolutè enim ſententia illa citatur, & nil aliud petitur, niſi adminiſtratio iuſtitiæ. An verò propterea quiſpiam admittat Crimen læſæ Maieſtatis, iudicet qui volet. Ergo & Auguſtinus in eodem crimine erit. Quod de iuſtitia poſitiua ſubnectis, non erat opus tam diſſoluta & ſtulta detorſione, cùm res per ſe clara, & perſpicua ſit. Neque enim ego ſententiam illam aliter vel intelligo, vel illa vtor, quum ipſa Auguſtinus vſus ſit: nec aliud ago, quam quod illos ad iuſtitiæ conſeruationem inuito, quorum in manu ſumma cauſæ meæ poteſtas eſt: quin tute Naſe impingis ad lapidem, quo me ſupplantare decreueras. Ego namque de iuſtitia adminiſtranda nunquam deſperaui, quam vnicè omnibus meis ſcriptis imploro, & quidem ea lege, vt calumniatores victi capite luant, eaſdem pœnas ſubire paratus, ſi alienæ genti me inſeruiſſe conſtiterit. Cæterùm & ſi nondum impetraui quod tantopere efflagito, non id ego tamen Cæſari, ſicut tu, non Regi, non vlli principi, aut Magiſtratui adſcribo, ſed illis tantum, quos amicitia priuata Truchſicæ factionis, parum cognita tranſuerſos agit: quos audio ſumma

vbi-

vbique ope niti, ambire, fatigare ſingulos, ne quid quod iuſtum eſt ſtatuatur. At verò ſcio cor Regis in manu Dei eſſe, Prouerb. 21. Quare quam diu volent impediant aduerſarij curſum iuſtitiæ: impedire tamen diutius non poterunt, quàm Deus permittat. Cùm ergo Domino placebit, Iuſtitia tandem & ipſa obtinebit: hanc moram animo æquo, & forti auxiliante Deo feram. Itaque impiè me propter locum illum Auguſtini, crimen læſæ Maieſtatis admiſiſſe iactas, cuius tu ipſe reus es, qui non vereris adſcribere & Cæſari, & Imperio, quod neutri in animo vnquam fuit: atque falsò detorquere in falſiſſimum ſenſum, quod ſecus detorqueri quàm eſt nequit. Tu Auguſtinum criminaris, cum propter dictum illius me adoriris. At qui ſanctorum ſenſum peruertit, nonne hæreticus eſt? Damnas item omnia regna, omniumque populorũ leges, & conſuetudines, quæ vno ore cauſam meam tuentur. Damnas inquam non tam tibi ſuſpectas religionis ergò vniuerſitates & Iudicia, vt eſt Lipſia, Magdeburgum, Vuiteberga, Heydelberga, Marpurgum, Tubinga, ſed eas quoque quæ Romanæ & Catholicæ religionis ſunt, videlicet Romam, Neapolim, Florentiam, Bononiam, Paduam, Ticinum, Mondeuiũ, Tholoſam, Pictauium, Luthetiam Pariſiorum, Bituriges, Aureliam, Valentinã, Spiram, Coloniam, Treuirum, Maguntiam Ingolſtadiũ, Viennam Auſtriæ, Friburgum Briſgoiæ, Brandenburgum, Francofordiam ad Oderam &c. Has omnes cũ pro me reſpondentes calumniaris, quis non videt te de induſtria rebus nouandis ſtudere, & Imperij atq; populorũ leges euertere? Siquidem ergo decreta Imperij contẽnis quibus ego me ſubijcio, ſatis conſtat, te & non me, crimen læſæ Maieſtatis cõmiſiſſe. Quod vt ſarcires ſupplicij tui memorabili animaduerſione, iniuſtũ non eſſet. Hinc iam vltrò apparet, quàm inſanias, cùm inquis, me pro me ipſo dicere ſententiam, qui necdum videas, & Iudicem,

& vni

& vniuerſam Europam pro me definiuiſſe. Hoc crimen rectiſſimè Truchſicæ factioni conuenit, quæ tanta tyrannide in Pruſsia diem ſuum perbacchata eſt. Ne hoc quidem prætereundum, quod nominibus diuinis ludere non perhorreſcas: diſce potius, quid ſit analogia, quæ incerta certis probat. Ita & id perperam repræhendis, quod dictum ſit, Veritatis ſimplex eſt oratio. quod non feciſſes, ſi bonas literas, vel à limine ſalutaſſes. Concludis Albertum Truchſes eſſe clariſſimum ex gente Scaligerorum. Quis hic riſum contineat? Nunquam eò dementiæ venit Truchſus, vt ſe Scaligerum nuncuparet, & tu. fol. 174. & 175. illi gentem Scaligerorum attribuis? Hinc nulla difficultate patet te prorſus ignoraſſe, quid aut ſcriberes, aut defenderes, aut blaterares. Tu vnus es temerarius et omnium ignarus Naſe: qui audes pronunciare, Truchſum ſatis probaſſe, & ſententiæ definitiuæ Iudicis qua Truchſes damnatur totque nobiliſſimis vniuerſæ Europæ Iuriſconſultis, eorumque reſponſis & decretis iam olim excuſis detrahere. quæ vnanimi conſenſu illum quicquam iure docuiſſe negant, & documenta ipſius, meras calumnias, atque ſomnia vigilantium eſſe concludũt: & quæ huiuſmodi ſint, vt potius deſpicienda ſint, quàm propulſanda. Cùm tamen ne primis labijs aut digitis ius deguſtaris & attigeris, & tibi vere illud obijci poſſit, Sutor ne vltra crepidam. Si expendiſſes ſaltẽ Truchſij emendicata ſuffragia, & quod illis ipſis mea cauſa probetur (nihil dicam de meis tot regũ, & principum, atq; maiorum noſtrorum monimentis) nunquam tibi excidiſſet tam inſana vox, & ab omni æquitate derelicta. Sed vbi rerum teſtimonia adſunt quid opus eſt verbis? Nonne euidenter impugnas l. 1. in fin. 2. & 5. ff. de agnoſcend. lib. S. præiudiciales Inſtit. de action? Sed malè te habet, quod te inconſulto Europa pro me reſponderit. At quæſo condones id mihi: ignorabã enim monachis licere in foro cauſam agere: neſciebam aduerſarios meos ad te perfugituros, poſtquam

ſuis

ſuis artibus omnibus, etiam carnificũ patrocinio deſtituti eſſent, quorum tu vices ſuppleres. O miſeram cauſam quæ ex te miſero dependet, tuoq́ ſolius præſidio nititur. Cur non adhibuiſti Iuriſconſultos Ingolſtadienſes? haud dubiè quia antea pro me dixerunt. Si id intellexiſti, qua veſania ſolus vniuerſo orbi Chriſtiano contradixiſti? Aut ſi ignoraſti; qua temeritate inconſultis illis, tantum oneris humeris tuis impoſuiſti? Fortaſsis Vuiteberga tibi ſubueniet, quæ quod pro me conſilium nomine Kuſitten dedit, & ſuæ facultatis Iuridicæ ſigillo, cuius imago Iuonis eſt, reſpõſum obſignauit, hoc nuper tandem publico ſcripto negauit. Illa perfidiam tuã, ſua abundè cumulauit: Ne ſolus, & derelictus videare. Neq; mirum, cum Euangelium illius, hæc omnia, fas, & nefas ferat. Valeat illa. Nunc ad te vt reuertar Naſe, ordinemq́ tuum prætercam, qui ſi vnquam peccauit, tamen maiorem iniuriã reipub. Chriſtianæ facere non potuit, quàm quod te talem impoſtorem, & conuitiatorem ſuſceperit & alat, neq; tu ſi qua in pueritia peccaſti, exequar, ne parentes tuos videar accuſare: ſed qualem adoleſcentiam egeris, ſi hæc demonſtraretur, facilè intelligeretur, quàm petulanti pueritia, tam impudicus, & procax adoleueris. Vixeris vt libet Naſe, egeris quæ volueris: ſatis ſit vnum te tuorum ſcelerum conſcium eſſe: noli nobis languorem religionis, & ſoporem familiæ nimiũ exprobrare. Sumus diligentes in tuendo nomine noſtro, & Romanæ Eccleſiæ doctrina: ſed ita experrecti non ſumus, vt à te cauere poſsimus: audacia tua vincit ſtudia noſtra. Ecquod te mouere poſsit factum ac dictum turpe & impium, quem non puduit palam defendere hæreticos, & profiteri ſcelera? Quod ſi nihil pro me reſpondere tibi voluiſſem, ſed illud duntaxat vrgerẽ, quod aduerſus hoſtes Romanæ Eccleſiæ ſcribens, hos ipſos hoſtes propugnes, atq; defendas, nonne tibi viderer æternas inurere maculas, quas reliqua vita tua eluere non poſsis? taceo quod in ea caſtra

 te con-

te conieceris, quò omnis ſentina flagitiorum confluxit. Ita igitur agis, vt nihil non æquum, ac verũ ducas, quod tibi facere collibuerit: neq; aliter vexas Eccleſiam, ac debuit, ſi quis prædæ loco accepiſſet epiſcopatum. Peractis tuis nugis, poſteaq̃ eis placere contendiſti, cum quibus ſimilitudine vitæ te coniunxiſti, vnus iam ex illo grege videris. Eius enim partis exemplar es Naſe, quo tanq̃ in vnam voraginem cœtus omnium vitiorũ exceſſit: quicquid impudicorum, cyllonum, mutilorũ, debilium, parricidarum, ſacrilegorũ, hæreticorum, ſchiſmaticorum, ibi fuit, ſicut in fretis ſubſederant, nominis perditi, ac notiſſimi, nulla in parte bonorũ conſortio apti, niſi licentia vitiorũ, & cupiditate rerum nouarũ. At hac tua cenſura, his tuis centonibus, quàm modeſtè te geſſeris, et abſtinenter, verendũ eſt, ne aliquando Eccleſia catholica perſentiſcat ſuo magno incommodo. Nonne ita commiſiſti Principes, itaq; vaſtaſti Eccleſiam, vt nihil illa pati poſſit, neq; expectare grauius in bello, q̃ expertura ſit hoc tuo ſcripto? Eò veniſti audaciæ & criminum, vt nemo ſatis honeſtũ te ſibi ducat, niſi ſimilis ac par tui. Nõ eſt quod te ſcripta tua extollant, quæ plus iam exemplo, quàm peccato Eccleſiæ nocent. Video enim non ſine acerbiſſimo animi ſenſu, & dolore, tuis nugis et moribus, qui quàm plurimos habent ſui imitatores, ſacra, & ceremonias, & leges vulgo proteri, et cõculcari. Verum vt opinor, Ordo tuus te facit inſolentem. Carere autem debet omni vitio, qui in alterum paratus eſt dicere. Is demum maledicit, qui non poteſt verum ab altero audire. Sed tu omnium hæreticorũ aſſecla, & defenſor, omniſq; ordinis turpitudo es, & omniũ malorum memoria. Quid enim Eccleſia grauius pati poteſt, quàm quod te incolumem in hoc Ordine videat? Deſine bonos petulantiſſima conſectari lingua: deſine morbo procacitatis iſto vti: deſine vnumquemq; moribus tuis æſtimare. Cogita te futiliſſimam eſſe rem, et inanitate inaniorem, videlicet inaniſſimæ vmbræ ſimilimum, qui

tan-

tanq̃ imago quædam vana, et adumbrata nihil ſolidi, aut expreſſi habes, neq; ſcis hoc temporis, quod tibi eſt datũ, placidè, tranquillè, leniterq́; traducere: ſed turbulentis & concitatis animi permotionibus ſemper agitaris, ſemper effrenata cupiditate torqueris, & inſania tua exultas. Hinc eſt vt infinito labore tot calumnias congeſſeris, conuitiaq́; conuitijs cumularis. Quocirca eo magis te odiſſe debent omnes boni, cum ne incipiens quidẽ peccare, minimis rebus poſueris rudimentũ, ſed ita ingreſſus ſis, vt neq; ab alio vinci poſſis, neq; ipſe te omnino reliqua ætate præterire. Nec aliud ſtudes, niſi vt lutulentus ſus cum quouis volutari. Longe verò falleris opinione: Non enim procacitate linguæ vitæ ſordes eluuntur: ſed eſt quædam calumnia, q̃ vnuſquiſque noſtrum teſtante animo ſuo fert de eo, qui falſum crimen bonis obiectat. Quod ſi vita tua memoriam vicerit, illam nõ ex oratione tua, ſed ex moribus ſpectare debemus. Tu enim dum tibi in ſceleribus, & flagitijs impudenter impieq́; blandiris, id conſequeris vt in odiũ Dei, hominumq́; acerbiſſimum incurras. Nihil in te ſimplex, nihil ſyncerum, aut candidum, omnia turpia, tetra, & ſceleribus inquinata: nihil cogitationes tuæ niſi peſtem alteri, & exitium moliuntur. Quid ego de tuis mendacijs, aut maledictis commemorem, qüibus ore petulanti bonum quemq; figis et laceras? quicquid loqueris, ad fraudem, ad iniuriam & perniciem ſpectat alterius, neq; rectè et ſalutariter admonẽtes audis: quin imo ad grauiſſima quæq́; facinora tanto furore incitatus raperis, vt tota nocte cogites cum animo tuo, quid in Deum aut homines peccare poſſis interdiu: ſemper habes in promptu ſcelera quæ edas in optimos viros, & iuſtos, et quibus inſontes circũuenias. Nihil niſi maledicta, fraudes, in ore tuo vigent. Animũ geris inſidijs, & effrenatis cupiditatib. redundantẽ, & quemadmodũ ex apertis ſepulchris teterrimus odor afflatur, ſimiliter ex ore tuo prodeunt verba fœditatis & ſcelerũ plena. Nihil tu fal-

laciæ, nihil fraudis & inſidiarum prætermittis, quo proximum in maximum aliquod malum præcipites: ſed quam voles amenti furore debaccheris, mox enim ſcelerum pœnas dabis: & quæ vis nefariè à te mihi intentata eſt, in te tuiq́ ſimiles recidet: quæq́ improbitas te ad meam cædē exacuit, ea tibi & dedecori & exitio tandem erit. Quàm voles, inquam, impie Naſe, crudeliter & nefariè debaccheris in bonos, iam iamq́ ex hoc dignitatis gradu præcipitaberis. En locum aſpicio vbi tormenta, cædes, multorumq́ innocentium ſanguinem acerbo ſupplicio impij luent. Iuſtitia enim Dei vincit altitudine mōtes excelſiſsimos, atq; altior eſt profundo mari, quæ contumaces, & in vitijs obſtinato animo perſeuerantes punit. Illa tuebitur vitam meam, q̄ mihi aduerſarij mei eripere omni ſtudio contendunt, & liberabit me tantis angoribus, et ærumnis, atq; opem mihi impetrabit, quam expecto. Tu porro niſi malis iuſtitiam Dei experiri, pœnitentiam age, et reſipiſce, ac in eam curā incumbito, vt verè monachum agas, & non conuitiatorē. Propterea enim monachi ex oculis mortalium ſeſe remouent, & ſolitudines montium, et recondita nemora perſequuntur, vitam herbis et baccis arborum ſumma cum voluptate tolerantes, quò poſſint ab omnibus curis, & moleſtijs vacui, in ſola Dei contemplatione conquieſcere, quibus tu te tamē, monachus exiſtens, vltro intricas, & curas atq; moleſtias quæris, quæ te fugere meritò deberent. Quære potius ſcientiam literarum ſanctarum, quo munere nihil excellentius, nihil ſalutarius, nihil aut pulchrius, aut iucundius excogitari poteſt. Quippe cùm his monimentis contineatur omnis rerum diuinarum cognitio: quæ qui lē ſic animos piorū afficit, ſic ebrios, et ſancto quodam furore incitatos agit, vt parentes, amicos, opes, honores, humana obliti, ſolum Deū cogitent, ſolum illū ſuſpirent, ſolum precibus & votis continentibus expoſcant, & ſi ita res ferat, ſeſe pro eius nomine vinculis, & telis, et omnibus tormentis,

ani-

animo læto, ac præſenti offerant. Sed amoris æſtu in dies ſingulos creſcente, iam lucis huius vſuram pertæſi, iam ſponſi videndi deſiderio confecti, cõtinenter oculos, & puras manus, ad cœli ſanctiſsima templa ſublata habent, & vim lachrymarũ profundentes, his vocibus Deum venerantur: Quàm amabile eſt domicilium tuum ô Rex maxime cœlitum? deficit, & tabeſcit animus meus deſiderio domus tuæ. Hæ voces te decebant Naſe, hæc conſilia, hic animus, non aũt conuitia, criminationes, contumeliæ, & abominanda vituperia, quæ nec vetulas anus, nec quadratos ruſticos latent. Ille enim ad beatam vitam certiſsimus eſt aditus, ſi diligenter eo munere fungamur, cuius colendi efficiendiq́; cauſa, nos Deus ſui præſtantiſsimi numinis ſimiles effinxit, et naturam compotem rationis ac cogitationis impertiuit: videlicet vt colendo Deo, rebusq́; diuinis contemplandis, & non veluti cætera animantiũ genera ventri, pabuloq́;, & prauis affectibus, animum intenderemus, & cum fide iuſtitiaq́; viuẽtes in terris, pòſt incredibili gaudio, & æuo ſempiterno frueremur in cœlo. Rectè proinde beata vita conſtituitur in illo, qui ad eam ſanctitatem peruenerit, vt non ſolũ ab omni maleficio ſeſe temperet, ſed etiã mentem ipſam, & agitationem animi caſtam inuiolatamq́; conſeruet: & repudiato conſilio impiorũ, in recto Dei cultu, puraq́; religione perſeueret. Tu aũt Naſe quomodo repudiaueris conſilia impiorũ, tuis centonibus ſatis ſuperq́; prodidiſti. Certè ad tuam maximè vocationem ſpectabat, nihil flagitioſum aut impium cogitare, neq; vnq̃ recedere ab honeſto, inito conſilio peccandi. Eſt enim caput ad benè beateq́; viuendũ, vti ne viam improborum ingrediamur: proximum, ne diutius in ea conſiſtamus. errare enim & labi (vt quidã ſapienter monet) communi hominum infirmitati: in errato perſeueraſſe, ſingulari cuiuſuis vitio eſt attributum. Sed totius improbitatis nulla eſt capitalior, quàm eorum, qui nõ ſolum ipſi obſtinato animo verſantur in ſceleribus,

 ribus,

ribus,ſed etiã alios peſtiferis inſtitutionibus corrumpunt:atq; eos derident,qui iuſtitiam,& pietatem colunt, & animum exercent in optimis rebus. Ex quorum numero,tuis conuitijs declaraſti, te non eſſe poſtremum. Veruntamen ad ſummũ bonum adipiſcendũ, non ſatis eſt exiſtimandum,ſi declines mala: niſi etiã virtutem ac pietatem colas. Itaq; beatum illum iudicamus, qui & ſeſe à vitijs purum,& integrum ſeruat,& præceptis legum diuinarũ ſtudioſé paret, & in ea meditatione dies noctesq́ conſumit, vt intelligat quid iubeat Deus,quidue prohibeat, quæ breuiſſima via ſit in cœlum,quas pœnas improbi pendant,quæ præmia boni conſequãtur. Hæc ſi diligentius conſideraſſes, facilè te abſtinuiſſes à furijs illis ſcelerum,quæ te exagitant,& æſtu libidinum,et cupiditatũ, quæ quocunq; te impellunt,eo miſer præceps ruis.Ita paucis et viã atq; methodum,qua homines palantes, et erroribus turbulentis impliciti,ad viam veritatis reuocandi, & ad beatitudinẽ conſequendã promouẽdi veniant:& ſtatum noſtrũ illibatum atq; inconcuſſum, & religionem puram & caſtam intellexiſti:teq́ tuis nugis id conſecutum eſſe,vt minimè dignus ſis, vllius probi et honeſti hominis conſortio,quouſq; criminationes tuas iuridicis,hoc eſt luce meridiana clarioribus,& dilucidioribus documentis probaueris:quod tamen per rerum naturam nec tu, nec quiſq̃ mortalium præſtabit. Fui quidem ego dubio diu conſilio, diluendæ hæ mihi calumniæ,an ſilentio potius prætereundæ eſſent. Mouebãt me vt tacerem,cum Mirandulano illo diuino genio, duo præcipuè. Primũ,quod ego & contentionis,& iurgiorum abhorrens, animi pacem,& quã mihi mea præſtiterunt ſtudia, placidiſſimæ vitæ tranquillitatẽ amaui ſemper, nec odi vllum magis ſcribendi munus,quàm quod in diſceptatione,& amarulenta quoquo modo altercatione ſit conſtitutũ: quippe qui non minus referre, quàm inferre iniuriã, vel contumeliam,nec boni viri duxerim eſſe vnq̃, nec Philoſophi, longè minus

Theo-

Theologi. Alterũ hoc ipſum erat, quod mihi ſatis ſit, meũ nomen, genus, ſplendorem, ſtudia, totiusq́; vitæ anteactæ rationes, Pont. Max. Imperatoribus, Regibus, Principib⁹, omnibus deniq; omniũ magnarum artiũ laude cumulatis probari: tibi verò tuiq́; ſimilibus improbari. Atq; ideo videbar facilè & odium poſſe negligere, & conuitia hominum improborum. Et profectò quod attinet ad cæte ra, in hac eram ſententia, vt indignum te exiſtimarem Naſe, cui aliquando reſponderem. Sed in vno mihi obiecto hæreſeos crimine hoc ſi facerem, verebar ne quod non diluerẽ, viderer crimẽ agnoſcere. Scribit autem, & ſapientiſſimè, Ruffinus, eſſe quidẽ glorioſum Chriſti exemplo patienter iniurias tolerare, at vnam notam hæreſeos, qui ferat, vel diſſimulet, non eſſe Chriſtianum. Et Hieronymus noſter, quanta maxima poteſt animi contentione, clariſſima exclamat voce, Nolo in ſuſpicione hæreſeos quenq́; eſſe patientem. Tacere ergo me noluit Hieronymus, & inuitum, multisq́; curis occupatum, & in varias partes deliberando, atq; exulando diſtractum, pro ſua qua poteſt autoritate, adſcribendas Annotationes in Biblia vniuerſa, Cenſuram catholicam, Effigiem veteris Eccleſiæ, Inſtitutiones Philoſophicas, & id genus alia, quibus à maximo quod mihi à te iniuria obÿcitur, impietatis crimine me excuſarem, traxit & impulit. Itaq; ſi noſtras illas lucubrationes euolueris, non dubito, quin vltrò concedas, te impiè & ſceleratè in nomen meum & religionẽ inuaſiſſe. Quæ maledicta eo facilius feram, quod ÿſdem in Chriſtũ, & Paulum vſi ſunt ÿ, quorum tu vitã imitaris, neq; tamen exitum perhorreſcis. Sed quoniam bonis artibus æquè, ac virtutibus cares, nihil eſt cur pluribus tecum agam.

Mihi quidem ratio habenda eſt, non quid Naſus merito debeat audire: ſed vt ea dicam, ſi qua ego honeſte effari poſſum. Dixi.

PAVLI PRINCIPIS DE LA SCALA ET HVN, MARCHIONIS VERONAE,&c. DOMINI CREVTZBVRGI PRVSSIAE. ORATIO DE INSTAVRANDA ROMANAE & Catholicæ Eccleſiæ doctrina in Pruſsia.

REVERENDISSIMO AC ILLVSTRISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO DOMINO STANISLAO HOSIO, SANCTAE ROMANAE eccleſiæ Tit. S. Theodori Cardinali, & Epiſcopo Varmienſi, &c. Paulus princeps de la Scala & Hun. &c.

S. P. D.

QVintus tandem agitur annus Reuerendiſsime ac Illuſtriſsime Præſul, quod à Duce Pruſsiæ, optimæ & feliciſsimæ memoriæ, domino & propinquo meo, Colendiſsimo, in negotijs Eccleſiæ & Reip. publica Regis Polonorum, domini noſtri Clementiſsimi, ſecuritate munitus, legationẽ, ad varios Europæ principes, ſuſceperim, & interea ne obulum quidẽ à quoquã mortalium, aut quicquam beneficij acceperim, quin potius omnes, & ſpes priuatas meas, pro Eccleſia Romana & Repub. Pruſsiæ, & quodammodo cum fortunis etiam fidem & valetudinem in nihilum redegerim, ſperans fore vt præmia virtutibus propoſita reportarem. quod quàm contrà euenerit, non puto te latere, ſiquidem id vniuerſa Europa & nouit, & admiratur. Et ſanè ſatis mirari nequeo, quod tam iuſta cauſa, ipſimet iudici legitimo, totque clariſsimis Iudicijs & Iuriſconſultis, qui in Germania, Italia, Gallia &c. habentur longè clariores, probata, tantum deliberationis, atq; difficultatis patiatur. vt tot non tantum meis precibus, quàm optimi atque Reuerendiſsimi, & Illuſtriſsimi principis, & Domini, Domini Ioannis Comitis de Hoya, Dei gratia Epiſcopi & principis, Monaſterienſis, Oſnaburgenſis & Paderbornenſis dioceſium, ſuſpiciendiſsimi, Catholici, pij, & acerrimi Apoſtolicæ, & S. Romanæ Sedis, & Eccleſiæ defenſoris, inſtaura-

toris, & propagatoris, de Eccleſia pariter ac Imperio optimè meriti, atque humaniſsimi doctiſsimi, & ſapientiſsimi præſulis interceſsionibus, per tot annos impetrare non valeam à rege Chriſtiano, ſenatu & ordinibus ſanctiſsimis, quod etiam piratis, prædonibus, depeculatoribus ſacrilegis, & id genus nefarijs hominibus, iam iam ſupplicio, afficiendis, vel apud Ethnicos, & Barbaros negari non poteſt. Neque enim aliud tantopere imploro, quam vt mihi liceat, vi nulla interpellante coram regia Maieſtate innocentiam meam tueri : ea videlicet conditione, vt ſi vel minima res in me reperiatur cur nomine Regis, Senatus, & Ordinum, à delegatis illis, homo Catholicus, abſens, legatus, non accuſatus, inauditus, indefenſus, incognita, quin & nulla de cauſſa in Pruſsia, ad inſtantiam hæreticorum, & aduerſariorum meorum proſcriptus ſim, non recuſem libidini illorum vitam meam dedere, vt illi viciſsim eaſdem pœnas luant. Vtinam verò optimus Rex ſenatus & ordines clariſsimi intelligerent: quod iam dudum ſumma voluptate, ſummoque gaudio, & iucunditate intellexiſſent, ſi me defungi legatione, homines conſcelerati & nefarij permiſiſſent, & ſecuritates publicæ Regis & Ducis, à quibuſdam perturbatoribus & perſecutoribus iuſtitiæ & æquitatis, violatæ non fuiſſent, & mihi redire, atque legationem meam referre licuiſſet: qua de cauſa & quónam ablegatus fuerim, tãtum abeſt, vt me diutius in iſta proſcriptione permitterent, vt etiam vltrò mihi, veluti Catholici & Cordati viri, in amplexus occurrerent, atq; iſtud genus inauditi furoris contunderent, homineſque geſtientes effrenata temeritate, flagrantes inuſitatis cupiditatibus, furentes incredibili ſuperbia, ſpe nouandarum rerum mirabiliter inflammatos (quod & Cæſ. Maieſtat. Domino noſtro Clementiſsimo his ipſis verbis perſcripſi.) coercerent: quorum artibus perfectum eſt, vt meo exilio Reſpub. & religio in Pruſsia exularet, cuius rei inter alia vel Pont. Max. teſtis ampliſsimus eſſe poteſt. Et tamen ego Catholicus, à Catholicis in gratiam hæreticorum, abſens & indemnatus proſcriptus ſum, & ab omni defenſione excluſus bonaque mea & prædia hæreticis tradita? Id toties & Regiæ Maieſt. & tibi & ſenatui, & ordinibus clariſsimis, videlicet trigeſima iam imploratione quæſtus ſum, reſponſi autem nihil vnquam recepi: opinor propterea, quod inimicorum meorum priuata amicitia, parum cognita

gnita,ſumma vbique ope nitatur,ambiat, fatiget ſingulos & tranſuerſos agat, quo non tam,quod iuſtum eſt, non ſtatuatur, quàm vt etiam ſcripta mea intercipiantur,& ſupprimantur.Neque verò ſplendori inuictiſsimi regni Poloniæ,quicquam magis officit,quàm quòd hodie,præter veterem morem, tot in Pruſsia iniurias inultas permittat, & tot iuſtitiæ & æquitatis ſupplantatores ibi ſilentio patiatur, qui quod omnibus populis inauditum & incredibile eſt,ab abluendis criminibus inſontes repellant,& catholicj apparentes, hæreticis, contra Catholicos,opem ferant,indemnatumque condemnent,ſpolient,proſcribant, & recta monentes contemnant, & exterminent, atque legibus diſsipatis ac deletis,quæ fundamenta ſunt totius Reipub.& ſalutis ſingulorum, nullum reliquum ſit perfugium imbecillis,vbi iam impius ad id furoris & amentiæ perductus eſt,vt quicquid libido imperat,quicquid ſuadet inſatiabilis intemperantia rectum id ducat & amplectendum:neq; iam vllum delectum habet honeſtatis & turpitudinis, neque aliquid bonum aut laudabile exiſtimat,niſi quod emolumentum afferat,aut ſenſus voluptate titillet.Neque verò homines perditiſsimi ſolum impunè debacchantur.ſed etiam propter opum copiam,& affluentiam homines auaros,& omnia in pecunia ponentes,ſuorum maleficiorum laudatores inueniunt, quorum adulatione, ad flagitia & contemptionem Dei magis incitentur,vbi nunc eſt Sarmatia,quæ à morum cenſore Iuuenale,integritatis nomine præfertur cultiſsimis etiam Athenienſibus?vbi laus eius ab Eraſmo annotata? licet,inquit, ipſa olim ob barbariem malè audierit, nunc tamen & literis, & legibus, & moribus, & religione, & ſi quid aliud eſt : quod à barbariei probro vindicet ſic floreat, vt cùm præcipuis ac laudatiſsimis nationibus certare poſsit. Quid erat quod Regnum Hungariæ, vt prætercam tot Orientales regiones, ipſumque Orientale Imperium, miſerrimè euertit, quàm perſecutio iuſtitiæ & æquitatis, qua Deo Opt. Max. nihil ſanctius & antiquius eſſe poteſt? Nónne illud idem exitium & Poloniam, & vniuerſum Occidentis regnum manet, niſi cultus iuſtitiæ, & æquitatis, qua Catholica religio incolumis atque illibata maximè conſeruatur, inſtauretur ? Quid dicam de religione Catholica ? Mirari certè deſino, quod illa ruinam minetur: cum ipſimet Catholici, aduerſus Catholicos, hæreticis patrocinentur.

Quotus quiſque eſt,qui vita interpoſita pro Romana Eccleſia, auſit cum hæreticis in arenam deſcendere? Ego id palam publicis ſcriptis profiteor,& nihiloſecius à Catholicis apud vos abiectus ſum: nec quenquam deprehendo,qui animi mei promptitudine afficiatur: neminem qui iuſtitiam in animo habeat,neminem cui religio cordi ſit: omnes boni in mea iniuria deſpecti ſunt, & quàm quiſque peſsimè facit,tam maximè tutus eſt: vt nemini dubium eſſe poſsit,quin proceres Eccleſiæ illi ipſi cauſa ſint ſuæ ruinæ ipſiſsima, qui nec ipſi officium faciunt ſuum,nec alijs pro ſe facientibus patrocinantur, vt ſicut res paruæ concordia creuerunt, ita maximæ diſcordia dilabantur. Video quidem quoſdam adniti,vt Eccleſia Romana paſsim & vbiq; inſtauretur,ſed paucos id verbo,omnes ferè mucrone tẽtare animaduerto. Porrò quis vnquam fuit,prædo tam nefarius, quis pirata tam barbarus,vt cùm integram prædam ſine ſanguine habere poſsit, cruenta ſpolia detrahere mallet?Impium eſt id tentare cruore hominũ, quod ſolo verbo perfici poteſt,Minori etiam labore, ſumptibus minoribus,& maiori fructu,Eccleſia verbo inſtaurabitur, quàm ferro, & ſatius eſt,vt pauci de vita periclitentur,quàm tot hominum millia. Conquirendi potius eſſent viri Catholici,cordati,ſacrarumq́ue literarum periti,qui auſint vitam interponere pro Eccleſia Romana, & cum aduerſarijs congredi. Tantum autem abeſt, vt in eam curam animum plerique intendant,quo exemplo veterum, viri docti,qui hæreſibus reſiſtere valeant colligantur,vt etiam illos, qui vltro ſeſe ad eam palęſtram offerunt, non modo reſpuant, verumetiam impediant,& cum hæreticis colludant,obq́ue ius dicendum pecuniam accipiant. Itaque ſi quid precibus ardenti pietate incenſis apud Deum immortalem ampliſsime præſul,vobiſcum aliquando valuiſſemus,& cura diligenti in commodum Eccleſię & incrementum inuigilaſſemus, Eccleſiæq́ue emolumentum priuatæ vtilitati antepoſuiſſemus,iam dudum & potiremur Repub. Eccleſiæ Romanæ & Catholicæ florentiſsima,& paſtores atque principes noſtros haberemus, tum ſtudioſos religionis Chriſtianæ,& rerum gerendarum,tum patriæ ſimul,ac virtutis amantiſsimos: idq́ue temporis eximia lætitia frueremur,cum rationes omnes dicendi noſtras, in laudem ſummorum atque optimorum paſtorum & principum conſumendas eſſe videremus. Nihil enim ſtatuimus animo dignius nec autoritate maiorum nec opinione po-

ne populari,quàm in eo genere verſari,ſiue Eccleſiaſticę,ſiue forenſis exercitationis,quę canere laudes egregias ſummorum hominũ poſſet atq; animos inflãmare populi,ad imitandum. Verum ea dicendi voluptas olim ſanctiſsimo & ſapiẽtiſsimo Apoſtolo Paulo,planè cõtigerat, nec non cordatiſsimo doctori Chryſoſtomo,Ambroſio,Auguſtino, Hieronymo, Bernardo patribus ſuſpiciendiſsimis,ſummis atque ornatiſsimis oratoribus: quorum tempora ſingulari præſtantia virtutis & pietatis, ac ſtudio penè incredibili ſacrarum literarum & pulcherrimarum artium floruerunt. Nobiſcum verò ſententia noſtra bene ageretur,ſi modò tantum abeſſemus ab illa modeſtia temporum, atque hominum,nec incidiſsemus in atrociſsimos Reipub. Chriſtianæ fluctus,ac miſerandam temporum calamitatem. Paulo ſiquidem Apoſtolo & Petro principi apoſtolorum,monumentis immortalib. vrbis Romæ,& ſine dubio clariſsimis luminibus Eccleſiæ & temporum ſuorum,de legibus,dicendum erat,de Euangelio, de inſtitutis Chriſti,patriarcharum & prophetarum, de gloria Chriſtianæ fidei, de laudibus & victorijs Crucis. Nobis verò qui deuenimus in hanc truculentam temporum conditionem,ſublata eſt omnis gratia dicendi,atque interceptus locus omnis,aut iucundiſsimi ſermonis,aut cõciliandæ beneuolentiæ popularis. Nam ſi quando vox noſtra,ſiue à Cathedra,ſiue à foro,ſiue à curia deſideratur,dicendum eſt perpetuò nobis,aut de teterrimis Eccleſiæ & patriæ calamitatibus,aut de nefarijs oppreſsionibus imbecillium,aut de perditæ iuuentutis nunc impudicitia flagitioſa,nunc ignauia ſingulari. Quare peſtium quanta indies redundatio eſt,tu es teſtimonio optime antiſtes, cuius aures calluerunt aſsiduitate pene quotidiana,copiaque incredibili Eccleſiaſticarum atque ciuilium controuerſiarum. Diximus equidem paucis antè diebus,vt probè meminiſſe potes,de factionis Truchſicæ immanitate atque audacia furioſiſsima,& ſine dubio crudeliſsima, cuius artes propemodum vniuerſæ Europæ innotuerunt,quibus Rempub. Pruſsiæ, homines omnium quos terra ſuſtinet, ſceleratiſsimi, cruentis manibus,immani auaritia,nocentiſsimi & idem ſuperbiſsimi occupauere,apud quos fides,decus,pietas,poſtremo honeſta,atq; inhoneſta omnia quæſtui ſunt. Nunc verò dicendum eſt de calamitate,miſerijs, angoribus & ærumnis Eccleſiæ,in qua hodie nulla eſt Charitas,nulla fides,nulla fœdera,nulla legum, nulla præpoſitorũ

reuerentia,nullus dogmatum conſenſus,ſed velut in diſſono choro, ſuam quiſq; canit cantionem. Inter cœleſtes orbes nullum eſt diſsidium, elementa ſuum quæq; locum ſeruant, ſuis quæq; funguntur muneribus:& ſponſa Chriſti,in cuius gratiam condita ſunt vniuerſa, perpetuis diſsidijs peſſum ibit?& impij ſpiritus, diſcordiarum autores in Regno Chriſti tyrannidem exercebunt impunè? & fortis ille, quem ſemel expugnatum Chriſtus deturbauit,rurſus occupabit ſua caſtra? Illius ſceleratiſsimam mentem ac inuſitatam nequitiam, qua lucem omnis Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ dignitatis,iam pridem extinguere moliebatur, in omnium Chriſtianorum perniciem ſtragemq́; redundaturam,Deus immortalis in autorem ſceleris, tum benignitate ſua,tum pontificia Imperiali & regia,vigilia ſemper retorſit,cuius ſemina, occultis tractibus à priſcis illis hæreticis repetita, quantas ſeros etiam in nepotes radices egerint,nèmo non videt,barbaras planè crudelitate, periculo vero & calamitate Reipub.Chriſtianæ pernicioſiſsimas.Horum princeps VVitteberga, non ignobili loco ingenioq́; nata,neque infima virtute prædita, ſi dotes egregias tum animi,tum corporis ad dignitatem Eccleſiæ Romanæ,quam Petrus & Paulus Apoſtoli, indefeſſo labore,cura & diligentia collegerunt & crexerunt,non ad perniciem conferre ſtatuiſſet,Remp.Chriſtianam,vix ex atrociſsimis bellorum ciuilium vulneribus, pauliſper reſpirantem,nouis inſidijs opprimere conata eſt? Quid exhorruerant præſules? non modò opprimere conata eſt,ſed crudeliſsimè vexare : non vexare tantùm,ſed inaudito quodam genere feritatis extinguere. Manum ad id comparauit, diuerſam quidem genere hæreſeos, ſed magnitudine ſceleris, vitæque ſimilitudine penè eandem: quàm ambitioſam & exacerbatam deſiderio prædæ Eccleſiaſticæ mirabiliter flagrantem,illecebræ ſibi facillimè conciliauerunt, Conſilia nefarij facinoris in ampliſsimi Ducis Saxoniæ aula decoquebantur : ad eam greges confluebant perditorum hominum, quorum VVitteberga familiaritatem eximiam conſecuta fuerat, conciliatam partim aſſuetudine petulantiæ,partim genere quodam nefariæ largitionis,quam hauriebat ex libertate carnis permiſſa,& ſpolijs Eccleſiaſticis confirmata. Adhibiti ſunt & cœtus apoſtatarum & infamium hominum,nobilitati non ſolum magnitudine,& ſumma æris alieni, verùm etiam conſuetudine ac ſtudio turpiſsimarum rerum.

Nulla

Nulla denique portenta imperij, nullæ finitimarum regionum peſtes repertæ ſunt, quæ non denotatæ ſolertiſsimè per VVittebergam, p[illegible]agnitudinem ambitionis facilimè concitatæ, repentè deuolau[illegible]t in aream ipſam nefariæ, atque flagitioſæ coniurationis. Ratio conſiliorum fuit, vt VVitteberga licentia libidinum, omnes occupare, & ad diripienda Eccleſiæ bona & prouincias, inflammandamque Romam partim ad trucidandum Eccleſiaſticum Senatum, partim ad eos conficiendos, qui præſidium Pontifici ferre voluiſſent, permouerent: VVittebergam interim omnes Romam & Lutherum Pontificem appellarent. Porrò tria ſunt, ſententia mea ſcelerata, crudelia, flagitioſa, inaudita, quæ mentem VVitebergenſium ſemper immoderatam, ſemperque nouis rebus ſtudentem, ad exitium Eccleſiæ commouerunt. Primùm ratio quædam triſtis ſimultatis, qua duce vniuerſum Eccleſiæ ſenatum capitaliter fuit ſemper inſectata. Secundo, rabies quædam temerariæ ambitionis, ſitiens immodicæ gloriæ, prorſusque inflammata perpetua quadam, & ſingulari Philonicia & Philautia. Poſtremò, cætus infames turpiſsimorum hominum, non modò fatigati diuturno malo domeſticæ neceſsitatis, verumetiam imbuti flagitijs, ac conſuetudine ſcelerum, ſempiterna comite & genitrice peſsimarum cupiditatum. Quod genus hominum VVittebergam ſuam, etiam dormientem, è ſomno facilimè excitare valuiſſet. Itaque VVitteberga nullam omiſit neque perturbandæ curiæ, neque inſectandi Pontificij ſenatus, occaſionem. Videbat namque deteſtandam cupiditatem ſuam, illo ſuperſtite nunquam in eum locum peruenturam, de quo illam pridem vniuerſæ omnium patrum voces eijciendam eſſe putauiſſent. Qualis eorum vita fuerit, quos ipſa aluit, & alit adhuc, etſi præclarè conſcientia publica teneatur: huic tamen illuſtrandæ ſeu patifaciendæ teſtes indubitati videri poſſunt ij, qui ſacrarium illud libidinum colere atque obſeruare conſueueruut. Quæ nugæ Deus immortalis? quæ portenta ſcelerum? qui libidinum gurgites? quæ ſentinæ flagitiorum? Neque enim eſt quicquam iſto monſtro verſipellius, aut mutabilius: ita vt res diuerſiſsimæ ſæpè videantur in eodem ingenio, tanquam in ſentina quadam teterrima, ſimul redundare. Quòd inter alia vel ex conſilio illo patet, quod nuper nomine Kuſitten pro

me

me dederat,ſigillo ſuæ facultatis Iuridicę,cuius imago Iuonis eſt,obſignato:quod tandem palam negare illam non puduit. Quis igitur dubitandum eſſe putauerit,hominem præditum huiuſce inſtitutione vitæ,remotiſsimum ab omni genere humanitatis, perfacilè ſeſe teterrimo cuique atq; immaniſsimo facinori fuiſſe & fore accommodaturum? Cum enim repeteret ſecum memoria, miſerandam ignominiam comitiorum, turpesque anguſtias conſiliorum,ſimulq; intuerentur vel ſibi viuendum, ac moriendum fore cum turpitudine ſumma,vel ſenatum Eccleſiæ Romanæ nullum eſſe oportere: de ratione tollendi ipſum primum cogitare cœpit: Nam illo deleto, ſine dubio intelligebat,viam latiſsimam libidinibus ſuis continuò patere.Vertit itaque oculos ad innumerabilem copiam hominum ſeditioſorum & omnibus turpitudinis notis abundantem, qua dies noctesque ſtipabatur in exercenda conſuetudine ſuarum cupiditatum. Computauit ingenia ipſa hominum,tanquam haſtam validiſsimam furoris ſui,facillimè ſibi accommodari poſſe,quàm contorqueret in vniuerſæ Romanæ Eccleſiæ ruinam atque interemptionem: vt quæ cognouerat,educata vitæ prauiſsimæ inſtitutis,imbuta ſæpenumero ſanguine miſerorum,ardentem incredibili deſiderio prædæ, ſibi verò mira familiaritate conciliatam.Genus eſt hominum vehementer exercitatum politiori diſciplina, & linguarum cognitione, duabus rebus ad omne genus facinorum paratiſsimum? quod quidem ego Eccleſiæ Romanæ maximè debilitatæ bellis ciuilibus, atque afflictæ magnitudine calamitatum magnopere pertimeſcendũ eſſe iudicaui. Nihil enim ſeditioſis hominibus præter ſpem atq; animam fortuna reſeruauit: alteram ad differendam vitæ neceſsitatem, alteram ad liuorem ſuum magnificè accommodatam:Nihil illis contemptibilius. quos ſiquidem rudimenta vitæ traducta, in hac tenuiſsima re depoſita,nunc in gladiatorijs muneribus,nunc alia facinoris atrocitate, partim ad omne ſcelus, partim ad omnem patientiam erudierunt. Verum hę peſtes ſententia mea,quo fuerint abiectiores,eo magis extimeſcendas eſſe reor,tanquam perpetuò ſeditionum ciuilium,ac rerum nouandarum auidiſsimas:ſiue quia voluptatem capiant ex mœrore ſociæ calamitatis:ſiue quia ciuitatum verſutiam, mutabilitatem rerum ſuarum portendi quodammodo arbitrantur. Si feras quidem omnis generis, quo magis attenuatæ fuerint penuria edendi,eò magis

gis

gis præcipites, atque effrenatas ruere in perniciem videmus: quid hanc deſperatorum colluuiem ieiunam, ſitientem facultatum Eccleſiæ, quo impetu, quaue ſtrage ruituram eſſe, aut debacchaturam credis, ſi furori & tyrannidi illorum aut conniueatur, aut conſentiatur? Deus immortalis, quæ clades ab illa feritate hominum, quæ genera flagitiorum emanabunt (nihil dicã de his quæ emanauerunt) ſi quaſi quaſdam rapidiſsimas belluas in Eccleſiam Romanam eam irruere paſsi fueritis? Horret animus ea cogitatione complecti, quæ miſeri perferre cogentur, ſi ſopor oculos Eccleſiæ Romanæ detinuerit. Reſtinguenda eſt itaque vobis flamma ſcelerata, & atrox, dum adhuc velata cineribus, ac ſopita, facultas reſtinguendi leuiſsime data eſt: ne cum omnia comprehenderit (quod Deus immortalis penitus auertat) fruſtra poſtmodum furibundam, atque exultantem reſtinguere cupiatis. Neque rectorem nauis audiendum prorſus exiſtimo, in ipſo mœrore calamitoſæ tempeſtatis, quam illi fugere facillime licuiſſet, conſurgentem primò ſibique ac rebus ſuis naufragium minitantem. Neque item gubernatores vrbis in ipſo excidio, & calamitate ciuitatis, quam impendentem prius ipſe conſilio ſuo, ſuaque prudentia, ſuſtinere quodammodo, ac propulſare potuiſſet. Seræ ſunt hominum lamentationes, prorſuſque vituperandæ, quas occupatas in his lugendis cernimus, quæ vitio ſuo, deſidiaque contigerunt. Et vos iſtic ſpõte ſuperbiam & tyrannidem hæreticorum tolerare decreuiſtis, atque hominem Catholicum in illorum gratiam proſcriptum ſilentio præterire, illiſque bona Catholici permittere diripienda atque occupanda? Ne Ethnici quidem ſatis dignum ſupplicij genus, in eos conſumi poſſe opinabantur, qui patriæ ſuæ libertatem opprimere ſtatuiſſent: & vos patiemini impunè in Catholicos inſultare, boniſq; Catholicis ſuam rabiem ornare eos, quos abieciſſe rationem Eccleſiæ Romanæ Charitatis intuemini? cùm contra Catholicæ Religionis defenſores, maiores noſtri ſtatuebant afficiendos eſſe immortalibus donis, ac ſempiternæ hominum memoriæ conſecrandos. Quid enim poteſt indignius dici, quàm vitam à patria ſuſceptam, ab Eccleſia inſtitutam, auctam & ornatam, ad patriæ & Eccleſiæ perniciem calamitatemque conferre? Quid fingi ſceleratius, quam eorum pœnas ac crudeliſsimam ſeruitutem excogitare, quos iiſdem mœnibus, ac tectis conſtitutos, eædem leges, atque eadem viuendi ratio continuiſ-

 ſet?

ſet? Quid deniq; poteſt intolerabilius exiſtimari, quã inferre Eccleſiæ Catholicæ, ac facultatib. noſtris, illinc ſceleratas faces, hinc acerbiſsimas expilationes? Hęc qui curãt, quíue tentãt, nunquã ego alienos ab hoſtibus, aut diſsimiles feritati beſtiarũ exiſtimabo. Et talium vos patrociniũ ſuſcepiſtis, hos charos & acceptos habetis, qui vobis & Eccleſiæ Rom. Coniurationis laqueos tetenderunt, & catenas ſcelerũ cõflauerũt? Agite proinde Dei immortalis benignitate, deinde vigilãtia Eccleſiæ Catholicæ, nefariæ ſicæ de manib. hæreticorũ & latronũ excidãt. Nullas amplius tẽdiculas pertimeſcatis ab execrabilib. illis mõſtris, nullas inſidias ab hoſtib. teterrimis. Tenetur fera, nec, ſi viri Catothlici eſtis, declinatura eſt telum ipſum ſacroſanctæ Põtificiæ & veſtræ autoritatis. Neue hæretici & ſeditioſi homines neſciant, vigilantiſsimũ Senatũ Eccleſiæ, habere Remp. illos quocunq; venerint, quocunq; abierint, diligentia ſua circũſeptos teneri. nullæ latebræ illorũ ſunt, quas in prõptu & percognitas non habeat, vt nullis inuolucris tenebrarũ obrui queãt. Quæ cùm omnia conſtẽt, animaduertendum eſt pariter vno maleficij genere quoſdam in gratiã hęreticorũ, Regio, Senatus, & ordinum nomine, non modò Deum, Eccleſiã, ac patriam, verumetiam mores, leges, conſuetudinem regni, atque inſtituta maiorum violaſſe. Primum publicam ſecuritatem, & legationem omnium populorum legibus liberam eſſe debere cognoſcimus: deinde indemnatum non poſſe damnari, nec quenquam damnandum eſſe, quem lex non prius iudicarit, & falſi criminis delatores pœnam talionis ſubire, ſtatuitur. Neq; enim Euangelica doctrina admittit vt lex hominem iudicet, priuſquam interrogauerit ab illo, & cognouerit quid fecerit: neque eſt conſuetudo damnare aliquem, priuſquam is qui accuſatur præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat, ad abluenda crimina, quæ ei obijciuntur. Sed Moſes nihil temere iudicandum neq; credendum cenſet, nondum audita altera parte, & l. xij. Tabularum expreſſum eſt ſimiliter ambos audiendos eſſe. Martianus ſtatuit ne inaudita cauſſa quiſquã damnetur. C. Caligula ambas aures delatori claudebat. Alexander alteram aurem delatori ſeruabat. Adrianus reſcripſit Aufidio Seuero, de ſuſpicionibus nõ debere aliquem damnari: non enim debet quis ſuſpectus fieri, ſed depręhendi: Conſtantinus imperator ait, quod Iudex criminoſum diſcutiens, non antè ſententiam proferat, quàm ipſe confiteatur, aut per

inno-

innocentes teſtes conuincatur. B. Eleutherius papa dicit. Nihil contra quemlibet accuſatum abſq; idoneo & legitimo accuſatore fiat. Deus ipſe cuius ſententia falli non poteſt, priuſquam iudicaret protoplaſtum, locutus eſt illi, & confeſsionem criminis extorſit. idem iudicaturus ciuitates Sodomorum, ait, deſcendam & videbo, num ea vera ſint, quæ ad aures meas peruenerunt. Exemplo vtiq; eſſe omnibus voluit, ne incognita cauſſa, & inaudita parte, quiſquam damnetur. Atq; hæc eſt præcipua via & ratio qua Eccleſia inſtaurari debeat. Quam ſi delegati veſtri cùm diem ſuũ perbaccharentur, obſeruaſſent, nunquã in tam enorme ſcelus ſe præcipitaſſent, nunquam Eccleſiam Romanam tanta temeritate circumueniſſent, & tanta audacia circumſediſſent, tantoq́; emolumento ſpoliaſſent. Quinetiam iamdudum animo æquiſsimo ſuſcepiſſent Illuſtriſsimi & Reuerendiſsimi Præſulis Domini Ioannis Comitis de Hoya, & principis Monaſterienſis, Oſnaburgẽſis, & Paderbornẽſis diœceſium, Epiſcopi catholiciſsimi, interceſsiones, & quod toties obtuli, ſi videlicet aut cauſſa criminis aut facti ſuſpicio, aut qualibet deniq;, vel minima res in me reperietur, cur ad tantam tyrannidem obeundam monſtra illa inflammata fuerint, non recuſem illorum libidini vitam meam dedere: ſi minus, vt quod tot ſceleribus contaminare, veſaniaq́; ſua perſtringere non ſunt veriti, ſarciant ſupplicij ſui memorabili animaduerſione. Verum tantum abeſt vt & legibus & optimi illius principis interceſsionibus, & vitæ meæ interpoſitione quicquam profecerim, vt etiam exulceratiores animos reddiderim. Et vos ſilentio patimini leges veſtras violari, & Senatus tam politici, quàm Eccleſiaſtici autoritati derogari: eamq́; negligi & conculcari? Aequum vtiq; eſt, inſtituta maiorum, atque edicta grauiſsimi ſanctiſsimiq; ordinis, quia perſtrinxerint veſania ſua homines veſani, ea reſtituant ac eluant ſupplicio capitis ſui. Dathan & Abyron reſtiterunt Moſi, & terra viuos abſorbuit. Multi cum Chore conſpirauerunt aduerſus Aaron, & igne conſumpti ſunt. Achab & Ieſabel perſecuti ſunt Prophetas, & canes comederunt eos. Egreſsi ſunt pueri vt illuderent Heliſæo, & vrſi dilaniarunt illos, Ozias rex cõtra ſacerdotes, ſacerdotium arrogare auſus, leproſus factus eſt. Saul quia præter Samuelẽ ſacerdotum principẽ ſacrificare præſumpſit, regia vnctione ſimul & prophetico ſpiritu priuatus, à Deo datus eſt ſpiritui malo. Et vos hæreticos & homines ſeditioſos, tam temerario auſu

tendentes contra mandatum regium, patrium, contraque vniuerſæ Eccleſiæ Romanæ & Catholicæ maieſtatem perferetis? Maiores olim noſtri ſapientiſsimi homines,& ſine dubio grauiſsimi,num leges códiderunt, num Moſes eas iuſſu ſummi Dei edidit, num Chriſtus Filius Dei,ſaluator noſter illas ſua morte adimpleuit, Eccleſiæque ſuæ, ſanctæ,puræ & inuiolatæ magnitudinem perpetuò ſtabiliuit,vt homines leuiſsimi,ſeueritate illorum aut lenitate abuterentur? Olim etiá apud Ethnicos ſummis quibusque imperatoribus non parcebatur, quin expiarent ſupplicio ſuo leges violatæ religionis: ſed quoq; conſulari familia,ſummoque ingenio viri,propter exiguam notam libidinoſæ ſuſpicionis,remouebantur è ſenatu,multosque dies in vinculis detinebantur.Exemplo eſt apud Athenienſes ſummus & ſingularis imperatór Alcibiades,& L.Sulpitius conſulari familia, ſummoq; ingenio vir. Vos verò,homines viliſsimos,ſeditioſiſsimos, & hæreticiſsimos,non modò leges veſtras,atque autoritatem Senatus,& Eccleſiæ Romanæ crudeliter labefactantes,verum etiam vniuerſam Eccleſiam turbantes,& ad perniciem,ferro flammaque deuocantes,impunè ſuſtinebitis? Quid dico ſuſtinebitis? modò non ſint quidam, qui illis patrocinentur.Patrocinando autem hæreticis,quomodo inſtaurabitur Eccleſiæ Romanæ doctrina? Vtinam frigidi vel calidi eſſent,qui hæc moliuntur: ſed quia tepidi ſunt, haud dubie delebuntur nomina illorum ex libro viuentium. Aduerſus hæreticos arma ſumuntur & cum hæreticis interea conuiuia celebrantur, Hæretici aduerſus Catholicos defenduntur, Catholici in gratiam hæreticorum propulſantur,proſcribuntur, hæreticorum bona quæ fiſco eſſent adiudicanda,ſimul & Catholicorum fortunas deuorant,Catholicorumque bona & prædia occupant. Hæc omnia videntur,intelliguntur,immò manibus(quod aiunt)contrectantur, & ſilentio tolerantur & tamen ad inſtaurandam Romanæ Eccleſiæ doctrinam putatis,vos omnem diligentiam & ſedulitatem conferre? Pellite prius veſtris ędibus,veſtris cubiculis,veſtra menſa,veſtro patrocinio hæreticos,&tum demum ad eos animum cóuertite qui extrorſum ſunt. Nec dum cernitis quibus cupiditatibus,& illis quidem inuſitatis,portenta illa flagrent? quàm effrenata temeritate geſtiant,quàm incredibili ſuperbia furant,ſpeque nouandarum rerum mirabiliter inflammentur? Quinetiam rem ipſam publicam non modò euentu crudeliſsimæ

liſsimæ calamitatis, verumetiam metu ac ſuſpicione detinent, Cupiditates equidem plurimas in iſtis monſtris calamitoſas, ac nefarias nemo eſt, qui non videat: libidinem vnam pernicioſiſsimam in primis conſpicere licet, temerariç cuiuſdam atq; inconſideratæ ambitionis: qua duce properant, nec vllo ſtudio conſciſcendarũ opum, nec vllo deſiderio dignitatũ abſtinere reputãtur. Putant enim ſe fruſtra natos, fruſtra cognitioné rerum & alias animi dotes atq; corporis conſecutos eſſe, ni omnia diuina, atq; humana, truculentiſsimo genere cupiditatis inquinarent: quosque cernunt excellere in imperio, aut præſtantia quadam dignitatis, beatiſsimos eos eſſe, & ſine dubio Dijs æquiparandos ſtatuunt. Id genus veſanæ cogitationis, homines ſuapte natura præcipites, atque inconſideratos compellit in abominandas, ac nefarias vitæ cupiditates: qui nihil non tentant, nullas non adeũt Senatorum voces, nullos prætereunt ordinum conſeſſus, quos partim pecunia, partim obſecrationibus non obeundos ſuppliciter ac contaminandos eſſe iudicent. Cum maiorum lege tamen ſancitum ſit, nulli ad dignitatem gradus, neq; inſanienti, neque anhelanti bono candidato, patere debere. Deinde coniungunt ſe temerarijs hominibus: nec modò coniungunt, verumetiam illos de ſucceſſu rerum ſuarum non mediocriter trepidantes, in audacia ſimul, ac ſententia confirmant, cùm ſe illis vigilantiſsimos ſocios, & ſatellites fideliſsimos regendæ gubernandæque cõiurationis fore pollicentur. Quod ſi votis ſceleratorum hominum ſucceſſus aſpirent, quanta ſtrage Catholicorum creditis, aut quanto diluuio facultatum Eccleſiaſticarũ, ruituram fore deteſtabilem horum, atque execrandam impietatem? Verum ij cœlites quorum auſpicijs princeps ac parens Romanæ Eccleſiæ Diuus Petrus, pulcherrimæ ſedis Romanæ fundamenta iecit, triſtiſsimam cladem, ac conatus perditos Simonis Magi omnium hæreticorum parentis & principis, ſua ſalutari doctrina intercepit: vt etiamſi hæretici propemodum infiniti exoriantur, præualere aduerſus Eccleſiam Dei nequeant, quinetiam illorum nefaria coniuratio, ac deteſtanda libido, in commodum Eccleſiæ cedat: quando oporteat eſſe hæreſes vt electi probentur. Idcirco hæreticos neque pœnitet ſuæ veſaniæ, nec requieſcendum eſſe arbitrantur: ſed rurſus alio furori accedunt. Non enim conſueuit animus eorum, perpetuis cupiditatum flagitijs exercitatus, prima deſtitutione fortunç refrigeſce-

re,ac conſternari: ſed vix ſepulta memoria vnius coniurationis, mox aliam ineunt,& immaniores ſæuiunt,& quam Rempub.ſeruitio non poſſunt obruere,deſtrangulandam pœnitus,ac tollendam cogitant: ſcelerati in omnem Eccleſiam,quam toties inſidijs appetiuerunt:ſceleratiſsimi verò in Deum,cuius extant in illos ſumma,& commemoranda monimēta beneficiorum.Reminiſcimini quæſo, reminiſcimini ferrum illud ſceleſtum,atque illas nefarias faces, quas ſanctiſsimæ congregationi Eccleſiaſticæ,atque iſti pulcherrimæ patriæ minitantur non ad oppugnandam Eccleſiam,neque ad eam concremandam illis datas eſſe,ſed potius ad ſalutem animarum,dignitatem ſedis Apoſtolicæ,libertatisq; Chriſtianæ defenſionem.Per Deum immortalem oro vos,ſi Eccleſia & patria ad illos his vocibus vteretur, quid eſſent illi quæſo reſponſuri? Ego vos paruulos,cum imprimis ornatiſsimo genere gentis Chriſtianæ naſci voluiſſem, deinde ſummis dotibus exornaſſem,tum corporis tum animi tum duabus rebus inſtituendos putaui, armis, & conſilijs,quibus eſſet parata vobis facultas tum amplificandi imperij mei, tum defendendæ Chriſtianæ libertatis, quid eam vim & armorum & ſcientiæ atq; eloquentiæ in viſcera mea torquetis?aut quid conuertitis in exitium ciuium meorū inſtitutam diligentia mea,meisq; rationibus eruditam dimicandi & diſſerendi facultatem?Maiores contra veſtri,ſummis à me beneficijs,atque honoribus aucti,pro magnitudine ſuſceptarum dignitatum pulcherrimas in Eccleſia & Repub.ſæpenumero leges,pro præſtantia beneficiorum clariſsimas ex hoſtib. victorias referre conſueuerunt: vos mihi luctus acerbiſsimos paratis,pro ſumma copia beneficiorum meorum,vos cædes ciuium,vos domorum incendia,vos vexationes virginum,vos vaſtitatem Eccleſiæ,vos genus atrociſsimæ ſeruitutis.O crudeliſsimum hominum genus,& ab omni penitus humanitate derelictum. Vos ſtudio flagratis illius corporis euertendi quod Chriſtus inſtaurauit ſua morte,ſuoq; ſanguine,quod nec Iudæorum aſtutiſsimi doli, nec Romanorum eximiæ vires,nec Græcorum erudita,& præclara ingenia labefactare,obſcurareque potuerunt?Quod ſi citentur hi populi rurſum diuinitus, atq; illorum vrbes redeant in ſtatum vetuſtiſsimæ dignitatis : certè non ipſo ſcelere veſtro quicquam in me crudelius, nec quicquam magis extimeſcendum molituras fuiſſe prædicabunt. Sed ad illos redeo. Temperarem ego memet mihi, curſumque iſtum violen-

violentę orationis forſitan reuocandum eſſe iudicarem, tum ab odio illorum, tum ab ipſa dicendi acerbitate, ſi quem in illis ſenſum patriæ & Eccleſiæ Catholicæ Charitatis aſpicerem, aut vllo illos pacto poſſe arbitrarer ſceleratam iſtam mentem relinquere. Sed id genus eſt cupiditatum ſuarum, vt reſtinguendarum forſan rationem aliquam conſequi poſsint, ſanandarum nullam. Nec illos prius amiſſuros peruerſitatem iſtam animi putem, quàm vitam amiſerint. Vtinam Dei immortalis munere mentem atq; animum iſtorum introſpiceretis: ne qua vobis fieret puniendi dubitatio, qui tantum ſcelerum ingenio conflauiſſent. Videretis enim mentes anhelãtes triſtiſsimum genus minarum, mentes debacchantes inaudita feritate, furentes incredibili veſania, ſitientes cruoris Eccleſiaſtici, prædæ auidiſsimas, vobis atq; omnibus ferro flammaq; minitãtes. Videretis illius nefarij facinoris faces abominandas, crudeles igniculos, quibus hæreticorum & ſeditioſorũ exarſiſſe ferocem animũ facilime credendum eſt, quorũ ingenia miros atq; occultiſsimos habẽt receſſus, nec qui cognoſci, ſeu perluſtrari facilimè poſsint. Nihil illis verſutius ad tollenda bonorum conſortia: nihil ſolertius ad illis inſidiandum: nihil illorum munificentia inſignius, nihil auidius rapacitate, nihil acutius conſilio, nihil temeritate contemptibilius, vt mirum non ſit, ſi etiam prudentiſsimi & doctiſsimi quiq;, in tantis viarum ambagibus errent. Me, me inquam, fateor, ſedula quadam familiaritate illis coniunctum perſæpe delirauiſſe, miris illorum perplexionibus: neq; vnquam certi quicquam in illis ingenijs comprehendere potuiſſe, ita prorſus verſutiſsimorum hominũ doli, atq; inconſtantiſsimi mores multos fefellerunt. Vnde vltrò apparent tum rationes periculi Eccleſiaſtici, tum immaniſsimi illius ſceleris atrocitas. Quando hæreticos, & Senatus Eccleſiæ Romanæ odio, ſemper arſiſſe conſtet: & rationes veteres vitæ illorum, ac nouas in exercitatione teterrimarum libidinum collocatas: & factam ſpẽ perficiendi ſceleris, hominibus proſequentiſsimis inimicitiarum: & denique locorum ac temporis opportunitates extitiſſe: præterea etiam rabiem quandam ambitionis in illis fuiſſe: atq; nullam poteſtatẽ refrænandarum libidinũ, aut vllum pœnitentiæ locũ: poſtremo quoq; copiam innumerabilẽ deſperatorum hominum cum illis coniunctam: & illos ſimul ſuoptè ingenio furentes incredibili audacia, ſummaq; cupiditate perdendæ ac vexandæ Eccleſiæ Romanæ inflammatam.

Vt

Vt quid igitur quidam iſtic illis patrocinantur, contra Catholici viri innocentiam ? quid eſt quod dubitetis de liberando, atque reſtituendo inſonte, deque vlciſcenda crudeliſsimi ſceleris immanitate? Nouiſtis facinus inauditum omnium hominum memoria, facinus atrox, ſuperbum, nefarium, pernicioſum, remotiſsimum ab omni humanitate, lege, conſuetudine, cuius acerbitatem ſi minus animo benè perſpexiſtis, quæſo mecum diligentius attendite. Scelus illud euerſionem nefariam molitur ampliſsimæ Eccleſiæ Romanæ, interitum crudeliſsimum Senatorij ordinis, cædem communem omnium bonorum. Huius ſceleris libido repoſita eſt, in diripiẽdis omniũ eccleſiaſticorũ facultatibus, atq; opprimẽda Catholicæ Eccleſiæ libertate: huic ſceleri parantur coniugum ac liberorum Eccleſiæ vexationes, in hoc ſcelere verſantur: denique faces inferendæ ædibus ſacris, earumque expilationes, ſtupra virginum ſacratarum, luctus, ac mœror miſerabilis vniuerſæ Romanæ Catholicæ Eccleſiæ: cuius rei rudimenta Gallia iam vel ipſa poſuit. Quid putatis aliud Lutherum & Caluinum terribilia portenta Eccleſiæ Romanæ, furiasque vel certiſsimas populi Europæi egiſſe, cum multa de magnitudine ſua in ipſis concionib. multa de dignitate ſuorum conuenticulorum, ſuique futuri imperij gloriarentur, tanquam ſi Dei immortalis conſilio interfuiſſent, quã vt hæc omnia ſcelera promouerent, veteresque hæreſes iamdudum & ſopitas & ſepultas reſtituerent, atque inſtaurarent ? Quid huius patrem VVicleffum commemorem? qui in Apocalypſi neſcio quid perſpexiſſe ſe prædicabat, quod viri acutiſsimi atq; peritiſsimi, Areopagita & Irenæus, ac Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius & Gregorius, columnæ Eccleſiæ, & cuſtodes legũ & Ceremoniarum ſedis Apoſtolicæ, nequaquam proſpicere potuerunt, Lucem neſcio quam de domo leonis, in terra lunæ, quondam prodituram fore, quæ Gloria nominis ſui Romanam Eccleſiam ſimul, & complexura ſit, & illuſtratura: eoque genere vaticinij Eccleſiam ſuam, ſuęque Eccleſiæ dignitatem portendi diuino iudicio putauit, planeque opinatus eſt, in ipſa latebra Apocalypſæos, tanquam in equo Troiano, autoritatem ſuæ Eccleſiæ deliteſcere. Quid dicã de Simone Mago, à quo Nicolaitarũ turpitudo initiũ ſumpſit? quid de Marco hæretico autore Sacramentariorum, eorumque patrono Neſtore? Quid de Menandro anabaptiſtarum patre? Quid de Hydroparaſtis autoribus eorũ, qui Ro

manæ

manæ ſediobedientiam negant? Quid de Saducæis & Aërijs negantibus ſuffragia viuorum prodeſſe demortuis? Quid de Artemone ſcripturas diuinas corrumpente, & legem atque Prophetas abnegante? Quid de Luciferianis Concilia reſpuentibus? Quid de Hebionitis ſacras ſcripturas reijcientibus? Quid de Montano, qui Eccleſiam Dei blaſphemat? Quid de Cataphrygis ſibi duntaxat donum ſpiritus ſancti vſurpantibus? Quid de Martiano, qui omnia in opinione ponebat? Quid de Samoſateno, qui Pſalmodiam ab Eccleſia excluſit? Quid de Abailardo, qui omnium doctorum ſanctorum ſententias, ſuo ingenio confiſus, contemnebat? Quid de prædeſtinatis, qui negant bonorum operum merita? Quid de Apelle, qui fidei nullã habet rationem & ſacrificium, oblationem & præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia negat? Quid de Helcheſaitis, qui pro arbitrio vtuntur ſacris literis, easq́; cùm diſplicent reijciunt? Quid de Nyctagibus vigilias ridentibus? Quid de Vigilantio, inuocationem ſanctorum, & reliquiarum virtutem negante? Quid de Baſilio patre iconomachorum? Quid de Iouiniano ſarcophago? Quid de Eucratitis qui & à nuptijs & à cibis quibuſdam abſtinendum eſſe cenſebant? Harum hæreſum ſentinæ ipſiſsimæ nónne ſunt Lutherus & Caluinus, videlicet capita truculentiſsimi gregis atque amentiſsimi? Quæ hæreſes & ſcelera ſi vobis, vt ſunt, indigna atque intolerabilia videntur, non iniquum erit conſectatores & inſtauratores illarum, tanquam cladem omnium crudeliſsimam è viſceribus Reipub. Chriſtianæ propulſare, Qua propulſata dubium non eſt, quin Eccleſiæ ſimul cum ordine redeat priſtina tũ dignitas, tum tranquillitas. Neq; verò ita propulſanda eſt, vt cum zizanijs ſimul & triticum euellamus, ſed vt hoc ab illis dignoſcere valeamus, & hæreſes fugere, hæreticosq́ue vitare. Oportet enim eſſe hæreſes, propter electos, vt illi tanquam aurum ſæpe ac ſæpius purgentur, vt quemadmodum aurum, atque argentum igne purgatur, ita hominum pietatis amãtium, animi puriores fiant rebus aduerſis, quibus & amor noſtri rerumq́; fragilium & caducarum exuritur, & ſtudia pietatis ac innocentiæ mirabiliter accenduntur. Itaque ad inſtaurandam & ſtabiliendam, Romanam & Catholicam Eccleſiam, in primis adnitendum eſt, ne rerum potentes peruerſè conſulant, ſed hoc potius conentur, quò ipſi boni atq; ſtrenui quàm optimis imperitent, & in nequiores animaduertant. Nam

peſsimus quiſque aſperrimè rectorem patitur. Ita non armis modò, neque aduerſum hoſtes:ſed,quod multo maius eſt,multoq; aſperius, bonis pacis artibus Eccleſia firmãda eſt. Quam ob cauſſam ſiquidem ego ablegatus ſim,& Pruſsia referta ſeditioſis atque hæreticis hominibus, non in caſſum illi vires ſuas intenderunt, vt dum in legatione eſſem proſcriberer:ne pacis conditiones tenerentur acceptare,& morem Eccleſiæ gerere. Cæterùm ad inſtaurationem Eccleſiæ hoc inprimis neceſſarium eſt, vt iuſtitia inſtauretur, Eccleſia vt quàm iuſtiſsima & diturna ſit, de pace agitandum erit, deque ſe ipſo potiſsimum qui ea compoſiturus eſt,vt quod optimum factu ſit,exiſtimet. Equidem ego cuncta imperia crudelia,magis acerba,quàm diuturna arbitror: neque quenquam à multis metuendum eſſe, quin ad eum ex multis formido recidat: eam vitam bellum æternum, & anceps gerere : quoniam neque aduerſus, neque à tergo, aut lateribus tutus ſis, ſemper in periculo, aut metu agites. Contrà qui benignitate,& clementia imperium temperauere,his læta,& candida omnia viſa,etiam hoſtes æquiores,quàm alijs ciues. Neque numen diuinum ſecus placari,flectique poteſt,quàm pace,quæ charitatis eſt comes. Quocirca Chriſtus pacem ſuam nobis commendauit: & mandatum nouum dedit,vt diligamus nos inuicem,ſicut ipſe nos dilexit: Charitate nos de nihilo magnum quoddam atque admirandum bonum finxit, ac tot gratuitis dotibus locupletauit : redimere dignatus eſt, inenarrabili conſilio, Charitate : quæ illum veluti muſto lymphatum atque bacchantem è ſinu Dei parentis in vterum virginis, ex arce cœli in hanc lachrymoſam vallem exilij noſtri deduxit, & hunc limum induere compulit oppidò volentem. Charitate omnes humanæ conditionis iniurias, milleque huius vitæ incommoda, noſtri cauſſa, triginta tres annos ſpontaneus pertulit.Charitate famam ſitimque tulit, qua noſtram ingluuiem dependit.Charitate ſuſtinuit tædia, labores, vigilias, æſtus, algores, quibus exitialem luxum noſtrum luit. Charitate pertulit ſummam pauperiem, in qua & naſci, & viuere, & mori voluit, vt noſtram ditaret egeſtatem. Charitate obtrectationes,cotemptus, conuitia, & totius vitæ ſuæ ſummam humilitatem tolerauit, illaque noſtram ſuperbiam fregit. Charitate ſuas lachrymas, toties pro noſtris ſceleribus effudit. Charitate membrorum ſuorum extremos illos

ſuæ

ſuæ mentis angores inſtante crucis ſupplicio, neutiquam mortis formidine, quam tantopere ſitiebat, volens aſſumpſit, noſtram in ſe transferens imbecillitatem, vt ſua vos infirmitas confirmaret, ſuaque triſtitia luctus æternos nobis adimeret. Charitate ſanguineas guttas toto exudauit corpore, quum grauem ſcelerum noſtrorum ſarcinam in ſuos humeros eſſet impoſiturus. Charitate vincula perpeſſus eſt, vt nos æternæ captiuitatis catenis exueret. Charitate ſuſcepit reatum, vt nos à vero crimine abſolueret. Charitate probra & virulenta lædoria in ſe congeri paſſus eſt, quum pro noſtris flagitijs malè audiret innocentiſsimè. Charitate illita ſputa, & ſibi impactos colaphos, qui noſtris debebantur malefactis, ſuſtulit. Charitate ingentem illum ingenuæ puriſsimæque mentis ſuæ pudorem, volens, lubensque in ſeſe recepit, quum perinde vt maleficus quiſpiam à teterrimis carnificibus de tribunali ad tribunal, de iudice ad iudicem propalam traheretur, quumque fœdè laniatus virgis lictorijs inſanæ plebi conſpiciendus produceretur, noſtram ignominiam in ſe traducens, vt nos in ſuam gloriam vindicaret. Charitate liuores pertulit, quibus noſtris plagis remedium admotum eſt. Charitate vulnera ſuſtinuit, noſtram medelam: & flagra, quibus noſtras noxias expiauit. Charitate ſacroſanctum ſanguinem ſuum toties prodigus effudit, vt noſtram rubiginem elueret. Charitate in crucem ter adorandam, probrum ſuum, noſtram gloriam, agi voluit. Charitate precioſiſsimam mortem ſuam, & indebitam pro noſtro omniũ capite dependit, eaque genus humanum, in hæreditatem immortalis vitæ reſtituit, vt cùm noſtra nobis vita mortis eſſet ingreſſus, ſua nobis mors vitæ fieret initium. Charitate peccatorum noſtrorum mala nomina cumulatiſsimè diſſoluit. Charitate venerandam virtutem puriſſimi ſacrificij ſui protulit, quo ſacerdos & idem hoſtia patri Deo, ſibiq; ipſi nos reconciliauit. Charitate adorandum illud myſteriũ perfecit, cùm perfoſſo latere fontem arcanum ſanguinis, & aquæ etiam exanimis aperuit, vt altero reuiuiſcerem' mortui, altero purgaremur immũdi. Charitate magnificum triumphum ſuum, rediuiuus ab inferis, ſublata mortis tyrannide, cœlis plaudentibus inuexit. Charitate immortalem ſuam gloriam edidit, & in eius partem nos cohæredes aſciuit. Charitate fouet pietatem meritaque Eccleſiæ ſponſæ ſuæ, virginis illibatæ, quæ ſibi indiſſolubili copula conglutinata, ſuo

ſanguine calet,ſuoque ſpiritu animatur.Hinc eſt vt Chriſtus, inquit Ioannes,ſit ipſamet Charitas.Et Chriſtus ipſemet nos docuit,vt alter alteri dimittamus peccata. Qua autem fronte deprecatur vindictam patris,qui leuem offenſam in fratre ſuo parat vlciſci?Quo tandem ore patri dicit,Remitte iram,cùm ipſe perſeueret iraſci proximo? Qua fiducia ſe iactat membrum Chriſti,qui cùm immunis eſſet, ab omni delicto, patrem pro parricidis in cruce deprecatus eſt, vt ignoſceret, qui ipſe peccatis obnoxius non vult ignoſcere fratri, in quem & ipſe ſubinde peccat,vt hic ſit potius mutua veniæ permutatio,quàm ignoſcentia? ingratum eſt,oculis Chriſti,ſacrificium,quod offert iræ memor,& concordiæ ſarciendæ negligens.Ita nos docuit Chriſtus Dominus,etiam ad altare relicto munere properandum ad fraternę pacis reconciliationem.Quocirca in inſtauranda Eccleſiæ Romanæ doctrina præcipue de pace firmanda agitandum eſt,& inprimis id conſiderandum, quale id ſit de quo conſultamus: ſic bonis,maliſque dimotis,patenti via ad verum pergemus.Ego ſic exiſtimo,quoniam orta omnia intereunt,qua tempeſtate Eccleſiæ Romanæ excidium aduentarit,ciues cum ciuibus,manus conſerturos,ita defeſſos, & exangues Regi,aut Antichriſto prędæ futuros. Aliter non orbis terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ mouere, aut contundere queant huius Eccleſiæ ſedem. Firmanda igitur ſunt concordiæ bona,& diſcordiæ mala expellenda,vt depoſita omni ſolicitudine,tranquilla,ac quieta mente conſiſtamus, neque dubitemus noſtram ſalutem Deo curæ eſſe. Ad concordiam conſeruandam , ſumptuum & rapinarum licentia demenda eſt,non ad vetera inſtituta reuocandum, quæ iam pridem corruptis moribus ludibrio ſunt: ſed ſtatuenda ſua cuique res familiaris, & finis ſumptuum , & tollendus Simoniacus & fœnerator, vti ſuas quiſque res curemus. Ea vera atque ſimplex eſt via, magiſtratum populo, non creditori gerere: & magnitudinem animi in addendo,non demendo Reipub.oſtendere. Si populi ſaluti potius,quam libidini cóſuluerimus,& illum &nos in pace firma conſtituemus.Sed & ſapientes pacis cauſſa bellum gerunt: laborem ſpe otij ſuſtentant.Niſi illam firmam efficiamus,vinci an viciſſe quid retulit? Quare ampliſſ. Antiſtes & Senatus ſanctiſſ. capeſsite per Deum Rempub.Eccleſiæ Romanæ, & omnia aſpera vti ſoletis, peruadatis. Namque aut vos neceſſe eſt mederi potentes, aut omittenda eſt cura

omni-

omnibus. Neque quiſquam nos ad crudeles pœnas, aut acerba iudicia inuocat, quibus Eccleſia vaſtatur magis, quam corrigitur, ſed vt prauas arteis, malaſque libidines ab hominibus prohibeamus. Atque etiam nefas eſt propter modicas & quaslibet cauſſas, quæ Chriſtianæ fidei nihil officiunt, vnitatem Eccleſiæ ſcindere, & Corpus Chriſti diuidere: & quod Phariſæis ſaluator improperat, excolare culicem, & camelum glutire, atque turbata pace Eccleſiæ in illis pugnare, vnde plus obſit ſchiſmatis pernicies, quàm proſit correptio. Ea verò clementia erit, conſuluiſſe, ne immeritò inſontes patria & Eccleſia expellerentur: retinuiſſe ab ſtultitia, & falſis voluptatibus: pacē, concordiamque ſtabiliuiſſe: non ſi flagitijs obſecuti, delicta perpeſsi, præſens gaudium cum mox futuro malo conceſſerimus. Ac mihi animus quibus rebus alij timent, maximè erectus eſt, negotij magnitudine: & quia vobis terræ & maria ſimul componenda ſunt (quippe res paruas tanta ingenia attingere nequeunt) magnæ curæ, magna merces eſt. Igitur prouideatis oportet, vt Eccleſia largitionibus corrupta, habeat negotia ſua, quibus ab malo publico detineantur: Iuuentus probitati, & induſtriæ, non ſumptibus, neque diuitijs ſtudeat. Id ita eueniet, ſi pecuniæ, quæ maxima omnium pernicies eſt, vſum atque decus dempſeritis. Nam ſæpe ego cum animo meo reputans, quibus quiſque rebus clariſsimi viri magnitudinem inueniſſent, quæ res populos, nationes, & vniuerſam Eccleſiam magnis autoribus auxiſſent, ac deinde quibus cauſsis ampliſsima regna & imperia corruiſſent: eadem ſemper bona atque mala reperiebam: omneſque victores diuitias cõtempſiſſe, & victos cupiuiſſe. Neque aliter quiſquam extollere ſeſe, & diuina mortalis attingere poteſt, niſi omiſsis pecuniæ, & corporis gaudijs, animo indulgens non aſſentando, neque concupita præbendo peruerſam gratiam gratificans: ſed in labore patientia, boniſque præceptis & factis fortibus exercitando. Nam domum aut villam extruere, eamque ſignis, aulæis, alijſque operibus exornare, & omnia potius quam ſemetipſum vilendum efficere: id eſt non diuitias decori habere, ſed ipſum illis flagitio eſſe. Porrò ij, quibus bis die ventrem onerare, nullam noctem ſine ſcorto quieſcere mos eſt, vbi animum quem dominari decebat, ſeruitio oppreſſere, nequaquam eo poſtea hebeti, atque claudo, pro exercitio vti volunt. Nam imprudentia pleraque ſe & præcipitant. Verùm hæc & omnia mala pariter

cum honore pecuniæ deſinent, ſi neque magiſtratus, neque alia vulgo cupienda venalia erunt: ſi vnuſquiſque quæ ſua ſunt retinuerit, & per iniuriam ab alienis occupandis abſtinuerit. Neque verò quicquam magis hodie viget inter eos qui Catholici volunt nominari quam Simonia. Ita regina pecunia omnia domat: immò omnia perturbat, & in nihilum redigit: efficit vt factioſi regant, dent, adimant, quæ lubet: innocentes circumueniant: ſuos ad honorem extollant. Non facinus, non probrum, aut flagitium obſtat, quò minus pecuniam magiſtratus capiat: quod commodum eſt trahit, rapit: poſtremo tanquam Eccleſia & imperio capto, libidine ac licentia ſua pro legibus vtitur. Pecunia illuſtres familias ab ſtirpe euertit. Pecunia efficit, quod nec orbi liberi, nec parentes exacta ætate, nec gemitus virorum, nec luctus mulierum efficere poſſunt. Pecunia facit vt potentia ſit ſuper leges. Pecunia nunc atque ſuperbia nobilis ignobilem anteire ſolet, raro bona fama, factiſque fortibus. Pecunia agit vt hominibus factioſis dolus atque malitia fide chariora ſint: vt nulla cura, nullaque fide amici & præſidia parentur: vt occulta pericula neque facere, neque vitare bonis in promptu ſit: vt nihil minus colatur quàm boni mores: neque concordia inter veteres & nouos coaleſcat. Itaque multò maximum bonum patriæ, Eccleſiæ, vobis, veſtris poſteris, & humanæ genti pepereritis, ſi ſtudium pecuniæ, aut ſuſtuleritis ex Eccleſia, aut quoad res feret, minueritis. Aliter Eccleſia regi nequit, quæ impune ferat Canonicos in choro, mox milites in foro, mercatores in domo. Nam vbi cupido diuitiarum inuaſit, neque diſciplina, neque artes bonæ, neque ingenium vllum ſatis pollet: quin animus magis, aut minus maturè, poſtremo tamen ſuccumbit. Neque ego tanta temeritate innocens, abſens, & legatus in gratiam inimicorum, & eorum quidem hæreticorum proſcriptus fuiſſem, niſi pecunia feciſſet. Ita hodie palam eſt multos reges, multaſque ciuitates, & nationes per opulentiam magna imperia amiſiſſe, quæ per virtutem inopes ceperant. Id adeo haud mirandum eſt. Nam vbi bonus deteriorem diuitijs magis clarum, magiſque acceptum videt, primò æſtuat, multaque in pectore voluit: ſed vbi gloria honorem magis indies, virtutem opulentia vincit: animus ad voluptatem, à vero deficit.

cit.

cit. Gloria enim induſtria alitur: vbi eam dempſeris, ipſa per ſe virtus amara, atque aſpera eſt. Poſtremo vbi diuitiæ claræ habentur, ibi omnia bona vilia ſunt, fides, probitas, pudor, pudicitia. Ad virtutem namque vna, & ardua via eſt: ad pecuniam, quà cuique libet nititur: & malis & bonis rebus ea creatur. Ergo in primis autoritatem pecuniæ demitote: neque de capite, neque de honore ex copijs quiſquam magis, aut minus iudicauerit, ſi neque Eccleſiaſticus, neque politicus magiſtratus, ex opulentia, verùm ex dignitate creetur. Iudices à paucis probari, regnum eſt: ex pecunia, legi inhoneſtum. Neminem iudicij pœnituit, vbi promiſcuè diues, & pauper, vt cuique ſors tulit, de maximis rebus iuxtà, ac de minimis diſceptat. Nec ego magna remedia contra diuitias ſtatuo. Nam perinde omnes res laudantur, atque appetuntur, vt earum rerum vſus eſt: malitia præmijs exercetur. Vbi eam dempſeris, nemo omnium gratuito malus eſt. Cæterùm auaritia bellua fera, immanis, intoleranda eſt: quò intendit, oppida, agros, fana, atque domos vaſtat: diuina cum humanis permiſcet, neque exercitus neque mœnia obſtant, quò minus vi ſua penetret: fama, pudicitia, liberis, patria, atque parentibus cunctos mortales ſpoliat. Verùm ſi pecuniæ decus ademeritis, magna illa vis auaritiæ facilè bonis moribus vincetur. vt qui virtute ſatis valent, magis æmuli bonorum, quàm inuidi ſunt: qui vero à virtute abhorrent, eos deſidia, & inertia, & ſtupor, atque torpedo inuaſit. ſtrepunt, obtrectant, alienam famam ſuum dedecus exiſtimant. Maximè ergo Eccleſia inſtaurabitur, & proſperum imperium habebit, dum apud eam vera conſilia valebunt: vbicunque gratia, timor, voluptas ea corrupere, pòſt paulò imminutæ opes, deinde ademptum imperium, poſtremo ſeruitus impoſita eſt. At operæpretium eſt vt plebs Senatui, ſicut corpus animo obediat, eiuſque conſilia exequatur: patres conſilio valere decet, populo ſuperuacanea eſt calliditas. Cauete, quorum conſilio dubia Reſpublica ſtabilibatur, vt oppreſſi ex aliena libidine, huc atque illuc fluctuantes, agitemini: & interdum alia deinde alia decernatis: vt eorum qui dominantur ſimultas, ac arrogantia fert, ita bonum malumque publicum exiſtimetis. Hic opus eſt iuſtitia, fundamento vniuerſæ Eccleſiæ, qua Deo nihil

nihil ſanctius & antiquius eſſe poteſt. Hac ipſa verè confirmari poteſt Eccleſia atque ad viuum reſtitui, & inſtaurari, qua ſola iniuſtitia, quam auaritia genuit, violata & labefactata eſt. Vbi ergo Iuſtitia inſtauratur, ibi ſuperbia dimittitur, & obedientia prǽſtatur illis, quibus antea crudeliſsimè imperitabatur. Deus enim auctor & cuſtos eſt iuſtitiæ, & innocentiæ, qui iuſtorũ vitam ex maximis ſæpe anguſtijs & periculis eripit, & precationem ipſorum audit, cùm reſipiſcunt, & peccata ſua expiant, ſacrificiaque iuſtitiæ, quæ cum fide & vera pietate fiunt, ſacrificant, & ipſius cultum, atque animi exercitationem in optimis reb. collocant. quo genere ſacrificij nihil excellentius, nihil Deo gratius à nobis accidere poteſt. Deum enim laudare, id eſt eius infinitam bonitatem in omnibus rebus prædicare, ei ſemper gratias agere, & quicquid cogitamus, loquimur, agimus, ad eius gloriam dirigere, hoc eſt dignum ſacrificium Chriſtiano: itaque Paulus in Epiſtola ad Hebræos ſcripta, nos monet, vt per Chriſtum immolemus Hoſtiam laudis ſemper Deo. Hoc ſacrificium Deus ab omnibus pijs requirit: & pollicetur viam ſuam ordinanti, id eſt vitæ curſum piè, ſancteque inſtituenti, ſe donaturum ſalutem certam ſingularem & diuinam.
Hoc ſacrificium affirmat eſſe regius vates Deo acceptiſsimum, quia ſpiritus contribulatus, & cor cõtritum ac humiliatum, eſt affectio animi, qui propter agnitionem & ſenſum acrem peccati fractus, afflictus, & proſtratus in ſola miſericordia Dei ſpẽ ſalutis collocat. Talia ſacrificia ab animo facta, qui ab omnĩ iã ſcelere expiatus, & purus ſit, Deus acceptat, cùm ei animus peccata lugens, & demiſsè ac humiliter miſericordiam ſui numinis implorans, non poteſt non eſſe acceptiſsimus. Talem animum Deus ſpiritu ſuo principali confirmat, id eſt vi illa ſpiritus ſancti, per quam animus noſter cupiditatibus & reliquis perturbationibus imperat, & liber rationem rectam, & præcepta Dei, quæ ducunt ad vitam, ſequitur: non Platonis, non Ariſtotelis: non Philoſophiæ dogmata, non Rhetorum & oratorum ampullas & ſeſquipedalia verba, non ſeculi huius latebras, non vanitatis inuolucra atque integumenta, quæ omnia ducunt ad mortem. Illi Deum puro & ſimplici corde laudant, cognoſcunt: corde & opere confitentur: hi ſcilicet Philoſophi & oratores linguam ſuam magnificant, labia ſua oſtentant, Deum non cognoſcunt, turgentibus & inflatis verbis nituntur, à vera felicitate veriſque virtutibus planè derelicti. Hinc

eſt

eſt vt Philoſophi in iuſtitia ſua & non Dei dum gloriarentur, inſipiẽtes facti, gratia exciderunt, & ad perdendas mactandasq; oues properarunt. Itaq; horum ſacrificia Deo accepta non fuerunt, quin potius abominanda & execranda: qui & hodie quàm plurimos ſui habent imitatores? Vbi nunc Apoſtolorum gloria? vbi martyrum fortitudo? vbi prædicatorum fructus? vbi Monachorum ſancta ſimplicitas? vbi primorum Chriſtianorum virtutes & opera? vbi ſacrificia iuſtitię? vbi Catholicæ Eccleſiæ Ceremoniæ? Hæc omnia ſimul inſtauranda ſunt, vt ſacrificium iuſtitiæ dignè offeramus, gratia Dei & virtutibus exornati, vita & moribus præceptis Dei conformes, ad ſuſcipiendam benedictionem altiſsimi. Tunc oblationes ſacerdotum & clericorum Deo acceptæ erunt, cùm relictis terrenis ad perfectiorem vitam ſeſe accommodabunt: tunc cœleſti benedictione perungentur: tunc religioſorum holocauſta Deo placebunt: cùm illi relicto corpore, & tepiditate eliminata, & excluſa diuino amore inflammati, omni ex parte conſummabuntur. Tunc Epiſcopi & prædicatores imponent ſuper altare Dei vitulos, cùm omni virtute conſummati, & ſpiritu ſancto repleti, animas ſuas, pro ouibus ſuis ponere non dubitabunt, & corpora ſua cruci offerre & morti pro Chriſti nomine. Tunc florebit Eccleſia, tunc terminos ſuos promouebit, tunc laus Chriſti gaudiũ, & lætitia perſonabunt in vniuerſo orbe terrarum, tunc exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis, expectantes nos in terra viuentium. Rogandus proinde eſt Deus precibus ardenti pietate incenſis, vt ſuſcipiat nos in ſacrificium iuſtitiæ, in oblationem ſanctimoniæ, in holocauſtum religioſæ vitæ, in vitulum crucis ſuæ, per quam tranſire mereamur, ab hac valle miſeriæ, ad gloriam illam, quam præparauit diligentibus ſe. Atq; hæc illa eſt Eccleſiæ Chriſti, vera inſtauratio, hæc piorum inſtitutio. Tales Deus in iuſtitia ſua deducit cùm hoſtes imminent capiti illorum, & pro ſingulari bonitate, qua vti ſolet ergà homines pios, illis dux & comes eſt in tantis periculis, neque permittit animos eorum vlla vi vel metu inimicorũ de recto vitæ curriculo declinare. Nam Dominus qui iuſtiſsimus eſt, non poteſt non amare iuſtitiam. itaq; vt nefarios homines igne & ſulphure interficit: ſic bonum quemq;, & iuſtitiæ colentẽ placidis oculis intuetur, eiuſq; virtutem maximis & pulcherrimis præmijs muneratur. Dominus probat ingredientem ſine macula & operantẽ iuſtitiam, id eſt nullo ſce-

ſcre flagitioſe ſe contaminantē,& omnibus virtutum officijs fungētem:iuſtitiæ enim nomen in literis ſanctis ſiquidem latiſsimè patet,omnes honeſti partes comprehendit. Qui ergo ſtudent Charitati: & pacem & iuſtitiam colunt, & Eccleſiam atque Rempub. firmam & ſtabilem,aduerſus omnes ictus Satanæ efficiunt.Qui inquam ad hūc modum vitam inſtituunt:& Deo chariſsimi erunt & nullo aduerſarum rerum ictu concutientur,ſed inſtar domus habebunt, quam vir prudens ædificauit in lapide firmiſsimo,quámue nec impetus ventorum,nec imbrium,aut fluuiorum vis moderata conuellere poteſt. Iuſtus nihil moratur eos,qui iſtis fallacibus bonis,& celeriter interituris explentur,quin ipſe iuſtitiam & pietatem colens,ac ſolida illa & vera atque æterna bona conſectans,contemplabitur aliquando beatiſſimam faciem Dei,& tunc deniq; omnibus gaudijs, & voluptatibus cumulabitur, cùm Deum coram intuebitur,& in ſuauiſsima pulcherrimi numinis ſui contemplatione conquieſcet: quod illi tandem diuina benignitate contingit,cùm animus illius euolauerit è vinculis corporis,in quo tanquam conſopitus iacet, & in æternam illam domum migrauerit. Si ergo Eccleſia iuſtis abundauerit: & iuſtitiæ cultus haud dubiè abundabit,videlicet conatus & ſtudium mentis,.vitium & peccata ſummopere deteſtantis, atque omni cogitatione in eam curam incumbentis,vt ſeſe caſtam & ab omni labe integram, puramque ſeruet. Neque verò idcirco vir ſanctus, quod per imprudentiam & infirmitatem animi multa committat,quæ minus recta forēt, iuſtus eſſe deſinit,cùm humilis & mœrens confugiat ad miſericordiā Dei,qui veniam pœnitenti det,& ſumma benignitate illi cuncta errata condonet,vt naſcantur,qui poſteritati prædicent beneficia, & iuſtitiam Dei:vſus eſt enim ille iuſtitia & infinita bonitate ac miſericordia,eripiens humanū genus è manibus diaboli,qui miſeros crudeliſſimè vexabat,& omnibus iniurijs,& ignominijs afficiebat: & vtitur indies illuſtri beneficentia, munificè, prolixè, largè in genus humanum.Itaque cum Deus ipſe nobis materiam ſuppeditet, quò laudes illius in celeberrimo conuentu piorum canamus,cùm ille propterea nos protegat atque defendat,vt poſteri noſtri ſeſe in ſeruitutem illi piè ſanctéq; dicent,& in eius familia,& gente numerentur: nos verò non eo fine viuamus,ſed ad diſcordiam,contentiones,iniurias, inuidiam,iniuſtitiam,& iniquitatem animum intendamus: quis non videt,

det,nos quàm longiſsimè à recta via diſtare, & toto cœlo aberrare? Quis dubitabit hoc pacto Eccleſiam Romanam corruituram,niſi eo reuertamur,quàm citiſsimè,vnde aberrauimus?ad pacem ſcilicet,charitatem,& iuſtitiam?Imitandæ ſunt nobis planè illę gentes,quæ olim fictos & inanes Deos venerabantur, & in ſumma mendicitate vitam miſerrimam trahebant,vtpote religionis,& virtutum omnium egentes,quæ veræ ſtabilesque diuitiæ ſunt,at tandem copioſæ & opulentę factæ ſunt,& omnibus bonis cæleſtibus circumfluentes, & pane illo viuo ſaturatæ,qui de cœlo deſcendit, quo veſcentes viuerent in perpetuum,& hymnis ſempiternis Deum venerarentur.Nimirum mortales obliti erant Dei, dum falſis opinionibus inducti ſuperſtitiones pro religione,res creatas pro mundi creatore colebant: neque virtutibus ſolum, ſed etiam vitijs diuinitatem tribuebant.ſed demum excitatæ ad pietatem,& verum ſyncerumq; Dei cultum:& repudiatis dijs falſis,& commentitijs,Domino ceremonias,honores, preces adhibuerunt,qui non ſolum Paleſtinæ principatum obtinebat aut res Iudæorum tantum adminiſtrabat,ſed omnia ſola terrarum,imperio, & ditione ſempiterna regit & gubernat,& omnes nationes ad cœlũ &cœleſtia bona perducet.Proinde omnes principes &reges edant,& ſaturentur doctrina illa Domini,ciboq; cœleſti,ſeq; libenter ſub imperium Chriſti ditionemq; ſubiungãt:vniuerſi deniq; mortales qui in terram & puluerem dilabuntur,filium Dei ſuppliciter venerẽtur. Cur enim illi ſalutis & libertatis ſuæ vindicem & parentem non colerẽt,& diuinis honoribus afficerent?qui mortem acerbiſsimã non dubitauit occũbere,vt eos vita afficeret immortali. Hæc oẽs nouimus pariter & indies audimus pro cõcionibus,& aſsiduè legendo verſamus: ſed pauci aut nulli ſalutari Chriſti doctrina afficimur, cũ nihil magis animo noſtro obuerſetur,quã quomodo ſummũ quiſq; dedecus glorię Chriſti inuehat:dum Chriſtianũ ſe nominari vult,ac interim furatur,mœchatur,litigat,belligeratur,ambit,vlciſcitur,fraudat, peierat per adorandũ nomẽ Dei,nonnunquã & blaſphemijs inceſsit: ventrẽ habet pro Deo,Chriſto contempto,Mammonæ ſeruit.Nunquid impia vita ad cultores Dei ſpectat?An chaos illud vetus,in quo nullo ordine nulloq; decore,confuſa iacebant diſcordia rerũ ſemina,rurſus Eccleſiã occupaturũ eſt?Quid turpius quàm chaos,vbi nulla eſt charitas, nulla fides, nulla fœdera, nulla legum, nulla præpoſitorum

reuerentia, nullus dogmatum cõſenſus, ſed velut (vt ſupra retulimus) in diſſono choro ſuam quiſq; canit cantionem? Orandus potius eſt Deus vt digerat hoc chaos, & expãdat ſe ſpiritus ſuus ſuper has aquas malè fluctuantium dogmatum, vt quemadmodum cunctis in Chriſti domo verſantibus, vna lex eſt, vnum baptiſma, vnus Deus, vna ſpes, vnus ſpiritus, ita ſit & vox vna Catholicam veritatem profitentium. Id ſiquidem ego ablegatus, procurandum ſuſcepi, & in eam curam animum intendi vt perficerem, quo vetus munificentia Dei, Eccleſiæ labaſcenti iam tandem, quæ naſcenti, illuceſceret, videlicet principibus timor ſui, vt ſic Remp. adminiſtrarent, tanquam breui regum regi rationem de ſingulis redditurí: throno ſuo ſemper aſsiſtens ſapiẽtia, vt quid ſit optimum factu perſpiciant animo factisq́; perſequantur: paſtoribus, quibus ſuas vices delegare dignatus eſt, prophetiæ donum, vt arcanas ſcripturas non ex humano ſenſu, ſed ex diuino afflatu interpretentur: & Charitas triplex, quam Dominus à Petro ſtipulatus eſt, ouium curam illi demandaturus: ſacerdotibus ſobrietatis & caſtitatis amor: populo bona voluntas obtemperandi præceptis diuinis, ac promptitudo obſequendi ijs, per quos iuxta animum ſuũ voluit Deus res humanas adminiſtrari: vt ſi principes Chriſti munere, Chriſto digna imperent, ſi paſtores Chriſto dignè doceant: populus bene imperãtibus, ac pia docentibus obtemperet, Eccleſiæ ſimul cum ordine redeat priſtina tum dignitas, tum tranquillitas, ad diuini nominis gloriam: neq; enim aliud ſupereſt, quod requiri poſsit ad veram Eccleſię Chriſti, Eccleſiæ Apoſtolicæ & Propheticæ, Eccleſiæ Romanæ & Catholicæ inſtaurationem: cum inquam propterea legationis onus mihi ſit impoſitum, vt ſedulo curarem, quo omnia quę apud vos commota eſſent, pace & otio reſiderent, & Eccleſiæ Catholicæ obedientia antiquum locum dignitatis obtineret, id cõſecutus ſum, vt omnibus meis rebus nudus ſuperſim, nec quicquam reſidui habeam, quam vt mihi ſumma crudelitate ob eam legationem proſcripto, liceat miſericordia aliorum vitam in egeſtate degere, nec quicquam, vt ab initio huius orationis commemoraui, tot implorationib. proficio? quibus tamen aliud non ago, quam vt mihi liceat, vi nulla interpellante, cauſam meam: apud vos, idq́; ſub pœna capitis tueri, & legationem referre. Quod ſi tecum optime cardinalis Eccleſia, patria, & parentes poſſent loqui, ſcilicet hæc tibi dicerent. O Hoſi, nos te genuimus ſanctiſ-

ſimi

ſimi & fortiſsimi viri in optimo regno decus,præſidiumq́; nobis, hoſtibus fidei terrorem:quę multis laboribus & periculis conſecuti fueramus,ea tibi naſcenti cum anima ſimul tradidimus,Epiſcopatum optimum in patria, & dignitatem ſummam Cardinalatus in Senatu noſtro,præterea bonas artes, honeſtas diuitias,ſenectutem firmam, poſtremo omnia honeſtamenta pacis, & præmia verbi diuini. Pro his ampliſsimis beneficijs, atque præclariſsimis muneribus petimus, vt euerſum Chriſti corpus quod Romę Petrus & Paulus Apoſtoli erexerunt,& ſuo ſanguine roborarunt,cõfirmarunt,reſtituas,& miſerearis afflictorũ,& quibuſcunq; rebus poſsis eos iuues,vt beatus ſis, & te viciſsim Deus ab omni calamitate prohibeat, & incolumis atq; florens ad extremam ſenectutem viuas, neq; vnquam in arbitrium & poteſtatem inimicorum venias. Qua re patrata, profecto per gentes omneis fama virtutis tuę volitabit.Namq́; hac tempeſtate,tametſi domi & Romæ,& ſcripto & verbo præclara facinora egiſti,tamen gloria tua cum multis viris ſapientibus & pijs æqualis eſt:ſi vero illud corpus Chriſti ampliſsimo nomine,& maximo imperio propè iam ab occaſu reſtitueris,& innocenti opem tuleris,ab omni humano prę́ſidio deſtituto,quis te clarior,quis maior in terris fuerit? Quod ſi huic corpori ſecus accidat:cui dubium eſt,quin per orbem terrarum vaſtitas,bella, cædes iam exortæ,peruagentur? Quod ſi tibi bona libido fuerit Sedi Apoſtolicæ,& inſontibus gratificandi: poſtero tempore ipſis reſtitutis,ſuper omnes mortales gloria,agnita, tuaq́; vnius mors vita clarior erit.Nam viuos interdum fortuna,ſubitus ſcilicet ac inopinatus euētus,ſæpe inuidia fatigat:vbi anima naturæ ceſsit,demptis obtrectatoribus,ipſa ſe virtus magis ac magis extollit. Hæc quam pauciſsimis potui perſcripſi,vt & tu,& ſenatus vel iam demum intelligeretis cauſam legationis meæ,ſi fortè hactenus eam minus intellexeritis atq; apud Regiam Maieſtatem cui autoritas veſtra & chara & accepta eſt, & conſilia veſtra neceſſaria,Eccleſię vtilitatem promoueretis.Quam vos promouiſſe non arbitremini, niſi innocentiæ meæ, tot annis ſumma acerbitate, preſſæ, ſuccurreritis, & legationem quam pro Eccleſia & Republica Pruſsiæ ſuſcepi promoueritis, meq́ue iniqua illa proſcriptione liberaueritis, & effeceritis vt mihi in propulſanda iniuria,& propugnanda æquitate non minus liceat autoritate regia vti, idq́; propoſita pœna capitis,ac aduerſarijs meis licuit illa,in furo-

re,& crudelitate ſua exercenda abuti: ea eſt enim rerum mearum æquitas,vt non modo viris bonis,ſed etiam improbis, & quidem acerrimis hoſtibus,me cauſam meam probaturum cõfidam. Et quoniam autore Innocentio ſpoliati & inermes nos non debemus opponere inimicis? & non ſolùm iure ciuili, ſed & Pontificio ſpoliatus etiam prædo ante omnia reſtituendus eſt,facite optimi antiſtites,ſenatus & ordines,vt priuſquam quicquam in mea cauſa apud vos ſtatuatur, in plenam meorum priuilegiorum & fortunarum poſſeſsionem veſtro ſuffragio in Pruſsia reſtituar.Facite apud vos valeat iam tandem Eccleſiæ emolumentum,iuſtitia,id eſt actio recta: iudicium ipſa videlicet diſcretio boni & mali : & æquitas,hoc eſt rectitudo mentis,vt & ſecundum regulam veritatis benè operari, & recta deſcriptione cum proximis agere, & cum ſyncera intentione Deo ſoli in his quæ rectè geritis,vel iudicatis,placere contendatis, & obtemperare ſcriptis,legibus diuinis & ciuilibus,inſtitutiſque Eccleſiæ,& populorum: atq; communem vtilitatem ſeruare, ſuum cuique tribuere,atque ſocietatem coniunctionis humanè munificè atque æquè tueri. Facite apud vos valeat fides ac tutela Dei, qui in ſe confidentes incolumes conſeruat,ab omnibus inſidijs inimicorum, & à quouis maximo & manifeſto exitio,Facite apud vos valeat ſanguis iuſtus, qui dies nocteſque clamat de terra ad Deum. Facite apud vos valeant iuſta iudicia Dei, qui vindicabit ſanguinem ſeruorum ſuorum de manibus impijs, neque permittet pios tyrannide impiorum oppreſſos teneri, ne forte legibus & iudicijs extinctis,& religione conculcata, etiam ipſi ad peccata & ſcelera,impellantur,exemplo & proſperitate improborum incitati.Facite apud vos valeat Catholica religio & obedientia S.Romanæ Eccleſiæ,ſummique Pontificis autoritas,cui maxima crudelitate,hæreticorum impoſturis,propè infinitarum animarum cura erepta eſt. Facite apud vos valeat exemplum viduæ illius Euangelicæ,& Iudicis ciuitatis,qui neque Deum timebat, neque homines reuerebatur.Deum videlicet cito vindictam electorum ſuorum facturum.Facite denique apud vos valeat Deus ipſe cuius ſcientia non fallitur,qui priuſquam iudicaret(vt ſupra memini) protoplaſtum,locutus eſt illi,& confeſsionem criminis extorſit : idemque iudicaturus ciuitates Sodomorum ait. Deſcendam & videbo num ea vera ſint, quæ ad aures meas peruenerunt, exemplo eſſe omnibus volens, ne inco-

incognita cauſſa,& inaudita parte quiſquam damnetur : & vel iam denique audiatis tot iuſtas querelas & precationes meas : & faueatis innocentiæ meæ, & diſceptetis aliquando demum cauſſam meam, antequam veniat is qui ſolus æquus eſt iudex, cui nihil æquitate & iuſtitia gratius & acceptius eſſe poteſt, quæ vel ſola eſt fundamentum Eccleſiæ firmiſsimum : atque reputate quæſo vniuerſam Europam & nouiſſe & admirari, quod tam iuſta & æquiſsima petitio mea apud vos nullum habeat locum,vt tot implorationibus, per tot annos impetrare à vobis qui Chriſto & æquitati nomen dediſtis, non valeam,quod piratis,prædonibus,depeculatoribus,ſacrilegis, & id genus nefarijs hominibus iamiam ad ſupplicium rapiendis negari, vel apud Ethnicos & Barbaros nequit : omnibus ijs enim cauſſam ſuam impunè agere licet,mihi apud vos hactenus non licuit. Recognoſcite inauditum atque incredibile illud illorum,qui nuper me abſente in Pruſsia diem ſuum perbacchati ſunt, facinus, quod etiam gentes immanes & effrenatæ execrandum atque omni ſupplicio vindicandum arbitrantur. Expendite meo exilio iſtic, Catholicam religionem exulare,meque in opprobrium Romanæ Eccleſiæ,crudelitati & ludibrio expoſitum inimicorum, omnes namque quotquot vident me illudunt atque inſultant in calamitates meas. Iſte,inquiunt,omnem ſuam curam,diligentiam, valetudinem, & quoque vitam Eccleſiæ Romanæ impendit: liberet ergo illum Eccleſia Romana & opem illi ferat,quam tam charam habet, & tanto ſtudio ac cultu proſequitur, pro cuius defenſione tot volumina conſcripſit,pro qua vita etiam interpoſita cum hæreticis congredi non reformidat. Nemo tam ferus,atque ferreus eſſe debuit,quin tot malorum fluctibus quibus opprimor illachrymaretur, at iſtis acerbiſsima innocentiæ exagitatio, incredibilis & inaudita perſecutio,iucundiſsimum & inſatiabile ſpectaculum præbent. Nemo prô dolor eſt qui meo zelo afficiatur, nemo qui iuſtitiam & æquitatem in animo habeat, nemo cui religio curæ ſit. Itaque aſpicite multitudinem hoſtium Eccleſiæ Catholicæ, aſpicite ſcelus & acerbitatem hæreticorum, & liberate ad extremum hominem Catholicum tantis angoribus & ærumnis. Non ſatis enim ſuit innocentem patriæ finibus prohibuiſſe, atque eieciſſe: eiectum, egentem, ſyluas & deſerta loca peragrantem perſequuntur, neque finem furoris facere poſ-

ſunt,

ſunt, niſi cruciatu & ſanguine meo ſaturentur. Intelligite me eo iam miſeriarium veniſſe, vt omni ope auxilioque deſtituar, parumque tutã probitatem deprehendam: cum deformatus & inops alienas opes expectem, nec tamen quenquam inueniam qui prohibeat iniuriam: immò feſſus ſcribendo mittendoq; nunciosomnes, ſpes & fortunas meas cõſumpſerim, & fidem, pro Eccleſia Catholica, quodammodo in nihilum redegerim Conſiderate poſtremo, & vos, & omnes homines in terris, vt hoſpites & peregrinos ætatem agere, & in hac vita tanquam in diuerſorio eſſe, non tanquam in domo, propediem diſceſſuros ad mortem: & ſenes diu viuere non poſſe, licet iuuenes citò mori poſsint, vosq; ante tribunal Chriſti, pro ſubditis & ouibus veſtris, & Eccleſiæ præfectura rationem reddituros: atque innocentiam meam animo veſtro commendatiorem habeatis, & crudelem illam animaduerſionem, atque inhumanitatem improborum hominum à me prohibeatis, & mihi aliquantulum præſidij ad reſpirandum conferatis, & iniuſta illa atque iniqua proſcriptione exoluatis, vt verè beati in illo die cenſeamini. Beatus enim ille (vt etiã ſupra retuli) qui miſeretur afflictorum, & quibuſcunq; rebus poteſt eos iuuat. Illum viciſsim Deus ab omni calamitate prohibebit, ille incolumis & florẽs ad extremam ſenectutem viuet, neq; vnquam in arbitrium & poteſtatem inimicorũ veniet. Facite ergo vt veſtra liberalitate vitam egeſtate iſta eripere valeã, & in ſinum veſtrũ acerbiſsimi doloris fomenta, atrociſsimę fortunæ iniuriã immaniſsimæq; calamitatis memoriã deponere: vt caput innocẽtis defendatis, iniuriæ reſiſtatis, & quantũ poteſtis in ſalute alterius malitis oſtẽdere. Vtinam id oẽs qui eodem loco, aut nati, aut conſtituti ſunt facerẽt, & Eccleſia ex illis, & ipſi ex inuidia minus laborarent. Quod ſi vos, optimi patres, ſalutis meæ imò Romanæ Eccleſiæ patrociniũ ſuſcipitis, atq; defenditis eam ab impetu hominũ immanium & ferorum, & opem aliquam mœrori meo adfertis, meq; proſcriptione illa nefaria eripitis, & in Pruſsia veſtra opera reſtituitis, iusq; mihi reddi curatis: nullo tempore tanti beneficij memoriã deponam, vos ſemper ac veſtri nominis claritatem celebrabo, & extollam vſq; dum viuam. Faxit Deus, vt Rex optimus vel iam tãdem poſtliminio exilij mei, placidis oculis, tot preces & implorationes meas ardenti pietate incenſas, totq; iuſtos clamores meos reſpiciat, & det auxiliũ, atq; tantis periculis auertat: cumq; illo vos & quã diutiſsimè, & quam feliciſsimè valeatis & regnetis. Amen.

PAV-

PAVLI PRINCIPIS DE LA SCALA ET HVN, MARCHIONIS VERONAE, &c. DOMINI CREVTZBVRGI PRVSSIAE.

EPISTOLA QVA OMNES ABDITAE ARTES ET ſcientiæ perſtringuntur, & perfectiſsima ratio prophetandi, & miracula operandi traditur.

AD CLARISSIMVM ET DOCTISSIMVM VIRVM, ET MEDICÆ facultatis Doctorem celeberrimum, Dominum Gerardum Martellum, Reuerendiſsimi & Illuſtriſsimi Domini Domini Ioannis de Hoja, Epiſcopi & Principis Monaſterienſis, Oſnaburgenſis, & Paderbornenſis Phyſicum, amicum ſingularem.

QVID ego de illo doctrinarum genere, quod Politiano Miſtum nuncupatur, ſcilicet de diuinatione ipſa ſentiam, Inſtitutionibus noſtris philoſophicis, mea quidem ſententia clariſsime idemque doctiſsime Martelle abundè ſatis expoſui. Neque verò defuerunt quidam ſtolidi homines, quibus nihil placet, quod non ex ipſorũ cerebro defluat, aut ab eorum cognitione remotum ſit, qui quod non aſſequebantur, non dubitarunt fœdis excipere ſannis & ignotos carpere lares: imo noui Naſi conſectatores aduncis naſis, & fluida ſorde repletis, pugnam mouere, adornare arma, & miſeras papyros malè necare ſed & à Pulpito debacchari: tanta eſt, abecedariorum audacia, tanta petulantia, & procacitas: vt nihil ſit nec domi, nec foris, nec in foro, nec in choro, quod illorum libidinem effugiat. Quid vis ergo vt de præſtigiarum illo artificio dicam, quo nummis imagines quædam, characteres ignoti, & magicæ vanitatis verba imprimuntur? quos ais ob neſcio, quos effectus, vſu à plerisq; recipi & celebrari, & iã paſsim increbreſcere, tibiq; videri & ſuſpectos eſſe, & ab impietate non diſtare: licet artifices illorum huic tuæ opinioni repugnent. Profectò prudentiſsime Martelle, & piè, & prudenter o-

Xxx pina-

pinaris: neq; opinione falleris, cùm & ſacrarum literarum, & omniũ ſapientum autoritatem, à tuis partibus habeas. Vt autem paucis accipias quid velim, cognoſcendũ eſt, diuinationẽ fieri multis modis quæ Prophetia quoq; à noſtris dicitur. Hæc (vt ex ſacro Chryſoſtomo Politianus trãſtulit) aut ſpiritalis, aut naturalis, aut artificioſa, aut popularis, aut damnata eſt, & profana. Spiritalis: Ecſtaſi, voce, parabola, afflatu, viſione. Viſioque ipſa triplex, oculis, imaginatione, mente. Naturalis brutorum, furentium, dormientium: Bruta enim ſicut hirundines, formicæ, grues, alcedones, erinacijs aduentantem præſentiunt hyemem. Furor eſt autem ſicut Plato ait, quadruplex, vatum, poetarum, bacchorum, amantium. Viſa dormientium, aut inſomnium, ſunt, aut ſomniũ, Inſomnio Phantaſma occurrit, quod viſum Cicero appellat: & Ephialtes, qui latinè incubus dicitur. Somnio viſio & oraculum, quæ Græci ὅραμα & χρηματισμός dicuntur. Inſomnium diuinatione caret, Ex cura animi, corporis & fortunæ. Somnia vel Theorematica, vel allegorica ſunt. Hæc autem vel propria, vel aliena, vel communia, vel publica, vel mundana, quorum coniectura fit, natura, lege, conſuetudine, arte, nominibus, definitione. Qui verò ſomnia interpretantur, coniectores dicuntur à noſtris. Extantque libri adhuc Daldiani Artemidori, Onirocriticon. Artificioſa eſt, qua medici, qua conſiliarij, qua gubernatores vtuntur. Nam & medici morborum principia, momenta fineſque præſciſcunt, Et conſiliarij, quid expediat in poſterum coniectant: & gubernatores ventorum tempeſtatumque præuident varietates. Popularis dicitur, quæ vulgo nota, ſicut hyemem, dein ver, cæteraſque deinceps temporum periodos futuras. Extrema illa eſt, quæ malo aſcribitur dæmoni, quo genere Pythiæ Dodonideſque ſunt, & item diuinaculi cæteri, vt homoplatoſcopi, vt etiam qui exta pecudum, qui volatus, qui cantus auium, qui monſtra, qui tonitrus, qui fulgura, qui ſydera, qui ſortes, qui ſymbola, omnia auſpicia, qui ſternutamenta, qui Muſtellarum, qui murium vel ſtridores, vel occurſus, quique aures tintinantes, Oculos ſalientes, foliorum crepitacula, pomorum ſemina in ſublime iactata, bacilla, cortices, nomina, imagines, Phialas, ſpecula, & mille id genus alia obſeruabant. Tum illa quoque pars damnata in primis, quæ vel malos genios conſulit, vel Deos euocat manis, cuique magicæ nomen fecimus, vt quam Pytones, vt quam profitebantur

tur Engaſtrimythoe, vt item Necyomantia, Sternomantia, Alectromantia, Pyromantia, Alphitomantia, Aleuromantia, Erithomantia, AEromantica, Hydromantia, Geomantia, Aſtragalomantia, Tyromantia, Gyromantia: Sed & Chyromantia, & item Coſcinomantia, multaque id genus alia vana prorſus, & deridicula, quæque iam merito ſilentij nos admonent. Hæc ille. Vnde nulla difficultate intelliges, quo animo afficiantur & poligymnaſtes & Harpiæ inſanæ, & Prothei, ſeſe in varias opiniones transformantes, ventoſaque lingua, ac ſtentorea voce ad plebem detonantes, Euangelium non ad veritatem annunciantes, ſed ad gratiam, ad quæſtum & ad præcium detorquentes, qui hoc Miſtum genus doctrinarum eiuſque diuiſionem nuſquam ſe legiſſe, & idcirco nuſquam extare quod ipſos latet profitentur, & omnia quæ ignorant dánant & calumniantur. Verum non mecũ illis res eſt, ſed cũ ſacratiſsimo põtifice Chryſoſtomo & doctiſſimo viro Politiano: hos ſi poſſunt reprehendant, & oppugnent per me licet. Quod autem ad Logiſticem ſiue calculatoriam attinet, & diuinam virgulam ſiue diuinam ſortem, quam damnatam eſſe volunt, & malo ſpiritui tradunt, necdum video, qua id ratione perficere contendant, calculatoria enim figuris vtitur numerorum nouem, quas Pythogorici excogitarunt, quorum inuentum eſt, etiam diagramma, quod menſam Pythagoream, quoque vocitabant, vnde abaci origo eſt, in qua digiti, & articuli, compoſiti atque incompoſiti, cum ſuis collocantur limitibus. Hæc ſex generibus continentur, elementorum expoſitione, compoſitione, ablatione, multiplicatione, partitione, quadrati lateris inuentione. Ordo ſic in numeris eſt vt poſt ſingulares deceni, centeni, milleni, myriades, decenæ myriades, myriadum myriades veniant. Signantur autem manu ſiniſtra ad centenos vſque: dextra centeni, milleniq́ue, vſque ad myriades, nec vltra. Nihil dicam de Arithmetica, quo numerum non quidem mercatorium, ſed formalem illum, quem alibi expoſuimus, tractatus aut ſeorſum quenque ſpectat, aut ad alium refert, ſanè ſine hoc artificio multi ſacræ ſcripturæ loci perperam intelligentur, quod vel numerus Antichriſti in Apocalypſi 666. innuit, quo in primis ars Nomognomiæ & diuinæ virgulæ ſiue ſortis, pertinet: quam qui damnant, fieri non poteſt, quin damnentur.

Neque aliter miracula & omnium facile potentiſsima virtus vſquequaq; apparuit,& operationem ſemper efficaciſsimam habuit,quam per nomen auorum Trigrammaton & patrum Tetagrammaton, & filiorum Pentagrammaton,id eſt in natura שדי in lege אדני in charitate יהשוה. Hinc Act. 1. ſors facta eſt ſupra Ioſephum & Matthiam, hinc applicatio Ephod per Abiathar. 1. Reg. 23. hinc Ioſuæ ſtare ſolem præcepit. hinc Elias in aduerſarios è cœlo euocauit ignem: puerum mortuum vitæ reſtituit. hinc Daniel Leonum ora perſtrinxit, tres pueri in camino æſtuantis incendij carmina luſerunt,ſcilicet propter veram veri nominis diuini inuocationem,vt paulò poſt patebit. Neque verò Dei varia dona Paulus negat. 1. Cor. 12. immò Prophetiã omnibus alijs præfert. Sed hic nobis Antæus quidam obijcit,Paulum ibi,non de ſpiritu prophetico loqui,ſed de ſcripturarum interpretatione: quæ & ipſa nomine prophetiæ nuncupatur. Itáne verò ſpiritum propheticum interpretationem ſcripturarum appellat? Prophetarum quidem eſt,ex afflatu diuino,non ex humano ſenſu ſacras Dei ſcripturas interpretari. At Prophetiam interpretatione ſcripturarum ſaltem conſiſtere quomodo probet non aſſequor. Nam Apoſtolus expreſsè ait. Maior eſt,qui prophetat,quam qui loquitur linguis, niſi fortè interpretur. En interpretatio hic ad linguas potius refertur,& à prophetia differt. Quod magis oſtendit, cùm inquit, Si venero ad vos linguis loquens,quid vobis prodero, niſi vobis loquar aut in reuelatione,aut in ſcientia,aut in prophetia,aut in doctrina, clariſsimè iam conſtat aliud eſſe reuelationem,aliud ſcientiam, aliud Prophetiam,aliud Doctrinam ſiue interpretationem: docere namque interpretari eſt,& vice verſa. Id etiam tantò ſplendidiùs apparet ex eo,cum ait,qui loquitur lingua,oret vt interpretetur. Item prophetãti, occulta idiotæ & infidelis manifeſta fiunt,vt cadens in faciem adoret Deũ. Optarem cognoſcere an vociferatoribus noſtris,qui omnem prophetiam ex Eccleſia auferunt,ad tot millia hominum è ſuggeſtu debacchantibus vel vnius hominis occulta vnquam retecta ſint. Puto paucis id contigiſſe. Idcirco ſubiungit Apoſtolus, Quum conuenitis vnuſquiſq; veſtrum,pſalmum habet, doctrinam habet, Apocalypſim habet,linguam habet,interpretationem habet. Vtique Apocalypſim ab interpretatione diſtinguit. Sed quoq; ibidem linguarum locutionem pluribus concedit, interpretationem vni: Prophetiam duobus

vel

vel tribus,quã & reuelationẽ appellat:& expreſsè ait,Spiritusprophetarũ prophetis ſubijci,& non diſſenſionis,ſed pacis eſſe:concludit tãdem. Si quis inquit videtur propheta eſſe,aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis.Ita in confeſſo eſt prophetiam longè vltra interpretationẽ ſe extendere.Quocirca Capnion lib.3.cap.4. exclamat,ô rem mirandam, ſed prophetalis ſpiritus vel diuini afflatus egentem. Ad hunc modum,ſunt infinita ſacratiſsimis characteribus comprehenſa,non ſolum præteritorum complementa,ſed etiam futurorum certa præſagia,modò adſit,qui ea non tam interpretetur, quàm prophetet.Sic enim ſpiritus prophetarũ æui præteriti futuris prophetis ſubiecti fiunt.quare ait Apoſtolus,Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare.Nam maior eſt,qui prophetat quàm qui loquitur linguis.Et alij ſunt vates,alij vatum interpretes.Hæc ille.Itaq; pudeat iſtos ſtipites plumbeos,candices,truncos,lingulacas, & egregios bibaculos,qui plus temporis in poculis,aleis & ſcortis conſumpſerunt,quam in bonis literis,& ſacrarum literarum codicibus: nec reformidant de altiſsimis myſterijs Theologiæ tãta leuitate diſſerere. Putant omnia conſiſtere in blaterando:quaſi anus vetulæ non æquè poſsint horam vnã,atq; alteram cõtinuo ſpiritu garrire:nec intelligũt aliud eſſe loqui,aliud eloqui,aliud eloquẽtiam,aliud loquacitatem. Sed Autodidacti ſunt,id eſt Euthuſiaſtarum ſectatores.Auguſtinum pro ſe citant,qui prophetare,interpretari exponit. Egregij doctores, ex quibus populus pendeat. Satiùs eſſet illos triuijs aliquandiu conſecrari,& diſcere naturam conuerſionis ſimplicis, per accidens,& per contrapoſitionem.Tunc facile intelligent,prophetare, præter interpretari,plura ſignificare.Cæterùm ſuam inſcitiam Apoſtolorum fortè exemplo,qui rudes erant, defendent. Atque ita ſeipſos ſuo gladio conficient:prophetiam namq; & dona ſpiritus ſancti vel inuiti admittent:quibus hucuſque rudes tanta temeritate ſpoliarunt, & gratiam Dei proſtituerunt,adſcribentes id ſpiritui maligno, quod in nomine Ieſu fit,in quo & cœleſtia & terreſtria,& inferna flectuntur. Neque illis opitulabitur,quod prophetæ in Ioanne Baptiſta finẽ ſortiti ſint: nam locus ille intelligendus eſt, de prophetis & prophetia, quæ ad Chriſti incarnationem, doctrinam, paſsionem,reſurrectionem, aſcenſionem,& ſecundum aduentum,ſpectat,quod illa omnia,quæ æterna Dei prouidentia deſtinauit,de Chriſto prænuncianda,in Ioanne Ba-

ne Baptiſta ceſſarint,& in Chriſto impleta ſint,qui non venit legem tollere,ſed adimplere. At de prophetia & prophetis, ad ædificationem Eccleſiæ ſpectantibus, & prædicentibus ſecus eſſe, docet propheta Agabus,qui fuit vnus ex prophetis, qui ab Hieroſolymis Antiochiam ſuperuenerant. Hic enim ſignificauit per ſpiritum famem magnam futuram in vniuerſo orbe terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio Cæſare Act.11. Idem propheta tulit zonam Pauli, & alligans ſibi pedes & manus dixit. Hæc dicit Spiritus Sanctus. Virum cuius eſt zona hæc,ſic alligabunt in Hieruſalem Iudæi,& tradent in manus gentium. Multa id genus exempla ſacræ hiſtoriæ continent, Vt non videam cur tantopere bonus ille vir prophetiam, quæ prædicit futura, inſectetur,& ex Eccleſia Dei explodat: Quaſi amplius non ſit quiſquam, qui Samuelis exemplo Saulem de perditis Aſinis certiorem reddere poſsit.1. Reg.9. quaſi minus operari poſsit filiorum Pentagrammaton quàm patrum Tetragrammaton, & auorum Trigrammaton: quaſi ab Eccleſia omnis prophetia damnata eſſet : neque quicquam ſpiritus,natura,ars, & populus agere in Eccleſia Chriſti valeant.Sed omnia illa miracula, à ſolo Diabolo proueniant. Ita fit vt deplorati iſti homines, mox ad inferos ea præcipitent & deuoueant,quæ non intelligunt: & bonos ſimul igni adiudicent. Quod tamen mirandum non eſt : nam eos qui aliter quàm plebs ſentiebant, cum philoſophos,tum prophetas, morte ſemper multatos hiſtorijs proditum eſt. Etenim Diagoras plura de diuinis ſcribens, aliter quam plebi viſum eſt, & Anaxagoras Athenis vltimo ſupplicio adiudicatus,& Socrates veneno interfectus eſt. Prophetæ verò ſæpe regum indignationem, aliquando populi,nonnunquam mortem ipſam, religionis atque diuinorum gratia ſubierunt. Meminiſti Ieroboam contra virum Dei manum leuaſſe, quæ mox vertebatur in aridam, Eſaias in partes diſſectus, Hieremias in Aegypto lapidibus obrutus,Ezechiel iuſſu ducis in Aſſyria cæſus,Daniel ad beſtias damnatus Amos fuſte occiſus,Michæas in præcipitium datus, Zacharias apud aram trucidatus eſt,haud alia ex cauſſa omnes, quam quod ſanctius indocta plebe ſentirent. Vſque adeò hominibus doctis, eiſdemque bonis, ſemper obſtrepunt indocti & mali. Aſſequi quippe qui non valeant,rerum ſupercæleſtium, qui nulli vſquam ſenſui

ob-

obuiæ ſunt, neminem mortalium, præterquam diuinitus, ac nulla humana virtute, quantulancumque tandem cognitionem obtinere, poſſe. Siquidem nulla in orbis terrarum ampliſsimo ſpatio, niſi reuelatione diuina de ſubſtantijs conſtans, tota & irrefragabilis habetur ſcientia : quòd diuina non tangantur, mundana quolibet momento ſenſum effugiant. Hinc eſt, vt deſit cauſſarum ſufficiens notitia, inde permanentiæ conſtantia & quod maximè obeſt nobis fragilis induſtria, ſera prudentia, citata mors. Quo fit vt quam nos ſæpe putamus ſapientiam ſcientiamúe eſſe, is error ſit, ſiue cæleſtium fulciatur aſpectu, ſeu naturalium cauſſarum, ac materiam ſecum trahentium, eminenti ſuſpicione nitatur. Quod Chaldæis philoſophis Eſaias ille nobiliſsimus vates ad vrbem Babylonem ſcribens improperat : ſapientia tua & ſcientia tua, ea ipſa decepit te. Saluent te Aſtrologi cælorum (vt Capnionis translatio habet : & quidem mea ſententia melius, quam ſi transferatur, aruſpices cæli. Nam hebre ſunt aſtrologi, qui contemplantur ſtellas, & ſupputant menſes) à quibus veniant tibi quæcunque futura ſint. Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum, vnuſquiſque in via ſua errauerunt. Vtroſque igitur complexus eſt, & qui rimantur inferiorum cauſſas, & qui cæleſtes influxus curant, alter errat ſupputando, alter conſilia colligendo, vterque ignorans adæquatam operationum virtutem, omniumque circunſtantiarum conditionem. Quare ſiue ſapimus ſempiterna, vnde ſapientiæ nomen eſt, ſiue ſcimus perpetua, quibus ſex materiæ modica extat, ſeu cognoſcimus momentanea, fluxa & caduca, quæ tempori cœloque ſubiacent, ſemper illis recta fides ſuperior eſt, per quam amplius fit mens noſtra cum ſupernis intelligentijs actu eadem, & cum Deo coniuncta. In quo relucent omnes rerum cauſſæ multò eminentius, multo nobilius, quam ipſe conſiſtere queant in effectibus. Ideo inquit apud Capnionem Baruchias, concedam ingenioſis viris in actionibus cautionem, circunſpectionem, prouidentiam, in ſtudijs ſagacitatem, ſolertiam : in conſideratione rerum omnium docilitatem, artem, intelligentiam, opinionem. At verò de quibuslibet ſenſibilibus conſtantem, puram & ineffabilem ſcientiam homini negauero, niſi non humana diſciplina, ſed diuina traditione iugiter, ab vno & item ab altero fuerit recepta, quã Receptionem latinè appellamus. In qua maiores noſtri, quibus

ſama ſapientiæ nomen addiderat, præparatis ſementibus exercuere, vt Abraham quiſquis tandem is fuerit, vt Simon filius Iohai, vt Abraham ſecundus cognomento Alaphias, vt ille Rambon, vt Racanatenſis, & reliqui circa religionem diuinam, circa inſtituta, circa ſolennia, ritus, phana, obſeruationes, ſacraque myſteria, multis annorum curriculis ſtudioſi. Itaque ad diuinam reuelationem obtinendum, inuocatione nominis diuini opus eſt. De quo Zacharias. Ipſe inuocabit nomen meum, & ego exaudiam eum. Tribus characteribus in tẽpore naturæ, & quatuor characteribus in tempore legis, & quinque characteribus in tempore gratiæ inuocata eſt diuina omnipotentia. Nunc filij Dei ſumus idcirco quinque literis vtimur, propter eum in quem credimus, & quem inuocamus mediatorem Dei & hominis, eundemque Deum & hominem, Dei ſummi Brachium & potentiam. Si quis igitur velit ſecurè prophetare, & omnia operari, haud abs re, vt Paulus Coloſſenſibus, ita ego omnibus conſulo. Quodcunque facitis in verbo & opere, vt omne id in nomine domini noſtri IHSVH Chriſti faciatis. Hoc eſt ſalutiferum, hoc medicamẽtum, quin potius hæc ſalus noſtra & medela. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datũ hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Hoc eſt atrium, hæc porticus, hoc oſtium, hæc prima ianua ad Deum, hoc lauacrum, hæc adoptio, hæc retributio noſtra, hæc expletio voluntatis noſtræ, hæc conſolatio noſtra, hæc vita, hæc religio, hæc reuerentia noſtra, vt in nomine IHSVH omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Hæc vltio & vindicta contra impios. Hæc eſt pijs lætitia perfecta, hæc eſt adiuratio & exorciſmus vehemens atque fortis. Hæc eſt audacia, hæc eſt fiducia noſtra. Quid pluribus? Hæc eſt præſentia Dei, qui ait, Vbicunque duo vel tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio eorum, vt intelligamus, ſicut pater eſt in filio, & filius in hominibus, ita nomen patris clarificatum eſt per filium, & nomen filij clarificatum eſt per homines, & vnum eſt filij & patris nomen, excepta conſonante litera ש: ſicut filius & pater vnum ſunt excepta humanitatis natura. Quapropter verè dixit, ô pater manifeſtaui nomen tuum hominibus, quia verba quæ dediſti mihi, dedi eis vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. Ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum, & notum feci eis nomen tuum & notum faciam, vt dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis. Non incertes

iam

iam ſunt qui omnis ſtupendæ operationis,& rerum omnium mirandarum doctrinam perceperunt. Hic eius artis locus,hæc diſciplina eſt,hic lapis philoſophorum, longè quidem eum exuperans,de quo Alchimici errantes contendunt.Hæc vox eſt, hi ſunt characteres,qui bus inuocatur omnipotentia, rebus ſupra communem vitæ modum agendis.Idcirco ſolius Dei verbo ac voluntate miracula fiunt: & omne hominis miraculum cuius vera & non imaginaria deprehenditur ſubſtantia,tum grande,tum mediocre,tum minimum, ſi ordo ſacrorum præſcriptus obſeruetur,referendum eſt,ſemper in Deum glorioſum,cuius nomen ſit benedictum in ſempiterna ſecula. Is enim ſolus eſt,qui vel ſeipſo,vel delegato non ſine ſeipſo, vel per ſubſtitutum ex ſeipſo , talia facit qualia demiramur: quorum cauſſam adæquatam ſcire non poſſumus,vel quod fiant,vel quod hoc modo fiāt.Quin potius quod in nomine Dei regant angeli,gubernent officia, & munus exequantur ſibi delegatum,quibus iuſſa capeſſere phas eſt,in quibus Deus habitat,& in quibus vehitur,& ſuper quibus ambulat:haud ſecus atque nos ipſi mortales,vt inquit Apoſtolus,cooperatores ſumus Dei, cuius Arato teſte in Phænomenis & genus ſumus pariter cum angelis,in quibus & per quos agit quod vult. Non igitur nos ſumus qui miracula facimus,ſed Deus Opt.Max.cui confiteamur, qui facit mirabilia ſolus,quoniam in ęternum miſericordia eius.Solus primus atque maximus Deus,portenta,miracula, prodigia ,ſigna,præcipuè facit,quæcunq; vera & non præſtigioſa ſunt. Vel dum angelos ſuos, quandoque diuino dignatur honore mirabilia eiſdem opera demandat facienda:In nomine tamen ſuo,ne det alienis honorem ſuum, & gloriam ſuam alteri, & vertatur homo ad creaturæ cultum relicto creatore.Quapropter nomen ſuum in angelos reponit,ne quod acerrimè omnium ſemper odit,per nos admittatur formarum cultus,quā Græcè idololatriam dicimus. Vnde ad populum ſuum ait,Ecce ego mitto angelum meum,qui præcedat te,& cuſtodiat in via,& introducat in locum,quem præparaui,Obſerua eum,& audi vocem eius,nec contemnendum putes,quia non dimittet,cum peccaueris. Eſt enim nomen meum in illo.Quod conſiderans Paulus non ſe iudicauit aliquid ſcire,niſi IHSVH Chriſtum & hūc crucifixum.Fruſtra igitur ad Ariolos & Magorum arcanos antiſtites amentes quidam homines confugiunt,& Aegyptias diſciplinas,& ſi quod eſt aliud ſuperſtitio-

nis collegium: cum nos ipſi certiorem præſagij formulam teneamus, vnius nominis ſamiliare numen, faciles ceremonias, incredendas potentias, admirandas vires, qui totius naturæ dominium & imperium omnis ſecretæ virtutis in cœlo & in terra, & ſpiritum omnipotentiæ noſtro ore gerimus. De quo Hieremias in planctu loquitur, Spiritus oris noſtri Chriſtus dominus. Sed abijciamus feralia carminum ſecreta, & varios furores, & execrandas artes, & philtra vim ſactura deis, & colchicos ſucos, & dæmoniacas factiones: Plutonica demq; volumina, & vmbrarum libros & Stygias coniurationes, & Acherontæos ritus, membrana, chartaúe contentos πυρὶ καὶ φλεγέθοντι, hoc eſt igni focoq; tradamus: cui autores quoque ipſi à quibus hæc vanitas duxit originem, non abſq; ſempiterno ſuo cruciatu aſſcripti ſunt: & nitamur Deo, inq; Dei filium, quo viuimus, mouemur, & ſumus, inconcuſſam, ſynceram & ſimplicem habeamus fiduciam, qui de ſuo veritatis ore nobis infallibiliter pollicendo promiſit, dicens, Amen, amen, dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet, quia ergo ad patrem vado, & quodcunq; petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam vt glorificetur pater in filio. Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Hæc ſunt diuina teſtimonia, hæc ſacrorum noſtrorum monumenta hæc ſacerdotia memorabilia, hæc puriſsima ſigna, hæ noſtræ ceremoniæ paucis contentæ, facili vſu, vili apparatu. Hæc ars noſtra, inquit Capnio, cœlo ſublimior, tartaro profundior, libera periculis, vmbrarum hoſtis, contemptrix laruarum, ſimulacrorum peroſa, nec profano thure, nec mero indigens, vniuerſis manibus, lemuribus, laruis imperitans, omnia buſta, omnia ſepulchra, & ſpecies mortuorum deſpiciens, & inania terricula menta, & noctium occurſacula, & inferorum commeacula hilari vultu abigens, fatum & naturam vincens. Et quicquid vnquam optamus, ſi modus à magiſtro traditus obſeruetur, inceſſanter conficiens, & indeficienter adimplens. In hoc nomine ab vtero matris & ab incunabulis claudus Hieroſolymis exiliens ſtetit & ambulauit. In hoc nomine Dorcas mortua in Ioppe reuixit. In hoc nomine Aeneas Lyddæ, octo annos incumbens lectulo paralyticus continuo ſurrexit. In hoc nomine Paulus in Macedonia ſpiritum Pythonis ex puella Dæmoniaca eiecit. In hoc nomine per manus apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe. Hermione Philippi Apoſtoli filia & Petronij, quem Paulus docuit, diſcipula medicinam profeſſa, cunctos

inuocatione IHSVH Chriſti ſanauit. Quo etiã verbo Theophilæ filius ille presbyter Philotheus, & riuũ in vinũ conuertit, & grande ſaxũ diſcedo amouit, & eſurientib. mox ſatietatẽ panis præbuit. Hilarion hoc ſolo nomine multis miraculis claruit, Maris inundationẽ inhibuit, vt paulatim in ſeipſum relaberetur, piratas in ſe irruentes repulit, ſurentẽ camelũ domuit. Orionẽ à legione dæmonũ liberauit. Nihil dicam de Pauli miraculis, nihil de Ioãnis Euangeliſtæ, qui oẽs præſtigias Cynopis vno IHSVH Chriſti nomine proſtrauit. Dæmones vſq; adhuc contremiſcunt, cũ Chriſti nomen inuocatur, vt ait Nazianzenus in defenſorio. Neq; noſtra quidẽ malitia euaneſcere fecit virtutẽ tanti nominis, & poteſtatẽ ab eo tẽpore quo Chriſtus, Marco teſtante, in Euãgelij ſui calce, loquutus eſt, In nomine meo dæmonia eijcient, & apud Lucã, Ecce dedi vobis poteſtatẽ calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper oẽm virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Hoc nomẽ IHSVH proinde eſt omnium arcanorum ſecretiſsimum ſignaculum, ab homine nuſquam repertum, ab vno Deo traditum, Nomen ſanctum & honorandum, Nomen vnum quo ſolus Deus eſt benedicendus. Nomen potentiſsimum quod colunt ſuperi, obſeruant inferi, oſculetur vniuerſitatis natura, quod ab aſsiduis cultorib. imbibitũ, & ſacerdotijs mentib. ineſcatũ, mirifica imperia humanæ naturę condonat. Huius ſciendi modus eſt confœderatio Dei cũ homine. Quia vos mihi, inquit, aſſumã in populum, & ero vobis in Deũ. Ecce vtrinq; amor & dilectio. Non enim cõmuni obligatione ac nexu tantũ opus eſt, ſed neceſſario nouũ fœdus cũ Deo coibimus ſuper verbo יהוה, ſi cupimus eius virtutẽ in nobis operari, ait Baruchias, quod eſt יהשוה. cuius emanatio per formã quidẽ in angelis, per participationẽ veram in animabus rationalibus, per imaginariã in rationis expertibus, per vmbratilẽ, in coporũ figuris reperitur, & ſempiternæ cuiuſdã pluuiæ cõſueto more ab excelſo, ad ima defluit vniueſa rigãdo. Siue igitur virgula diuina, ſiue applicatiõe Ephod, ſiue Nomognomia, Logiſtice & ſimilibus modis in nomine IHSVH operatio fiat, caſtis labijs, inculpata vita, moribus: cõſtanti pietate & fide, quis id malo Dæmoni tribuet? Diuerſa ſunt dona, vnus aũt Deus: variæ operationes, vnus aũt ſpiritus, qui operatur ſicut vult in omnibus & per omnia. Sola aũt recta fides, quia eſt ianua miraculorũ, quam ſi negligas, penetrare nequeas & arcearis iuſtè ab adytis, & ab oraculorũ cõcionib⁹: miror quomodo

eam docti quidam impoſtores à rudibus & ſimplicibus auferant. Imò aſſeueranter affirmo, miracula ſimplicium & indoctorum cognatiora veræ fidei, quàm aſtutorum & peritorum hominum: quod hi ſuſpicione idololatriæ minus carere queant. Si enim Aſtrologorum artem conſulas facilè in eximias vanitates ne dicam hæreſes incides, quę religioni fidem adimant, miracula extenuent, prouidentiam tollant. Omnia enim illi conſtellationum vi prouenire, & à ſideribus fatali neceſsitate pendere docent, ſicut Ioannis Pici Mirandulani Principis libris duodecim aduerſus Aſtrologos proditum eſt, copia tanta, vt vix vllum prætererierit argumentum: tantaque efficacia, vt hactenus nec Lucius Balantius acerrimus Aſtrologiæ propugnator, nec alius quiſquam huius artis defenſor, hanc ab adductis à Pico rationibus potuerit ſaluare. Is enim probat validiſsimis argumentis, illum non hominum ſed malorum dæmonum fuiſſe inuentum: quod idem etiam Firmianus ait. Neque aliunde Manichæorum hæreſis pullulauit, arbitrij libertatem in totum tollens, & auferens, quàm ex Aſtrologorũ de fato falſa opinione atque doctrina. Ex eodem fonte & Baſilidis hęreſis emanauit, qui trecentos ſexaginta quinque cœlos, per ſucceſsionem & ſimilitudinem ab inuicem factos pronunciauit, & horum oſtenſionem eſſe numerum dierum anni, atque ſingulis illorum certa principia, & virtutes, & angelos aſsignans, ac illis nomina adfingens: eſſe autem omnium principem Abraxas, quod nomen iuxta Gręcam literaturam, continet in ſe tercentum ſexaginta quinque, quot videlicet ſunt illorum cœlorum locales poſitiones, ab illo commentæ. Huius Aſtrologiæ prædictiones etiam Ptolemæus ipſe maiori ex parte nos fallere aſſerit. Baruchias apud Capnionem iſtius vanitates ſatis ridet, eiuſq; mirifica illa machinamenta, quæ promittit, vel in componendis imaginibus, vel ſculpendis annulis, vel prædicendis euentis, vel fortuna infortuniaq; diſpẽſandis, & omnino incomprehenſibili cœlorum poteſtati naturis inferiorum ſigillatim applicãdis, ſtultitiã & fallaciam recitat. Qui haud parum temporis in eo præſtigio contriuit, quãquam vanè, tamen eius nondum ſe pænitet, qui ſummis rationibus cæteros mortales, hoc facilius à tanta pernicie poſsit auertere. Nam cum totam ętatem, in tam ſacrilego negotio conſumpſeris, inde nihil quod ſit, ſed quod fortè videatur, ægrè tandem extorſeris, cum expectatione ſummi periculi, vitæ, atq; necis. Et ſi enim vniuerſa arcanæ ma-

næ magicæ admiranda ſecreta cum aſtrologorum adinuentionibus abundè adipiſcaris, quibus obaudiant manes, turbentur ſydera, cogantur numina, ſeruiant elementa, veliſque cum inexpugnabili eius diſciplinæ poteſtate, & cæca numinum coactorum violentia, vel ſi malueris opportuna candidorum Deorum caterua expertem omnis ruditatis operationem conficere, tamen attonitus tunc quidem & ſtupefactus tanta dæmonum turba, qui numen id, quo tu in ſacris propitio ad obiectam actionem voles vti, tanquam præcurſores & pompæ quædam præcedant, abhorrebis, opusq; infectum relinques, detrimento tibi, & cęteris ludibrio futurus. Rogandus proinde eſt Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt graui iſta moleſtia Aſtrologicæ vanitatis, & importabili onere ſuos leuet, illorūq; ſtudiū à tot aſtris, tot dæmonibus, tot præceptis, tot ritibus & vanis obſeruationibus liberet. Neque enim numularia illa ars, ſiue Goëtica, cuius mirandi effectus multos in ſuam carnificinam pertrahunt, aliena, à præſtigijs dæmonum eſſe poteſt. Ac ſi omnes partes Magiæ coniungātur, omneſque inuicem ſint cognatæ, tamen nec Aſtrologia ſine Phyſica, nec Magica ſine Aſtrologia & Phyſica conſtare poſſunt: quas omnes vanos habere exitus, & poſt immenſa laborioſaque ſtudia fruſtratos euentus, vel experientia ipſa docet. Itaque diuinarum rerum perceptio nulla arte à nobis inueniri poteſt, niſi deſuper detur, nobis prius quidem purgatis, & ad Deificam lucem conuerſis, vt tunc illa ſuper cœleſtis aquæ pluuia in capita noſtra deſcendat, præcluſis ſenſibus, mente quieta expectantibus, ac interdum laudantibus & adorantib. id pelagus bonitatis, ex quo non tantum mirifici nominis, & ſacrorum verborum, verumetiam omnium mirabilium ad nos vſque deriuantur fluenta, & diuiniſsimi emanant riui. At videamus quid illi nummi cum diuinitate habeant cognationis. Primùm delectus metallorum obſeruatur, obſeruantur & conſtellationes Aſtrologicæ vanitatis, imprimuntur tum nomina quædam ignota, & characteres ignoti, quibus mederi morbis omnibus, tollere pericula, & infortunia impedire, & ſuperiora omnia aſtringere, regere, & nihil non facere ſe poſſe pollicentur. Hos videtur mihi Baruchias apud Capnionē his verbis notaſſe, Pudeat, inquit, aliquos, & quidem vt ipſi ſe putant optimè de Philoſophia meritos, qui cum alia multa, non mediocriter inſaniæ atque dæmentię ſemitam gradientia profitentur, tum hoc

vel maximè moliuntur vt nobis perſuadeant, artem eſſe certam ad cuius regulam neceſsitate quadam, Deorum voluntates, vel anguſtijs verborum, vel characterum vinculis aſtringantur, cùm iniuſsi nihil agant, & qui iuſſerit, non regi, ſed regere cõſueuerit, quippe qui ſummus eſt, idcirco figmentis inferioribus nequaquam ſubiectus. Porro præſtigiorum eſſe doctrina poteſt, miraculorum verò nulla, niſi feruens cum diuinitate vnio: qua non ipſi nos per Deum, ſed Deus per nos ſuorum amicorum votis gratificando aliquid efficiat, quod cæteri admirentur. Non igitur impunè Moſes in deſerto Zin, & frater eius Germanus populo ſuaſere, de petra duriſsima ſe poſſe aquam producere, neque id vero autori attribuere, ſed eatenus ſibi ipſis præſumpſerunt, quatenus claritudo nominis ipſorum in plebe creſceret: nimium quidem ſtultè, vt dum cauebant ne propria erga ſubditos minueretur grauitas, paterentur quod Dei læderetur maieſtas. Quare ad terram lacte melleque manantem vetiti ſunt accedere, vt diſcant iuniores, miraculorum operationem in vnum ſolum maximum Deum referri debere, qui facit mirabilia magna ſolus. Non nobis profecto, non nobis, ſed Dei nomini danda eſt hæc gloria. Vnde ſatis apparet nummos illos peregrinis & nominibus & characteribus non aſtringere ſuperiora, & operationem illorum lædere maieſtatem Dei. Nam quod Deus eſt, vel denique quod non homines primum, ſed ipſe ſolus optimus maximus ſua præſentia & aſsiſtentia (inquit idem Baruchias) conſecrauit, & virtutem illi ſuam infudit, id vnum præter cætera verè debet ſacrum appellari, & ſanctum, quod Deus ſanxit, & honori ſuo, non humanis illecebris reſeruauit. Hinc vulgo linguam ſanctam Iudæorum dicimus, & ſacras literas digito Dei conſcriptas, & nomina ſacra non ab hominibus inuenta, ſed ab ipſo Deo inſtituta. Si quando autem in miraculis gens quælibet ſuis vocibus vtitur, præſtigium potius quàm miraculum eſſe probatur: & non Dei aſsiſtentia, ſed ex pactione dæmoniorum ſortitur effectum. Quod quam periculoſum ſit diſputatum eſt. Ad ſummum qualis eſt diſtantia ſignorum Dei à Goetia & veneficio, tantum intereſt, vt paucis concludam, in ſacris inter verba Hebræorum & verba idololatrarum, quod per Moſen docti ſumus, qui baculum verbo Dei vertebat in ſerpentem. Aegyptij verò malefici, quos ſapientes vocabant humanæ diſciplinæ, incantatis verbis ſimi-

les

les imagines obtutibus regijs obſuderunt, quas in reuelationem præſtigij Moſaicus ſerpens deuorauit: Quarè mihi non indoctè viſus eſt Romæ nuper quidam nobilis Philoſophus propoſuiſſe, nulla nomina in magico licitoque opere æquè virtutem habere, ſicut Hebraica vel inde proximè deriuata, eo quod omnium primum hæc Dei voce formantur. Illud autem in quo potiſsimum Magicam exercet natura, vox eſt Dei. Hæc ille. Ex quo nulla difficultate conſtat nummos illos & idololatrica cultura inſigniri, & præſtigijs ſcatere, & effectum ex pactione dæmonum ſortiri. Cæterum, Idem antea retulit in miraculoſis operibus efficiendis, nec Phœnicum, nec Græcorum, nec Aegyptiorum, nec Indorum, nec Druidum, ſeligenda verba eſſe, ſed tantum Iudaicæ gentis, & illius antiqui Hebri, cuius ſermo in diſsipatione linguarum vſque ad Moſem, & poſt illum ad nos purus, atq; ſanctus peruenit: æquè referens primam à mundi exordio inſtitutionem dicendi, quam non ab homine, ſed à ſolo Deo primogenitos accepiſſe neceſſariò arbitramur, præcipuè in diuinis nominibus, quorum poſitio ſupra hominem eſt. Quomodo igitur horum nummum peregrina verba & characteres diuinitatem ſapere poterunt? Ita factum eſt vt Aegypti ſacerdotes illuſtriores ſuis, Hebræorum nomina immiſcuerint, quibus efficatius vterentur, cùm quid vellent ſecreti in lucem producere, & ea quidem nõ niſi longæuo & occulto ſtudio didicerint. Quocirca verba quibus inter ſacra immutabiliter & incontaminatè olim ſapientes vtebantur, non erant Aegyptia, quin potius Moſaica. Atq; ideo Aegyptia verba, neq; ſunt à Deo, neque ab antiquitate, ſed nuper excogitata teſte eodē Baruchia. Sed etiam idem alibi ait. Cum quibus, inquit, Aegyptiorum quotidiana fuit in tēplis conuerſatio, & qui erant humana proximitate contenti, non dij, ſed dæmones ſunt, à proauis contra Dei placitũ effecti, poſt homines natos orti, & vel tam fatui, vt nõ loquantur, ſed adnuant, vel tam verſuti vt factoribus ſuis Aegyptijs cuncta blandiantur, dicentes quæcunque aures demulceant. Vnde nihil ſtabile, nihil firmũ, nihil conſtans, nihil Deo gratum haurire poſsis, cui & ipſa illorum diſplicuit generatio. Porro cum Deus mente noſtra conſpiciatur, & verbo parturiatur, vtiq; ſicut ipſe mentis ſedem inſenſibilem, ita & verborum ſenſibilem elegit manſionem, non omnium, non fortuitu cadentium, ſed quæ nobis diuinitas primum inſtituit,
non

non humana inuentio cogitauit. Scit enim Deus cogitationes hominum quoniam vanæ ſunt. Cogitatio autem Dei ſoſpitatrix eſt, & ſalutifera, permanens, inuincibilis, & certa, quomodo putat ita erit: quomodo mente tractat, ſic eueniet. Dominus vniuerſi decreuit, & quis poterit infirmare? Igitur non omnia verba numen poſsident, ſed quę ſummus mundi & hominum Deus, vel angeli perſpicaces iuſſu prouidentiaq; Dei certo modo compoſuerunt, æternitatis harmoniam reſonantia, diuinitatis tenacia, beatificæ diſpenſationis cōpagine ſpirātia, tanquam inſenſibilis deificationis ſenſibilia monumenta, quæ literarum immobili ſtabilitate, & vocalium membrorum ſempiterna firmitate nixa, ſimul admittant & alternitatem modulationis inconcuſſam, & agilitatem pronunciationis non quæſitam aut fictam, ſed natiuam, ſimplicem & venerandam. Quibus internuncijs fœdus cum homine Deus percutit, non quocunque, ſed cum eo, qui ſanctimonia, pietate, religione, potiſsimùm verò credulitatis fiducia clareſcat. Igitur ſi decretū quoddā loquendi conciliare debeat humanā mortalitatem cum Dei virtute, decebit ſacroſancta illa, ſiue nomina ſeu verba malis, prima recta & antiqua eſſe. Antiquum quippe accedit æuo: æuū æternitati propinquum eſt, & æternitas Deo vicina eſt, qui ſupra æternitatem regnat. Vnde antiquus dierum à priſcis Theologis nuncupatur, eo quod regno pręſidet omnium ſæculorum. Itaq; cùm nil horum iſti nummi contineant, ſed expreſsè Hebræo ſermoni & antiquitati repugnent, nemo non videt fallaciam & præſtigium illorū. Fac eſſent Hebræa, & ab ipſis Iudæis confecta, qui in diuinis nominibus peritiſsimi ſunt, tamen nihil poſt Chriſtum, ſicut priſci illorum patres operari poſſunt. Idcirco ait Baruchias, Nullum eſſe Hebræum hoc æuo, quem ea verborum poteſtas comitari velit. Sed noctem totam poſtquam legitima ſacra mutarunt fruſtra, murmurant, fruſtra Deum inuocant, quem nón, vt ipſe vult, colunt, ſed inuentionibus ſuis blandientes etiam nos Dei cultores, liuore immortali oderunt quod in primis reſpuit diuinitas, quæ pacifica mentibus humanis inſidere cupit. Hinc eſt vt etiamſi Hebræi multa verba ferme ſub modio recondant, & in arcanis habeant, quæ ab illis mirifica eſſe cenſentur, & quæ ipſe multum quoq; relegi, nullum ſortiantur effectum. Hinc etiam quod nulla illis ſit prophetia: ſicut & Delphis oracula ceſſarunt: niſi ſacrilegus aliquis inuentus ſit, qui lucri cauſſa portentum

pro-

promittat,tam deſipientibus quàm decipiendis. Idem & nobis prô dolor euenit: vniuerſa enim pretio ſacra prophanantur à ſummo ad imum,vt iam ſint venalia mercede omnia,quam, dum vetant iure actionis apud iudicem expoſtulare, tutum perfugium Eccleſiaſtæ exquiſierunt,implorando iudicis officium, vt ritus tradendi nummos haud pereat:quaſi non ſit merces petita,quæ ob conſuetudinem petatur,cum neque conſuetudo vocari debeat ea,quæ contra Deum machinatur.Sed taceo quæ prodigia, quæ miracula populo prædicant, vt onerentur muneribus donaria,& nummis ſua redundent vniuerſa. Velut,inquit Actius,Aures verbis diuitant alienas,ſuas vt auro locupletent domos.Haud ſecus & hic magicos, adfert cantus, & ille Theſſala Philtra,& Iudæi ſomnia vendunt. Ceſſante igitur auaritia, neminem fore arbitrabor poſterius, qui verbis figurisúe miracula ſe facturum polliceatur,niſi demens aliqua ſaga diuinipotens rus habitet,quæ à ſtolidis quibusque credi velit,admodum perita cœlum deponere, terram ſuſpendere,fontes durare, montes diluere, manes ſublimare, deos infirmare,ſydera extinguere, tartarum illuminare, quæ anilis amentia quandoque in ipſis flagris errare deprehenſa eſt,& non Romanis tantum, verum etiam vetuſtioribus Hebræorum legibus vltimo vitæ ſupplicio vindicantur. Itaque horum circulatorum apertè ſe prodit fallax pręſtigium,& noſtro æuo iam pridem confiċta ſeſe profitentur ipſa volumina.Si quis & verborum conſuetudinem,& ſententiarum vim,& characteris genus ipſum conſiderauerit.Nam nihil obſtabit quin cernere detur plánè,non diu ex vnius conſpirationis volutabro cunctos eiuſcemodi libros,quibus furciferi ſuſpendunt præ foribus voluminum ſplendidos titulos, & modo hunc eſſe librum Enoch,quem diuiniorem ante cæteros omnes fuiſſe vetuſtas aſſeruit,modò illum Salomonis mentiuntur, facilè indoctis auribus irrepentes,hac inſigni coniectura,quam ex libris Ioſephi Antiq.8.augurari liceat,noſtro æuo ſcaturijſſe.Deinde ſi quę ipſi ſuis voluminibus ex priſcorum actionibus indiderunt,ad artem commodè ſe habentibus,tamen qua ſunt ruditate literarum,nihil infractum obſeruare queunt,non verba ipſa,nec numeros, neq; figuras. Ignorant etenim quod Aegyptij duplici charactere vtuntur, vno in prophanis,altero in ſacris.Quod deniq; Chaldæorum linguam, & Hebræorum quam operi magico neceſſariam atteſtantur, ſimili chara-

ſteris imagine ſcribimus. Nihil igitur horum, & Robertus Angelicus, & Bacon, & Abamus, & Picatrix & Conciliũ Magiſtrorũ, vel maxime ob linguarũ ignorantiam, ad amuſsim vt oportet, tenere atq; docere, minus etiam librariorum manus, ab exemplis dupla ſcribentiũ non aberrare, minus diſcipuli diſcere, minus operarij potuerunt operari. Imò tota iſta nummularia ſiue circulatoria ars eſt præcipua ſpecies magiæ veneficæ, quam pharmatiam vocant, quæ poculis, philtris, varijsq; veneficiorũ medicamentis perficitur. Qua eo dementiæ quidam deuenerunt, vt ex diuerſis ſtellarum conſtellationibus, per temporum interualla, & quadam proportionum ratione ritè obſeruatis, conſtructam imaginem cælitum nutu vitæ intellectus ſpiritum accepturã putent, quo conſulentibus illam, reſpõdeat, & occultè veritatis arcana reuelet. Hinc patet hanc Magiam nonnunquam in Goetiã & Theurgiam reclinatam, ſæpiſsime malorũ dæmonum vaframéčtis, erroribusq; obretiri. Goetia, immundorũ ſpirituũ cõmertijs inauſpicata, nefariæ curioſitatis ritibus, illicitis carminibus, & deprecamentis cõtinuata, omniũ legum placitis eſt exterminata & execrata. Huius generis ſunt, quos necromanticos & maleficos ſupra nũcupauimus. Hi ſunt qui defunctorũ inclamant animas, & illi quos veteres dicebãt Epodos, qui excantant pueros, & in eloquiũ oraculi eliciunt, & qui dæmones paredros circunferunt, & qui, vt dicitur, ſpũs paſcunt in vitro, per quos ſe prophetare mentiũtur. Hi oẽs vel malos dęmones virtute quadã maximè diuinorum nominũ adiuratos, aduocare & cogere ſtudent, quòd omnis creatura timeat & reuereatur nomen illius: vel nefandiſsimi, deteſtãdo & omnibus ignibus plectendo ſcelere, ſe dæmonibus ſubmittentes, illis ſacrificãt, & adorant, idololatræ, & viliſsimæ deiectionis rei facti ſunt: quibus criminibus etſi priores illi nõ ſunt obnoxij, tamen manifeſtis periculis ſe exponũt. Nam etiã coacti dæmones inuigilãt ſemper quo errãtes nos decipiãt, licet Auguſt. nõ admittat, vt magis ſuis characterib. & exorciſmis, aliqua vi cogere poſſint dæmones, ſed magis quod vt ſigna fœderis illos alliciant lib. 21. de Dei. c. 6. vtq; tanto magis dæmones, ipſos homines decipiant, magico artificio adſunt, & ſub certa conſtellatione aduocati, adueniunt, vt eorũ virtus tantò admirabilior ſit: & huius artificj paucos faciunt diſcipulos, plurimorumq; doctores. Ac inde vniuerſa hæc ars Magica emerſit. teſte Thom. 1. par. q. 16. art. 5. 2. diſt. 7. q. 3. ar. 1. de po. Dei. q. 6.

Huius

Huius vſus prohibitus eſt. Exo.22. Leuit.20.Item C.de male & mathe.l.nullus l.nemo & l.culpa,&c.Deinde 26.q.5.apud Can.26.q.2.c.Qui ſine.Auguſt.lib.7.de Ciuit Dei.c.25.Hæc pars Magiæ quoniam habet quaſdam prophanas obſeruationes & noſtræ religionis ceremonijs permiſtas,& ignotis nominibus multis,atque ſignaculis refertas,vt perterreant rudes,& ſimplices,& ſtupori ſint inſenſatis, & his qui neſciunt bonas literas: haud alienum iudico ab iſta nummularia inſania.Sed fortè Theurgia huic vanitati magis patrocinabitur, quam pleriq; putant haud illicitã,quaſi hæc bonis angelis, diuinoq; numine regant,cum ſæpiſsimè tamẽ ſub Dei & angelorum nominib. malis dæmonũ fallacijs obſtringatur.Quamuis neget Thomas,incorporeas ſubſtantias corporeis rebus ſubdi.q.de po.Dei q. 6. art. 10. & Aug.lib.12.ſuper Gen.Qui etiã alibi idololatriam eſſe dicit,imagines geſtare gentiles,& credere illis aliquid diuinitatis ineſſe,propter mirabiles operationes,quas dæmon inhabitans ſiue aſsiſtens operatur. Credere itẽ arte quadam ſub certis conſtellationibus animas dæmonum vel angelorum includi poſſe.Hanc vanitatẽ Auguſt.ferè decem primis libris de Ciuit.Dei explodit.de qua re & Pſal.ait, oẽs dij gentium dæmonia.Diuinationi etiam ſemper intereſſe pactũ cum dæmonibus ait Hieronymus ſup.Micheam.Et idcirco approbatis exorciſmis & characteribus,&c.quóties inuocantur per huiuſmodi initi pacti ſigna recognoſcunt pactũ,perq; ſigna illa alliciuntur. Plura Auguſt.lib.2.de Ciuit.Dei.cap.22.& lib.3.cp.7.& 9.& lib.80.q. q.79. Itaq; Theurgia non ſolũ naturalibus viribus,ſed etiã certis ritibus ac ceremonijs,dum cœleſtes,& per illas diuinas virtutes, ſibi conciliat & attrahit,pars earum ceremoniarum præcipua in munditia ſeruanda conſiſtit,primum quidem animi deinde etiam corporis, & eorum quæ circa corpus ſunt,vt in cute,in veſtibus,in habitaculis,in vaſis,in vtenſilibus,oblationibus,hoſtijs,ſacrificijs,quorum munditia ad diuinorum conſuetudinem & contuitum diſponit,& in ſacris ſummo pere efflagitantur,iuxta verba Eſaiæ,Lauamini, & mundi eſtote,& auferte malum cogitationum veſtrarum.Immunditia verò, que aërem frequenter & hominem inficit,mundiſsimum illum cœleſtium, & diuinorum influxum,vt Agrippa refert,diſturbat,& mundos Dei ſpũs fugat.Verum nonnunquã immundi ſpũs,& deceptrices poteſtates,vt venerentur & adorentur pro dijs, vt antea dictum eſt, etiam

hanc munditiam exquiritur. De hac Theurgia concludit Porphyrius Theurgicis conſecrationibus poſſe quidem animam hominis idoneā reddi, ad ſuſceptionem ſpirituum & angelorum, ad videndos Deos: reditū verò ad Deum hac arte præſtari poſſe, inficiatur omnino. Huc ſpectat ars Almadel, ars natoria, ars Paulina, ars reuelationum, & eiuſmodi ſuperſtitionum plura, quæ figuras, characteres, & nomina ignota continent, itq; eo ipſo ſunt pernicioſiora, quo apparent impe ritis diuiniora: Et hæc ipſa omnia reijciuntur. Thom. ſecunda ſecundæ q. 69. art. 1. Auguſt. lib. 2. de doct. Chriſt. plura. Itaq; quid ex iſta va nitate ſpectare debeamus, non inuenio, niſi quod Agrippa deprehen dit, videlicet. Quicunque non in veritate, nec in virtute Dei, ſed in eluſione dæmonum, ſecundum operationem malorū ſpirituum, diuinare, & prophetare præſumūt, & per vanitates magicas exorciſmos, incantationes, amatoria, lenocinia, illectamenta, & cætera opera dæmoniaca, & idololatrię fraudes exercentes, præſtigia & phantaſmata oſtentātes mox ceſſantia miracula ſeſe operari iactant: omnes hi cum Ianne & Mambre, & Simone Mago æternis ignibus cruciandi deſtinabuntur. Hęc vt opinor abundè ſententiam tuam confirmant, & va nitatem illam planè conuincunt, atque exterminant. Ac vt vno verbo quod ſentio dicam, vnum eſt verbum IHSVH vna figura Crucis, quæ ſimul coniuncta, omnem noſtram operationem facilem reddit. Secus qui agunt operā perdunt, & impenſam, fruſtra laborant & periculo ſunt proximi, & vanitatis ſuæ damna patientur. Exemplo ſunt illi Act. 19. qui tentauerūt nomen IHSVH ſuper eos inuocare, qui habebant ſpiritus malos. Dæmonium porro inualuit contra eos, ita vt nudi, & vulnerati effugerent de domo illa. Proinde non ſeruātes modum crucis, & legem fidelibus conſciam, nihil admiratione, ſed pœna dignum operabantur. Verbum nanq; vel ratio crucis, perditis, quidē ſtultitia eſt, ſaluatis autem id eſt nobis Dei virtus eſt. Sicut enim natura vniuerſi ordinem ſuum præſcriptū, in ſingulas agit res naturaliter, ita præeminens naturæ domina, omnium cauſſa, diuina voluntas gratiam ſuam illimitatam, in vniuerſas & ſingulas agit res ſupernaturaliter. Et ſint illa medio qualitatum ſenſibilium euidenter, ita iſta quandoq; medio nominum intellectualium confœderanter ſine proportione, abſq; ſimilitudine, ſine cauſſæ ad cauſſata commenſuratione. Quod nos Deus ſuperna reuelatione per Eſaiam docuit. Quomodo

in-

inquit deſcendit imber,& nix de cœlo,& illuc vltra non reuertitur, ſed inebriat terram,& infundit eam,& germinare eam facit;& dat ſemen ſerenti,& panem comedenti:ſic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo,non reuertetur ad me vacuum,ſed faciet quæcunque volui,& proſperabitur in ijs,ad quæ miſi illud. Tria autem ſunt in verbo conſideranda,Nomen humanum mentem eleuans: Significatum eleuatæ menti adhærens,& pactio ſiue confœderatio diuina, quam ſupra per modum ſciendi oſtendimus.Atque ita etiam certiſsima prophetiæ methodus emerſit,& futurorum certa præſagia, cõtra craſſam craſſorum hominum ignorantiam. Qua de re,ne limites Epiſtolæ trãſgredi videar,lib.Inſtit.Philoſoph.omnia ad amuſsim pertractauimus.Hinc porrò chariſsime Martelle, hoc vnum vnicè erit ſpectandum,vt cogitemus,quas opes & copias,quanta commoda,quàm magnas,quamq; honeſtas volupta tes hominũ vitæ Deus Opt. Max. compararit,quæ verò bona pios & ſanctos homines,in illa ſua domo cœleſti,& ſempiterna manent,ea talia ſunt & tanta,vt nulla vis ingenij vel præſtantiſsima poſsit illorum excellentiam,præſtantiamq; cogitatione complecti. Scilicet hæc quam viuimus in terris non vita, ſed mors eſt : atque id quod oculis cernimus, non lumen ſed tenebræ ſunt.At cum exuti corporibus in domum illam beatiſsimam migrauerimus,tunc ex illo ſuo fonte auguſtiſsimo, vitã veram & ſempiternam hauriemus,& cùm ſplendor cognitionis ſuæ plenior & v-berior nobis illuxerit, tunc demum omnium malorum tenebræ faceſſent,& clariſsimam pulcherrimamq; ſummi boni faciem intuebimur. Interim manente hac horribili miſeriarum nocte,nunquam imtermittamus Deum noſtrũ colere ac venerari dulciſsimũ ipſius nomen:laudesque dies ac noctes in animo noſtro atque ore verſentur. Faxit Deus vt omni periculo defuncti,illi gratias agamus, conſeruatori & parenti ſalutis noſtræ. Iam bene & feliciſsimè cum omnibus tuis valebis. Datum Monaſterij 9.Cal.Martij. 1570.

PAV.

Paulus Scaliger, Lectori S.

*DEdita opera cãdide lector, hoc opere Miſcell. quaſ
dam phraſes Encyclopædiæ retinuimus, quod hac
truculenta temporum conditione, paſsim boni ma
lorum moribus æſtimentur, & quicquid abuſum
in Eccleſia Romana ſapit, ipſimet Eccleſiæ Ro-
manæ attribuatur. Quocirca vt bonorum & malorum apud inſanũ
vulgus, & temerariam plebem, diſcrimen euidens appareat, per
peruerſos Chriſtianæ religionis antiſtites, fol. 168. homines atheos
ſignificauimus, qui non canonicè eliguntur, ſed aut per feneſtram
aſcendunt: aut per fauores hominum, aut per emptitias voces.
aut per imperium principum, rapiunt patrimonium Chriſti: aut
vi & armis ſibi Epiſcopatum peruersè propter opes Eccleſiæ ven
dicant, & bona pauperum deripiunt, atque in priuatos vſus con-
uertunt, indeque ſuis contra Eccleſiæ ſtatuta diuitias, honores, di
gnitates, delicias, ornatum, pompam faſtum, cumulant, & id ge-
nus alia, quæ alibi fuſius tractauimus. Fol. 169. Per ſedem Roma-
ni Scorti abſit vt Apoſtolicam & Pontificiam ſedem putemus.
Illos autem hoc nomine notamus, qui in Romana Eccleſia Cathe-
dra Euangelizandi, procaci, & petulanti lingua abutuntur, &
qui vix prima elementa literarum hauſerunt, homines planè abe-
cedarij, ſtentorea voce in bonos, pios, Catholicos & cordatos viros
debacchantur, quæue non aſsequuntur fœdis ſannis excipiunt, &
ſtolidi ignotos lares carpunt, ſacraſq; literas pro libidine curuant,
& omnem prophetiam ex Eccleſia tollũt, Deiq; dona quæ meritò
apud Chriſtianos, & perfectiora, & cumulatiora ſunt, quàm apud
Iudæos, prorſus explodunt. quos lib. Inſtit. Philoſoph. alias perſtrin
ximus. Per ſedem Romani ſcorti item, ſignificamus eos, qui ſimo-
nias exercent, & vi illa pecuniæ, ſedem Apoſtolicam labefactãt,
& ſcortantur dum luxuriant rebus ſecundis, atq; hæreticos perſe
quentes, hæreticis magno ſcandalo Eccleſiæ cõtra Catholicos, &
pro-*

propemodum infinitarum animarum periculo, patrocinantur, & communicant autoritatēq; Pontificiam deridendam exponūt, & pecunioſi, deaurati, multa circundati varietate, locupletes, locupleti in ſede ſedentes, pecunioſum hominē quamuis ſit nocens, neminē poſſe damnari ſtatuunt, ſed ex ſpolijs Eccleſiarum ſuperbiunt, luxuriantur, ampla palatia fabricāt, mutantes quadrata rotundis: pauperū vitam in plateis diuitum ſeminant, nec res pauperū pauperibus dant, quod crimen ſacrilegio par eſſe dignoſcitur: vicarij ſunt, & ſucceſſores Iudæ Iſcariotis, & Simonis Samaritani: Pontifices Max. adulatione & ſimulatione circūueniunt, & decipiūt, atq; populi cōſcientias nomine Pont. Max. eiuſdēq; ſacratiſſimæ ſedis, procaciter & petulāter onerant, ſuas ne attingunt quidē: domos viduarū deuorāt, pijſſimas Chriſti, & Eccleſiæ Romanæ leges laleſactāt, verū Dei templū, ac viuas Chriſti imagines negligunt, & ita autoritatē Pōt. Max. & ſedis Apoſtolicæ proſtituūt, & apud oēs exoſam reddūt. Qui cū in Romana Eccleſia polleāt autoritate, & ſedeant ſub ſede Pōt. Max. ſcortatores, ſaltatores, hiſtriones, lenones, aleatores, helluones, temulēti, venefici & omni luxui atq; ſpurcitiæ expoſiti, (quos ſuo loco proprijs colorib. depinxim9) non ineptè putauimus, ad differentiā Romæ vel in Romano Imperio, & Apoſtolicæ & Pontificiæ ſedis, eos per ſedē Romani ſcorti deſignari poſſe, q̄ haud dubiè vt ibi notatum eſt deſtruetur. Deinde etiā per ſedē Romani ſcorti, hæreſes in Romana Eccleſia ſedētes, Methodo cōtra Naſutum, ſignificari docuimus. Poſtremo animaduertendum eſt, nobis tantum ſuperflui temporis hucusq; nō fuiſſe, vt ſcripta noſtra Encyclopædiæ, poſtq̄ publicis typis excuſa ſunt, relegeremus, aut recognoſceremus. Neq; vero aliqua recognitione operæpretium exiſtimauimus, ſiquidem eam fidei cuiuſdam viri docti amanuenſis noſtri, nomine Georgij Rilleri, ad Typographum deferendam commiſeramus. Cum porro hac recognitione, per otium facta, in Encyclopædia multa exempla hæreticorum

pro

pro catholicis allegari, præter noſtram opinionem deprehendamus, multaq́ corrupta, & etiam à ſtylo noſtro diuerſa, multa deniq; impiè & malitioſè inſerta, quæ Eccleſiam Romanã eiuſdéq́ antiſtites, non poſsint non offendere: velimus candidum lectorem admonitum, vt ſcripta noſtra Encyclopædiæ, cum iudicio legat, & quæ Eccleſiæ Romanæ repugnare viderit, neque nobis, neque typographo, ſed illi ſeruo nequam, qui tritico ſuperſeminauit zizania adſcribat. quod illi facilè præſtare licuit, & pro ſua effrænata, & temerè ſuſcepta cupiditate, immutare, qui manum ſecum habebat qua opus deſcripſerat. Neq; iam video illum fruſtra ſuſpicione corruptelæ, apud multos bonos viros laborauiſſe, eamq́; ſua emanſione auxiſſe: quam tamen nos floccipendentes, non arbitrabamur, hac in parte locum habere poſſe. Hanc perfidiam aduerſariorum corruptela, non tantum in hoc Georgio, ſed quoque in multis alijs noſtris famulis, etiam proximè elapſis diebus, perſenſimus. Hoc vnum enim agunt aduerſarij noſtri, cum iure nihil valeant, vt fidelitatem famulorum noſtrorum, corrumpant, quo minus artibus illorum nefarijs occurrere queamus. Cæterum inſaniant vt volent: Dei tamẽ voluntati reſiſtere nõ poterunt. Itaq; non eſt quod hinc zoilus aliquam inſaniendi anſam ſumat. Profitemur enim, & ſemper ſumus profeſſi, Romanæ Eccleſiæ, & Pont. Max. autoritatem & obedientiam: Illamq́ue Eccleſiam in ſeculum ſeculi duraturam, ſæpius & maximè duplici facie Eccleſiæ patefecimus: cuius iudicio nos noſtraq́ue ſcripta omnia perquàm demiſſè ſubijcimus. Vale.

EPI-

EPITAPHIA.

SCALIGERORVM VERONAE SEPVLTORVM, IN BASILICA MARIAE ANTIQVAE, EX MONIMENTIS A LAVRENTIO SCRADAEO, collectis.

Canis Scaliger Cog. Magnus.

SI canis hic grandis ingentia facta peregit,
Marchia teſtis adeſt, quam ſæuo Marte ſubegit,
Scaligeram qui laude domum ſuper aſtra tuliſſet.
Maiores in luce moras ſi Parca dediſſet,
Hunc Iulÿ geminata dies vndena peremit
Iam lapſis ſeptem quater annis mille trecentis.

Maſtinus tertius pronepos Canis Magni.

SCaligera de gente fui, celerique ferebar
Nomine Maſtinus, claras dominabar in vrbes,
Me dominum Verona ſuum, me Brixia vidit,
Parmaque cum Luca, cum Feltro Marchia tota.
Iura dabam populis, æquo libramine noſtris
Omnibus: & fidei, & Chriſti ſum corde ſequutor
Occubui primo poſt annos mille trecentos
Et decies quinq; lux ibat tertia Iunÿ.

Canis Signorius Maſtini tertij filius.

SCaliger hac nitida cubo Canſignorius arca
Vrbibus optatus Latÿs, ſine fine Monarcha,
Ille ego ſum, geminæ qui gentis ſceptra tenebam,
Iuſtitiaq; meos miſta pietate regebam,
Inclyta cui virtus, cui pax tranquilla fidesq;,
Inconcuſſa, dabunt famam per ſecla diesq;.
M.CCC. LXXV. Octob. XVII.

Ex Poëſi Bernardi Molleri Bartholomæus Canis Signorij filius.

MAgna fui quondam Scalanæ gloria ſtirpis:
Marchio Veronæ ſummus in vrbe fui.
Obfuit imperium: potuiſſet tutius eſſe
Imperij nunquam frena ſubiſſe mei.
Rara fuit fratrum pietas: exempla petantur:
Romulus occiſo mœnia fratre tulit.
Me meus inuadit frater: ne longior æquò
Vita foret, vitam ſuſtulit ergo mihi.
Cauſſa fuit: regni victor quærebat honores.
Cauſſa ſed haud caruit vindice noſtra Deo.
Me ſocer expulſo Galeatius illicò fratre
Vindicat: ac ſceleris præmia frater obit.
Quasq; mihi dempſit, fugiendo perdidit vrbes:
Et mihi quod renuit, perdidit ipſe decus.
In Mariæ templo tribuit Verona ſepulchrum:
Aſt in Peſcharia conſequor arce necem.
Pœnitet extremò: Veronam Scaliger auxi:
Poſt me Scaligeris ſeruiet illa minus.
Obijt 8. Decemb. Anno M.CCC.LXXXIXVII.

Sigiſmundus VVilhelmus Scaliger Bartholomæi filius.

SAnguine iunctus erat patrio Galeatius, ergò
Ipſe mihi cuſtos, ipſe patronus erat.
Qui ſimul ac duro mutauit funere vitam.
Tam non ille ſibi, quàm mihi fata tulit.
Heu Veneto vicina nimis Verona furori,
Ad Venetam primò pene redacta fidem.
Dum pro Scaligeris Veronam ſubiugat aſtu,
Veronam Venetus ſubiugat ipſe ſibi.
Exuor imperio: Venetis hoc debeo: demptum
Imperium Pipus reſtituiſſe nequit.
Heu non in patria tribuit Libitina ſepulchrum:
Funera regalis contulit Alba mihi.
Obijt 8. Maij. Anno M. CCCC. XXIX.

Nic-

Nicolaus Scaliger, Sigiſmundi Vilhelmi filius.

NOn populum vinco, potius deuincor eodem.
Heu patrijs quantùm cogor abeſſe locis?
Dempta ſemel Verona, ſemel Verona redito:
Scaligeris tandem reſtituatur honos.
Dum non bella, quibus repetatur patria, moui
Sum pius: hoc etiam nomine gratus ero.
Quid vita melius, quid morte venuſtius extat,
Si bene poſt vitam mortuus audit homo?
Aſta ſepulchrali tumulum ſignauit honore:
Vtpote Franciſci tectus in æde fui.
Obijt. 18. Iulij. Anno M.CCCC. LXXVIII.

Bonifacius Scaliger Nicolai filius.

QVi Geticos contra moui tot prælia Turcas,
Qui bene quod faciam nomina iure fero:
Plurima Matthiæ nanciſcor munera regis:
Cuius in imperio Pannona ſtabat humus.
Nam quæ Scaligeris ceſſerunt oppida quondam.
Reddita Scaligeris auſpice cuncta Deo.
Sepultus Oſtrouij in feſto trium Regum. Anno M.D.V.

Michael Scaliger Bonifacij filius.

CLara Michaelem virtus æquauit Olympo:
Claruit ille domi, claruit ille foris.
Viuere quem ſuperi paterentur longius, illum
Inuidia virum præueniente tulit.
Scaligera viuit præclarus origine princeps,
Quanuis Zagrabia tectus in vrbe iacet.
Obijt 8. Aprilis. M.D.XXXVII.

De Pauli Scaligeri, Michaelis filij infortunijs Epigramma.

ZAgrabia natum tellure, Vienna pupillum
Extulit: Elatum Cæſaris aula tulit.
Pruſsia ſuſcepit: ſuſceptum Zoilus inde
Expulit: expulſum VVeſtphala ſeruat humus.
Cura dedit canos præter decreta iuuentæ:
Præter & ætatem cogitur eſſe ſenex.
Fata manens, neſcit qua ſtet regione ſepulcrum:
Neſcit an humano funera more petet.
Pyerides ſaluate virum, ſaluare poteſtis:
Vos moueat, qui vel ſaxa mouere poteſt.
Imperij patres hominem ſeruate periclis.
Principe quid miſero triſtius eſſe rear?

Maſtinus & Paulus filij Pauli Scaligeri.

HEu quod non licuit genitori texere laudes:
Heu quod non pueris adſuit iſte ſuis.
Claudere natorum meritò debebat ocellos:
Non potuit: longè iuſsus abeſſe fuit.
Præripit ætatem Cloto: nec condere famam
Inuidia lethi præueniente licet.
Dum nequeunt hoſtes letho mandare parentem
Præcipiti nobis fata tulere manu.
Nos vetulæ virus patrio deleuit in orbe:
Iedaua nos igitur puluere terra tegit.
Obijt Paulus bimeſtris. 25. Nouemb. M.D.LXV.
Maſtinus verò bimulus. 20. Septemb. M.D.LXVI.

In Effigiem Pauli Scaligeri, Matth. Schinckelius Lucanus.

PIctoris potuit iuſtam manus æmula formam
Pingere, cum magna dexteritate tuam:
Sed quæ virtutum ſine magno numine formas
Exprimat, artificis non erit vlla manus.
Miraclum mundi laudata Bononia Paulum
Nominat, vnanimi nobilis ore Schola.

In ea-

In eandem Oſualdus Gabelchouer.

Aſpice magnifici faciemq́; & lumina Scalæ,
Nobile qui Pauli nomen, & omen habet.
Talis erat, nonam viuens trieterida primum,
Dij facite vt videat, ſecula multa ſenex
Cui quantas dederit Pallas Tritonia dotes,
Doctificus quantas tradideritq́; Phanes:
Scripta docent præclara ſatis, quæ cuncta recludunt
Quicquid Arabs, Indus, Perſa, Syrusq́; tenet:
Quicquid habet Latium, quicquid Iudæa recondit,
Quicquid in abſtruſa Græcia mente gerit.
At Deus hunc quanto dederit de ſtemmate naſci,
Quem penes eſt vnum tradere ſceptra viris:
Perlecto poteris melius cognoſcere libro:
Hiſtoriam breuiter continet ille rei.
Et quamuis dubio verſet nunc aſpera vultu
Illum Sors, vno neſcia ſtare loco.
Sors inimica bonis, ſtultorum ſubdola rectrix,
Quos trahit & memores non ſinit eſſe ſui:
Fata tamen ſpondent, venturaq́; ſecula monſtrant
His iterum ſolitus quò tribuatur honos.
Carrario ſiquidem veluti de Stemmate natus
Franciſcus, generis dira ruina ſui.
Scaligeros quondam Verona ſuſtulit, atra
Fraude, luit propria quam tamen ipſe nece.
Sic iam Carrarij Franciſcus ſanguinis alter,
Carmine Scalichium tollit ad aſtra graui.
Tu, velut exilij fuit autor iniquior alter,
Hunc omen regni, ſic Deus eſſe velis.

Franciſcus Carrarius in eandem.

Scalichium Paulum noſcas ex nomine lector,
Namq́; alijs præſtat Paulus doctoribus iſte,
Temporibus noſtris, vt Paulus Apoſtolus inter
Præcones Chriſti, fulgebat tempore primo.

Locorum aliquot per incuriam deprauatorum emendatior lectio.

*Fol.3 fac.1.v.15.Gymnoſophiſtarum.fol.7.fac.2.v.11.*ומלאו *vmileu fol.9.fac. 2.v.vlt.Abenezra.fol.12.fac.2.v.8.comeßationibus fol.14.fac.1.v.38.gaudij.fol.16.f.1. v.24.Hi ſcripturæ loci ſunt admodum ambigui fol. 23.fa.1.v.2.connatam iuſtitiam.v.14.particeps.fol.24.fa.1.v.2.reliqui.fac.2.v.20.Abia.v. 27.metheora ex quorum numero.fol.27.fac.2.v.3.Tunè.fol.28.fac.1.v. 3.vinculo conſulas.fol.29.fac.1.v.14. vi Caloris.v.19.mamillarum ablatione. fol. 34.fac.1.v.18.auferrentur.fol.36.fac.1.v.3.ex ſilicibus.fol.42.fac.1.v.2. abſolutum.v.19.conſummatam.fol.43.fa.2.v.23.Trigono.fol.46.fa.2.v.3. Quemadmodum gradus eſſe in decem ſeries.fol.48.fac.2.v.11. rerum indicijs.fol.57.fac.1.v.1.Therapeutarum.fol.64.fac.2.v.18.intẽtionem.fol.66.fac.1.v.14.T.fol.72.fac.1.v.19.quod ad perfectionem.fo. 78.fa. 2.v. 8. hinc eſt.fol.81.fac.2.v.1.quid eum moliri.v.8.nihil dißerere.fol.84.fac.2.v.29.vocatur.fol.86.fac.2.v.13. contẽplatiuã.fol.92.fac.1.v 15.participãtiũ.fol.94.fac.2.v.8.conuexũ.fol.98.fac.1.v.4.alicuius ſcientiæ.fol 100.fac.1.v.1.Phantaſtica.v.7.coagitatum.fol.104 fac.2.v.17.globum vniuerſi.fol.106.fac.1.v.27.Eccentrici.fol.112.fac.1.v.30.dirigitur.fol.119.fac.2.v.25.ſubibit. fol.124.fac.1.v.6.*ἀπὸ τῶ αἰθῶν*.fol.126,fac.1.v.20.vngues.fol.127.fac.1.v.27. coniũctim. v. 28. Kinchi. fol. 131. fac. 1. v. 16. Huiuſmodi. fol. 137. fac. 2. v. 24.* ζώδιον*. fol. 163. fac.1.v.9.officia ſpirituum.v.19.Zaphkielem.fac.2.v.4.fictitia.fol.164.fac.2.v.26.ſuſpicienda.fol.171.fac.2.v.3.*ענשם*.Enſoph.v.20.*בראשית *breſchit.fol.174.fac.2.v.12. Prophetæ denotet.v.14.ab initio poſitum *הארץ *haaretz ſub finem poni debet.v.28.viſus.fol.176.fac.1.v.15. exoriretur. fol. 176.fac.2.v.15.aduſtionem.fol.177.fac.1.v.12. tranſpoſitum eſt,*מרחפת *merachephet.fol.178.fa.2.v.12.hoc in horreum.fol.180.fac.1. v.19.quos Deus dedit.fol.188.fac.2.v.29.mirabitur,item,Seminis.fol.189.fac.v.30.fuiße.fol.19.fac.2.v.21.*ותוצא העץ *vathotze haetz.fol.197.fac.1.v.10.abductæ.fol.198. fac.2.v.25.coniunctum.fol.199.fac.1.v.16.forſitan.fac.2.v.22.ſanctificatos,fol.200.fac. 2.v.19.interfecit.fol.203.fac.1.v.24.accipientem.fol.205.fac.2.v.4.prædicit.v.13.præuidet.fol.207.fac.1.v.1.dialecticè.fac.2.v.13.perſonat.fol.214.fac.1.v. 2. Mileſius.fac. 2.v.23.tributum fol.216.fac.2.v.vlt.addito.fol.217.fac. 1.*דברי *dibrei fol. 219.fac.1. v.4.vtraq;.fac.2.v.vlt.ne tibi pugna fiet.fol.220.fac.2.v.16.pro ſcriſſes, lege per cuſſiſſes,fol.222.fac.2.v.16.hæc omnia.v.27.diſputationem.fol.228.fa.1.v.13.Goini.fol.229. fac.v 9.Croatia.v.12.intermiſſa eſt linea. Extant literæ Alberti ducis Bauariæ in cauſſa Michaelis filij Bonifacij Scaligeri data Monaci in feſto Pentecoſtes. Anno 1506.fol. 231. fac.1.v.5.Eylauu.fol.235.fac.2.v.17.in fin.2.fol.236.fac.2.v.9.vocer.fol.238.fac. 2.v.15. à qua ego.fol.239.fac.2.v.12.& mihi.*



NAZ
ROMA